





10354

Z BIBLIOTEK  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO





SCOTUS  
ACADEMICUS

S E U

Universa Doctoris Subtilis  
THEOLOGICA DOGMATA  
R. P. CLAUDII

FRASSENI

Ordinis Min. Reg. Obf. Lectoris Jubilati, & Sacrae  
Facultatis Parisiensis Doctoris.

TOMUS SEXTUS.

*De Legibus.*



VENETIIS,  
Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXLIV.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

*Pro Bibliotheca N. Reformatos Conveniis  
Lublincensis*

10354

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO

SCOTUS  
ACAD

2 E 5

Universi Doctoris Subtilis  
THEOLOGICA DOGMATA  
R. P. GLAUDII

FRASSEN

Ordinis M. R. Reg. O. P. Lectoris Jubilatis & Sacrae  
Facultatis Patiensis Doctoris.

TOMUS SEXTUS

De Legibus.



VENETIIS

Apud Nicolaum Iezzanum

MDCCLXIV

*Faint handwritten text at the bottom of the page, possibly a library or collection note.*

# I N D E X

Disputationum, Articulorum, Sectionum, & Quæstionum.

*Quæ in hoc Sexto Tomo continentur.*

## TRACTATUS QUARTUS.

*De Legibus Divinis, & Humanis. pag. I.*

### DISPUTATIO PROOEMIALIS.

*De Legibus in Communi. 3*

Quæstio I. *De natura, & definitione legis. ibid.*

Quæstio II. *Utrum lex necessario debeat esse ad bonum commune ordinata, & communitati præscripta. 7*

Quæstio III. *Sitne de ratione Legis ut iusta sit, iustèque feratur, & quod obliget in perpetuum, idque sub præcepto. 15*

Quæres I. *Quotuplex, & qualis sit Legis divisio. 20*

Quæres II. *Quinam sint præcipui Legis Actus. 23*

Quæres III. *Quanam sint causæ Legis. ibid.*

Quæres IV. *Quinam sint legis effectus, & Officia. 24*

Quæres V. *Quanam sint legis proprietates. 25*

### DISPUTATIO SECUNDA.

*De Lege naturali. 25*

#### ARTICULUS PRIMUS.

*De Nativæ Legis essentia, principiis, & partibus. 26*

Quæstio I. *In quo maximè consistat, & reponenda sit Nativæ Legis essentia. ibid.*

Quæstio II. *Quotuplex sit Lex naturalis. 31*

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De materia, & obligatione Legis Naturalis. 34*

Quæstio I. *Quenam sit materia circa quam Lex Naturalis versatur. ibid.*

Quæstio II. *Qualiter, & ad quid Lex naturalis obliget. 40*

Quæstio III. *Quid, & quotuplex sit jus. 42*

Quæres: *Quomodò jus Gentium differat à jure purè Naturali. 47*

## ARTICULUS TERTIUS.

*De Legis Naturalis immutabilitate. 47*

Quæstio I. *An & quomodo Lex Naturalis mutari possit. 48*

Quæstio II. *Utrum Lex Naturalis admittere possit dispensationem, & interpretationem, seu Epikejam. 50*

Quæres: *An Lex naturalis admittere possit explicationem, & declarationem. 62*

## DISPUTATIO TERTIA.

*De Lege Divina. 62*

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Lege Divina Æterna. 62*

Quæstio I. *An & quia sit lex Æterna. 63*

Quæstio II. *Qualis, & quotuplex sit Lex æterna. 66*

Quæres: *An ipsa Lex æterna divinæ Essentiæ, vel alicui Personæ approprietur. 71*

Quæstio III. *Quenam æternæ Dei Legi sub-  
jiciantur.* ibid.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De Lege Positiva, & Scripta, quam Vete-  
rem, & Mosaicam appellamus.* 75

Quæstio I. *Quasnam Vetus Lex habuerit  
causas.* 76

Quæstio II. *Qualis, & quem ob finem Lex  
Moysis lata fuerit.* 83

Quæstio III. *Quot, & quæ fuerint præ-  
cepta Veteris Legis.* 88

Quæstio IV. *An & quando Lex Vetus ab-  
rogata fuerit, & obligare desierit.* 100

Quæres, *Qualis, & quanta fuerit Sancti  
Augustini cum S. Hieronymo de legali  
observantia post Evangelicæ legis promul-  
gationem controversia, & disceptatio.* 106

Quæres II. *An Petrus verè fuerit repre-  
hensibilis, & verè non autem simulatè à  
Paulo reprehensus.* 111

## ARTICULUS TERTIUS.

*De Lege Evangelica.* 112

Quæstio I. *An, & qualem novam Legem  
Christus instituerit.* 113

Quæstio II. *Qualiter nova lex præscripta  
fuerit, & quæ præcepta contineat.* 116

Quæstio III. *In quibus præcipuè Nova Lex  
differat à Veteri, eamque excedat.* 122

## DISPUTATIO QUARTA.

*De Legibus Humanis.* 125

## ARTICULUS PRIMUS.

*De existentia, & causis Legum Humana-  
rum.* 126

Quæstio I. *An, quid, & quotuplex sit  
Lex Humana.* 127

Quæstio II. *Penes quos resideat legislativa  
potestas.* 132

Quæstio III. *Quinam legibus humanis te-  
neantur.* 136

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De efficacia, & obligatione Legum Huma-  
narum.* 140

Quæstio I. *Circa quid Humanæ Leges ver-  
sentur.* ibid.

Quæstio II. *Qualiter Humanæ Leges obli-  
gent.* 143

Quæstio III. *Quas condiciones Lex requi-  
rat, ut revera obliget.* 148

Quæres: *Ubinam humanæ leges debeant pro-  
mulgari, ut obligandi vim censeantur ha-  
bere.* 150

## ARTICULUS TERTIUS.

*De Legis Humanæ relaxatione per Consue-  
tudinem, Abrogationem, Dispensationem,  
Interpretationem, & Privilegium.* 154

Quæstio I. *Quid, & qualis sit Consuetu-  
do.* ibid.

Quæstio II. *Quid, quotuplex, & qua-  
lis sit Lex favorabilis, seu Privilegium.* 158

Quæres I. *Quid sentiendum sit de Com-  
municatione, & Confirmatione Privile-  
giorum præsertim Regularibus concessorum.* 163

Quæstio III. *Quot modis variari, ac mu-  
tari possit Lex humana.* ibid.

Petes, *An superior possit dispensare erga  
seipsum.* 166

Quæres, *An, & qualiter Humanæ Leges  
sunt interpretandæ.* 168





# TRACTATUS QUARTUS

## De Legibus Divinis, & Humanis.



rum fortè tibi videtur, Lector, quòd præter usurpatam, & hæcenus usitatam à nobis scribendi, docendique methodum, qua singulos Sententiarum libros tribus dumtaxat Tractatibus delineandos, & ordinandos esse duximus, ut cuncta Theologica nostra dogmata eodem ordine, parique nomenclatura cohærent; jam tribus Tractatibus evolutis, quibus tota secundi Libri materies videtur exhausta; eis tamen quarum hunc anneximus. At tua, arbitror, cessabit, si quæ sit, demiratio, dum rescieris nos consultò quidem, & in tui gratiam id fuisse auspiciatos; ut videlicet in eodem secundo nostri Theologici Operis Tomo, velut integro

corpore omnibus sibi debitis partibus constante haberes nedum universam Creaturarum omnium encyclopediam tribus distinctis ordinibus delineatam, sed certas etiam Leges, ac Regulas, quibus creata quæque suos in fines ordinantur, & divinis sibi præfixis mandatis incunctanter obtemperant.

Neque enim solis hominibus à præpotente Opifice præscriptas esse Leges existimandum est; ipsa namque totius Universi compages, quam Mundum appellamus, nonnisi positis, servatisque Legibus in tam discordi elementorum concordia, eadem quæ fuit ab initio, etiam nunc perseverat. Quid enim putes iratum mare, & quasi vitreis armatum montibus nunc pulsare cælum, nunc terram appellens, totoque corpore veluti furens, & insaniens in universam terram, quam prius operiebat, non resuere; nisi quia rerum conditor, cum appenderet fundamenta terræ, quibus staret in æternum, etiam Legem ponebat aquis ne transferrent fines suos? Unde meritò agebat ipse Jobum alloquens cap. 38. Circumdedi mare in terminis meis, &c. Quæris quisnam sit terminus quo Deus mare continet ne foras erumpat, & continentem aquis obruat? Luculenter explicat id Basilii Seleuc. orat. 1. Nudat (Deus) aquis terræ dorfa, quibusdam velut in cellis maria concludens, dum imperio in abyssum utitur pro claustro, & arena, quasi habena formidabili mare continet, terram liberam servans à Pelagi eluvione. Subdit mox æquè eleganter; Fertur illud quidem fluctibus altè elatum; ubi verò terminos attigerit, revertit, refugitque, & Domini vocem littoribus inscriptam cum intuitum fuerit, curvatis fluctibus termini positorem adorat. Quis explicet quam regulata temporum varietate, immutabilique vicissitudine Cælorum, & Astrorum motus recurrant, ut veluti in paginis elementorum, & voluminibus temporum divinæ institutionis doctrina legeretur? ait S. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium cap. 1.

Nec verò hominem suo relictum esse arbitrio censendum est, quasi nullis legibus instruat, quibus rectæ rationi, ac virtuti consentanea sectari, & prava declinare queat; Deus enim ipsi præsto est, & jubendo per Legem, & per gratiam adjuvando, non solum ut quæ recta sunt nosse, sed etiam exequi, valeat.


Apparet igitur quàm ordinato, quàmque stricto vimine præsens Tractatus cum præcedentibus

libus cohereat. Illud etiam non modicum juvat, quod peccati cognitio vix haberi possit absque exacta Legis notitia; maxime cum dixerit Apostolus ad Rom. 7. Peccatum non cognovi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces: Oportuit ergo ad perfectiorem, ac pleniorum disputationum de peccatis intelligentiam, faciem præberet sequens de Legibus tractatio: Quocirca non immerito Theologi leges sibi proponunt examinandas, & in ea versantur materia, quæ sibi communis est cum Philosophis moralibus, & juris utriusque, Pontificii nimirum, ac Cæsarei, Doctoribus. At versantur longe præstantiori ratione quam Philosophi, qui de legibus tantum scripserunt, & tradiderunt ea, quæ lumine naturali cognosci possunt, ac judicari, conducere ad hominum mores rectè instituendos, & ad Rempublicam in pace, ac securâ concordia, & iustitia continendam.

Nobiliori etiam, sanctiorique consideratione circa leges occupantur, quam Jurisperiti Cæsarei; nam qui jus civile tractant, suppositis principiis generalibus Philosophiæ moralis, ad quæ leges humanas, & civiles revocare conantur, tradunt, & explicant in particulari leges ipsas, civili authoritate conditas ad instituendos Reipublicæ mores politicos, in ordine ad externam iustitiam, & pacem reipublicæ fovendam, ac servandam: Pontificii verò, qui jus Canonicum profitentur, disputant de legibus authoritate Ecclesiastica præscriptis; quatenus spectant regimen, & ordinem publicum in fidelium cœtu stabiendum; quo nempe iusta moderatione, & administratione Sacramenta conferantur, Ecclesiastica beneficia dispensentur, Ordinum functiones, qua decet reverentia, & veneratione exercentur; denique ut pax, & iusta moderatio in universo statu Ecclesiastico servetur.

Theologi verò non solum de legibus divinis positivis, quæ propriè ad illos pertinent, utpote quæ sola Dei revelatione innolescant, verum etiam de naturali, & humana disputant; sed ob altiorum finem, quam intendunt Philosophi, ac Jurisperiti; nempe ad conscientiam fidelium benè formandam, & instruendam circa obligationem huiusmodi legum, necnon ad dirigendas humanas actiones in ordine ad meritum, aut demeritum vitæ æternæ, & quatenus conducunt ad salutem, & finem supernaturalem assequendum. Idque præstant non solum ex principiis moralibus, & solo naturali lumine cognitis; verum etiam ex principiis fidei; declarando videlicet qualiter leges omnes à Deo Legislatorum omnium Principe ducere debeant originem, ejusque authoritate firmari, juxta illud Proverb. 8. Per me Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt.

Non ergo à suscepto fine deviamus, præsentem Tractatum de Legibus instituendum aspiciendo; siquidem hæc materia Theologum spectat; quam ut congruente ordine expendamus, juxta servatam à nobis hæctenus scribendi methodum, præsentem Tractatum tribus disputationibus absolvemus: quarum Prima erit de lege naturali. Secunda de lege divina. Tertia de lege humana. Quibus majoris claritatis gratia, præmittenda est sequens.



# DISPUTATIO PROOEMIALIS.

## De Legibus in Communi.

**V**ariam esse nominis *Legis* acceptio-  
nem, diversamque ejus appella-  
tionem, tum apud sacros, tum  
apud profanos, nemo Theologorum est  
qui nesciat. Etenim Scriptura sacra legem  
pluribus titulis illustrat, & significat: eam  
enim interdum nomine voluntatis appellat.  
Sic Psalm. 102. *Notas fecit vias suas Moysi,*  
& *filiis Israel voluntates suas.* Sic pariter 2.  
Machab. 1. *Det vobis cor omnibus ut faciatis*  
*ejus voluntatem.* Interdum illam *lucis ac lu-*  
*cernæ* nomine exprimit. Sic Proverb. 6. *Man-*  
*datum est lex & lux via vite.* Alias *jugum*  
vocitat, sic Psalm. 2. *Projiciamus a nobis ju-*  
*gum ipsorum.* Et Matthæi 11. *Jugum meum*  
*suave est.* Nonnunquam legem *precepti* no-  
mine explicat, sic Psalm. 18. *Preceptum Do-*  
*mini lucidum.* Sæpius *mandatum* nominat,  
sic Psalm. 118. *Tu mandasti mandata tua*  
*custodiri nimis,* & Matthæi 19. *Si vis ad*  
*vitam ingredi serva mandata.*

Communiori autem ac magis vulgato  
nomine *lex* appellatur. Cujus quidem no-  
minis triplex est usurpatio: *Prima* quidem  
communis, & impropria, pro quacumque  
regula naturæ, artis, & actuum humano-  
rum. *Lex naturæ* hic appellatur, non illud  
rationis dictamen singulis hominibus ingeni-  
tum, quo quisque novit quid rationi congruat  
aut repugnet; sed quæ rebus omnibus  
ab Authore naturæ est indita; nihilque aliud  
est quam ipsa rei cujuslibet propensio, qua  
fertur in id quod sibi conveniens est qua  
ratione S. Paulus inclinationem appetitus  
sensitivi in bonum sibi congruum, appellat  
*legem membrorum,* & *legem peccati* ad Rom.  
7. *Lex artis* ea dicitur, quæ complectitur  
regulas juxta quas artis opera formari de-  
bent, ut dicantur perfecta; sic dicimus leges  
Grammaticæ &c. Denique *lex morum* est  
norma seu regula quarumcumque actionum  
tam intellectus quam voluntatis.

Strictius autem, & magis propriè *lex* di-  
citur quævis regula morum sive justa, sive  
iniqua, qualiter Tyrannorum præscripta  
leges dicuntur. Sic Isaia 10. *Væ qui condunt*  
*leges iniquas.* Sic pariter S. Isidorus legem  
usurpat lib. 2. *Etymologiarum cap. 10.* dum ait,  
*legem esse constitutionem populi quam majores*

*natu cum plebibus sanxerunt.* Strictissimè au-  
tem, & in adæquata significatione, *lex* usur-  
patur pro ordine rationis ad bonum com-  
mune stabilito, & ab eo qui curam habet  
communitatis promulgato, cum obligatio-  
ne ad ejus observantiam. De qua postero-  
ri legis usurpatione sermo futurus est in  
sequentibus quaestionibus.

## QUÆSTIO PRIMA.

### De natura, & definitione legis.

**N**on inmoramur in adstruenda, & asse-  
renda legis necessitate, & existentia;  
eam enim apertè satis insinuat ipsa creaturæ  
intellectualis defectibilitas, & exigentia;  
cum enim ipsa plerumque à fine honestatis,  
in quem debet collineare, deflectat, &  
exorbitet; opus habet aliqua regula qua  
veluti manu ducatur ad eum finem asse-  
quendum. Quæ si vera sint de fine naturali,  
longè debent esse certiora de supernaturali,  
qui cum omnino captum, & vires ipsius  
creaturæ rationalis profus excedat, & hu-  
manæ menti naturaliter sit ignotus; non  
potest quisquam ad illum peringere, nisi,  
& altiori lege dirigatur, & supernaturali-  
bus auxiliis adjuvetur.

Id ipsum probat ipsa maxima legum uti-  
litas ad institutionem, & conservationem  
Reipublicæ, cujus salutem in legibus con-  
stitutam esse meritò dixit Aristoteles 5. *Rhe-*  
*toricorum:* leges enim à Republica si quis au-  
ferat, animam ipsam à corpore diveller; si  
quidem ubi defunt leges, furta, homicidia,  
& quælibet alia scelera impunè grassantur,  
unde vulgatum illud Augustini, *Remota ju-*  
*stitia, quæ per leges potissimum stabilitur,*  
*quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Cui  
etiam consonat illud Isidori lib. 5. *Etymolog.*  
c. 20. *Facta sunt leges, ut humano metu hu-*  
*mana coerccatur audacia, tutaque sit inter*  
*improbos innocentia, & in ipsis improbis for-*  
*midato supplicio refrænetur nocendi facultas.*

Solum itaque hic suscipimus explican-  
dam legis naturam; quocirca

Notandum primò: Legem secundum nomi-  
nis Etymon dici vel à *ligando*, quòd homi-

nes liget, & obliget ad sui observationem; quæ ratione Deus de perduellibus Judæis conqueritur Jeremiæ 2. *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, dixisti: Non serviam*. Et Matth. 23. Christus Phariseorum hypocrisis, & duritiam insinuans, ait, *Alligant oxera gravia &c.* Secundò lex dicitur à *legendo*; quia leges, præsertim positivæ, legi, & promulgari debent postquam institutæ sunt, ut subditos obligent; vel quia homo legit in ipsa lege quid agendum, quidve omittendum sit: *vel denique*, quia leges olim scripto tradebantur ut ab omnibus legi, & intelligi possent. Hinc Isidorus l. 2. Etymolog. c. 10. *Hoc interest*, inquit, *inter legem, & morem, quòd lex scripta est, mos verò est vetustate probata consuetudo*. Denique lex dicitur ab *eligendo*, quia lex omnis dicitur quæ sint eligenda, quæve respicienda: Hæc autem postrema derivatio nominis legis aptior videtur, & ad rem magis accommodata.

*Notandum 2.* Quòd etsi lex à *legendo* non absurdè censeatur derivari; potissima tamen ratio legis in sermone scripto vel audito non est constituenda, sed in rebus ipsis quæ imperantur vel prohibentur. Solarum enim rerum est fieri vel non fieri, non propriè mandatorum aut sermonum, inquit Guillelmus Parisiensis tractatu de legibus cap. 1. Qui enim imperat currere, non verbum imperat, sed cursum ipsum; neque qui obedit, verbum currendi facit, sed cursum ipsum propriè; sicut igitur propriè res vel fieri vel omitti dicuntur, ita propriè imperari, & prohiberi; quare etiam propriè imperata, & prohibita sunt, res figuratæ verò sermones: præcepta igitur, & mandata, & lex primò, & propriè leguntur sicut & intelliguntur; res enim sunt propriè quarum propriè, & primò intellectus quæritur. *Quod utique confirmat ulterius ibidem dicens.* Regulæ honestatis, quales sunt, Deum esse honorandum, Deum esse timendum, Deum esse adorandum: omnem hominem esse diligendum: omni homini consulendum, sive illæ regulæ scriptæ sint exterius, sive non: & sive audiantur exterius, sive non: verè sunt, & tenendæ. Et obligatus est unusquisque debito honorandi Deum debitoque timendi eum, sive legat foris scriptum, sive non: & sive audiat hæc foris, sive non. Et ad hunc modum se habet de aliis, quæ sunt debita per

se; licet verum sit, quòd major notitia altitudinis, & potentia Dei, debitum honoris, atque timoris ad eum, & obligationem augeat. Manifestum igitur est, quia, & regulæ honestatis, & debita, sive obligationes agendi quadam, & declinandi quadam, sunt cessantibus omni sermone, atque scriptura; & quia prævaricatio, & peccatum similiter sunt absque his, quare quadam lex ex necessitate est præter hoc. *Amplius.* Tota honestas indubitanter in anima est, honestas inquam vitæ humanæ, & morum; honestas autem vitæ, & regulata, & ordinata, & moderata: Non autem regulata est, vel moderata, vel ordinata, nisi honestate; nec decora, nisi honestate. Quare totum id quod ordinat, regulat, moderatur, & decorat vitam humanam, in anima est: est igitur præter sermones, atque scripturam, cum illa foris sint. Cum igitur vel lex sit, quæ ordinat, regulat, moderatur, atque decorat vitam humanam; manifestum est veram legem esse in anima. *Amplius:* Quid est lex vera, nisi ars quædam aut sapientia rectè honestæque vivendi? Omnis autem ars, & omnis sapientia in anima est; quare si verè dictum est, quia vera lex ars est, & sapientia rectè honestæque vivendi, verè lex est, & vera natura lex in anima. *Inde concludit* quòd magis propriè magisque veraciter lex dicitur quod est in mente, quàm quod est in scripto vel voce. Cujus autem facultatis actus sit lex, an intellectus, an verò voluntatis ut appareat.

*Notandum tertio:* Legem propriè duobus modis usurpari, *Primò* quidem *pro actu*, idque vel quatenus est in legislatore; vel prout est in subdito. Secundò pro eo quod remanet per modum *habitus*; suum nempe semper conservans vigorem ab eotempore quo promulgata fuit, donec vel à Principe revocetur, vel contraria ac diuturna consuetudine abrogetur; ratione cujus vulgatum illud Jurisperitorum, *lex semper loquitur*. Lex autem quatenus actus est in legislatore, plures actus speciei distinctos connotat, & involvit, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. *Primò* quidem includit intentionem boni communis procurandi. *Secundò* judicium speculativum, quo judicatur media aliqua esse bono communi convenientia, vel disconvenientia. *Tertio* judicium practicum dictans hæc esse vitanda à subditis, hæc amplectenda. *Quartò* voluntatem qua

qua legislator vult quædam fieri vel non fieri. *Quintò* ipsummet voluntatis actum, quo idem legislator vult obligare subditos ad suæ legis observantiam. *Sextò* denique actus imperii quo talem observationem præcipit.

Quatenus autem lex sumitur pro actu qui est in subditis, includit, Primò actum intellectus judicantis sibi necessarium, & congruum esse legem observare. Secundò actum voluntatis, quo liberè vult, & acceptat legis observantiam.

Hinc controversia movetur apud Theologos, in quoniam ex his omnibus actibus natura legis propriè consistat: sunt enim qui doceant cum S. Thoma legem essentialiter consistere in solo actu intellectus. Censent aliqui cum Gersono *lib. 2. de potestate Ecclesiast. consideratione 13.* Legis naturam in utroque actu intellectus, & voluntatis esse constituendam; communis est autem subtilis Doctoris discipulorum sententia, illam in solo actu voluntatis præcisè reponendam esse. Quæ sententia priusquam firmetur, sit

### CONCLUSIO PRIMA.

**L**EX in genere rectè describitur *Regula perseverans actionum humanarum, ingenita vel præscripta, propter bonum commune, ab eo qui gerit curam communitatis, & in eam auctoritatem supremam obtinet, promulgata, obligans ad aliquid faciendum, aut omittendum, declaratur.*

Dicitur 1. *Regula*; quia lex formaliter, & per se indicat agenda, & omittenda, in quo genericè veluti convenit cum syndecesi, & conscientia; hæc namque sunt etiam regulæ.

2. *Perseverans*, ut lex distinguatur à simplici mandato, & præcepto, quod pro arbitrio, & voluntate præcipientis tollitur; lex enim cum à prima rectitudine, & veritate, quæ Deus est, originem trahat, cumque prima veritas, & restitudo ex natura sua sit immutabilis; lex pariter aliquam immutabilitatem, & perpetuitatem involvere debet ratione sui, licet nonnumquam mutationi sit obnoxia, vel ratione materiæ cui applicatur, vel ratione finis ob quem conditur: sic leges ceremoniales, & judiciales veteris legis, per advenientem novam legem cessarunt, & revocata sunt: priores quidem, quia cum essent umbræ, & figu-

ræ futurorum, adveniente veritate desierunt: posteriores verò, quia cum præscriptæ essent populo adhuc servituti mancipato, cessare debuerunt ad præsentiam legis Evangelicæ, quæ *jugum suave est, & onus leve*: quippè cum amore præscripta, & promulgata fuerit, amoreque adimplenda sit.

3. *Actionum humanarum*; etsi enim lege, & præcepto Angeli ligari possint, & ad aliquid faciendum aut omittendum astringi; de Angelicis tamen actionibus sermonem hic non institimus, sicut nec de actionibus hominis naturalibus, & necessariis, quippe cum illæ ad honestatem dirigi nequeant.

4. *Indita, vel præscripta*, ut tam lex naturalis, quam positiva, divina, Ecclesiastica, aut politica sub hac definitione involvantur.

5. *Additur propter bonum commune*; cum enim finis legis sit reipublicæ felicità, eam ad privatum commodum detorquere non licet. Hinc meritò dixit S. Isidorus *lib. 5. Etymolog. capite 5. Erit lex honesta. ... nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*: Deus, namque aut reipublica alium in finem potestatem superioribus non contulit, quam ut leges ferendo commune bonum procuraret. Hinc inter regem, & tyrannum id interest, quòd ille publicum, hic privatum commodum in administratione, & gubernatione querat.

6. *Promulgata ab eo qui curam communitatis habet, auctoritatemque, & jurisdictionem in eam obtinet*: Qui enim alios ad parendum, & obediendum compellit, necessum est in eos supremam potestatem exerceat; quæ scilicet potestas in Legislatore ordinata est ad regimen communitatis, & distinguitur à potestate privata, & economica quæ residet in capite privata familiæ, v. g. in patre respectu filiorum, heri respectu famulorum, quibus potest dare præcepta domestica non Leges præscribere. Oportet ergo ut illa potestas legislativa in communitatem aliquam protendatur. Opus est etiam ut sit suprema: non enim in communitatem jurisdictio sufficit ad Leges condendas, & præscribendas: Hæc enim pro foro externo in plurimis reperitur limitata, v. g. in iudicibus ordinariis, & superioribus subalternis, quibus competit quidem politici regiminis auctoritas, non tamen legislativa potestas.

7. Denique subditur *obligans ad aliquid, &c.* ut Lex distinguatur à monitionibus, exhortationibus, consiliis, instructionibus, &c. quæ nullam obligationem inducunt, sed tantum directionem; Lex autem nedum dirigit; sed & ad aliquid faciendum, aut omitendum obligat.

Hæ autem omnes aut saltem præcipuæ definitionis particulæ enucleatiùs infra examinabuntur quo Legis natura clariùs appareat.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**L**ex formaliter est actus voluntatis præsupponens actum intellectus, quo Legislatores iudicat materiam legis convenientem esse ut sub obligatione decernatur. Hæc est Doctores in 1. d. 44. n. 2. ubi ait; *Dico quòd Leges aliquæ generales recte de operabilibus distantes præfixæ sunt à voluntate divina, & non quidem ab intellectu divino, ut præcedit actum voluntatis divinæ*: Quibus Doctor aperte significat divinam Legem non in actu divini intellectus; sed divinæ voluntatis esse formaliter reponendam: Sed idem à simili dicendum est de Lege humana, Civili, & Ecclesiastica propter paritatem rationis: Ergo censet Doctor quamlibet Legem in actu voluntatis esse constituendam.

*Probatur Primò*, In eo actu formaliter ratio legis est constituenda quem Scriptura facta ad legem significandam & exprimenda solito usurpat: at Scriptura sacra Legem ordinariè significat per actum voluntatis: Ergo in illo ratio Legis est reponenda. Major constat: Minor probatur ex illo Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & Legem tuam in medio cordis mei.* Et Pl. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas, idest, Leges, & præcepta sua.* Et 2. Machab. 1. *Dei vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis eius voluntatem, idest, ejus Legem servetis, & impleatis.*

*Confirmatur* ex eo quòd Leges civiles dicuntur esse Principum placita; nam lib. 1. ff. de Constit. Princ. dicitur: *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem.* Hinc S. August. de Civit. Dei lib. 6. *Arbitraria, inquit, Principum pro Legibus erant.* Insuper Aristoteles in Rhetorica ad Alexandrum c. 1. affirmat Legem esse communem civitatis consensum: Et Cicero lib. 1. de Legibus docet, Legem ab electione dictam esse: Sed placitum, consensu probatum, &

quod ab electione procedit voluntatis actum importat: Ergo in voluntatis actu est reponenda.

*Nec valet* reponere cum Thomistis præfata testimonia insinuare quidem Legem esse actum voluntatis; Non quidem elicitive, sed solum connotative, & præsuppositivè; ita quòd nulla sit Lex quæ aliquem in legislatoris voluntate actum non supponat, vel connotet; in eo tamen voluntatis actu non sit formaliter reponenda. Hæc, inquam, replica nulla prorsus apparet: Tum quia simpliciter, & absolutè præfata testimonia Legem voluntatis actum appellant, dum eam vel voluntatem, vel placitum, vel consensus, vel electionem nominant: Tum quia magis voluntas præsupponit actum intellectus, quàm intellectus actum voluntatis, maxime in eis operationibus quæ non solum interius formandæ, sed etiam exterius promendæ sunt per applicationem facultatum exteriorum, quod utique ad voluntatem, non ad intellectum spectat.

*Probatur* id ipsum ratione Theologica, Ad eam facultatem spectat essentialiter ratio Legis, ad quam pertinet ordinare in finem; ad eam autem pertinet ordinare in finem, ad quam ipse finis pertinet: Sed tantum ad voluntatem finis assequendus pertinet: Ergo, &c. *Major constat*, Lex enim nihil aliud est, quàm manuctio quædam, qua creaturæ rationales in suum finem recto veluti tramite deducuntur. *Minor etiam est evidens*; Siquidem objectum voluntatis est ipse finis comparandus; finis enim, & bonum invicem convertuntur; bonum autem ad voluntatem spectat, sicut verum ad intellectum. *Deinde*, Munus Legis, ejusque propria ratio per quam ab aliis actionum humanarum regulis distinguitur, consistit in decreto obligativo quo moventur subditi ad rectè operandum, seu ad eliciendam operationem Legi conformem: Sed movere ad exercitium operationis, in ordine ad aliquem finem, spectat ad voluntatem; quia, ut mox dictum est, objectum voluntatis est finis qui est primum principium in agibilibus: Ergo lex ad voluntatem pertinet.

*Denique*, Ad hanc potentiam pertinet actus legis essentialiter ad quam pertinet esse regulam humanarum actionum: sed voluntas est ipsa regula humanarum actionum: Ergo, &c. *Major est evidens*; Lex enim essentialiter est actuum humanorum regula,

ta, & mensura quædam. Minor etiam est evidens: Siquidem divina voluntas est prima regula ad quam collineare debent omnes creaturarum rationalium actus, ut recti, & perfecti censeantur: juxta illud Christi Domini oraculum Matthæi 5. *Estote ergo, & vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*: Voluntas autem Prælatorum, & Principum est secunda regula rectitudinis earumdem actionum, & quædam ejus divinæ voluntatis participatio: Ergo, &c. Quæ hanc adversus assertionem proferunt Thomistæ, solum probant secundam partem nostræ Conclusionis.

Nempe quod Lex præsupponat actum intellectus, quo Legislator judicat legis materiam communitati congruere, quæ ratione interdum lex in Scriptura sacra nomine lucis exprimitur; sic Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui*: Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Prov. 6. *Mandatum lucerna est, & Lex lux*, sed lumen ac illuminatio ad intellectum pertinent; cum illuminatio in spiritualibus, nihil aliud sit, quam veritatis manifestatio, juxta illud ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur lumen est*; adeoque lex actum intellectus importat ac præsupponit; quapropter S. Aug. *lib. de libero arbitrio c. 6.* Legem appellat *rationem summam cui semper obtemperandum est*. Ratio namque necessario ad lationem legis desideratur, ut ipsa justa prudensque sit; adeoque etiam suo modo subditos dirigit per intimationem, & significationem legis positæ; propria tamen legis directio, quæ fit per impositionem obligationis ad aliquid efficiendum, vel omitendum, in solum actum voluntatis est refundenda: Unde ipsa etiam voluntas quodammodo illuminat, & instruit; qua ratione S. Anselmus *Lib. de voluntate Dei cap. 4.* ait, *Voluntatem Dei esse magistræ humane voluntatis, quatenus nempe illa divina voluntas objectivè proposita creaturis ratione utentibus, monstrat eis quid ipsorum voluntas amplecti, quidve refugere debeat, non secus ac manus statuæ in via demonstrat quæ eundem est*. Constat ergo quod lex formaliter in actu voluntatis constituenda sit; præsuppositivè tamen intellectus actum connotet.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum lex necessario debeat esse ad bonum commune ordinata, & communitati præscripta.*

Præfens quæstio prioris est appendix, & explicatio; in qua videlicet definitionis legis particulæ quædam explicantur nitidius, & ampliori discussione ac declaratione probantur quatenus nempe legis condiciones, quæ ad propriam ipsius rationem spectant explanando, ipsius genuina differentia constitutiva facilius innotescat. Quocirca

Notandum primò: Certum esse legem necessario ad aliquem, vel aliquos ferri ac dirigi debere; nam inquit S. Paulus ad Romanos 3. *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur*: Lex ergo quælibet essentialiter quædam habitudinem connotat ad eos quibus præscribitur; subindeque ad explicandam ejus rationem, necessario declarandus est terminus hujus habitudinis, & ordinationis. Constat insuper legem quamlibet ad hominem tanquam ad suum connaturalem terminum dirigi debere; siquidem inferiores creaturæ legis propriè dictæ non sunt capaces; utpote cum sint incapaces actuum moralium, qui per legem dirigi debent, & regulari. Licet autem Angeli divinæ legis suscipiendæ, & implendæ capaces existant; de ipsis tamen sermo non est in præsentiarum; maxime cum hic explicandas leges suscipiamus, quæ hominem ad finem suum naturalem aut supernaturalem ordinandum spectant. Unde solum determinandum superest, an sit de ratione legis ut pro aliqua multitudine præscribatur, an verò ad unicam personam etiam dirigi possit.

Notandum secundò: Communitatem distinguere posse duplicem: unam quidem ex natura, alteram ex instituto. Naturalis est ea qua homines invicem conveniunt in eadem rationali natura, quæ ad societatem, & conversationem ordinatur; Homo namque, ait Aristoteles, *est animal ad societatem natum, & aptum*: Posterior verò est hominum conjunctio politica, vel mystica in eadem congregatione, eodemque cœtu. Priorem communitatem respicit lex naturalis, quæ per lumen rationis unicuique homini proponitur; quia non fertur ad unumquemque homi-

minem in particulari, & in individuo, ut talis est v. g. Petrus aut Paulus, sed in specie, & quatenus est homo. *Posterior* communitas subdistingui potest duplex: una quidem *Ecclesiastica*, non humano, sed divino jure instituta; eo quod ab ipso Deo ordinata sit sub aliquo capite ab ipso designato, & cum aliqua unione ad finem supernaturalem. Hujusmodi fuit olim Synagoga Judæorum, nunc verò præstantior Ecclesia Catholica, quæ non pro uno, vel alio dumtaxat populo, sed pro tota terrarum orbe ab ipso Christo Domino instituta, certisque legibus ac sancitis ab eodem ordinata, sub obedientia unius capitis ipsius Christi Domini vices gerentis. Ad ejusmodi communitatem per se primò spectant leges divinæ positivæ; qualiter leges Veteris Testamenti ad Judæos instituendos erant præscriptæ, & lex gratiæ Novi Testamenti lata est pro universa Ecclesia ad Dei cultum, rectamque fidelium institutionem formandam. Ad eandem pariter pertinent leges Canonice, quamvis non omnes pro universa Ecclesia constituantur, sed juxta intentionem, vel potestatem illas ferentis. *Alia communitas est Politica*: ea nempe quæ est cætus hominum humano jure invicem sociatorum in ordine ad aliquem finem naturalem sub aliquo capite copulatorum, qua ratione Aristoteles 3. *Polit. cap. 10.* dixit civitatem esse civium multitudinem habentium inter se morale vinculum sub uno principali moderatore.

*Quæ iterum* distinguitur à Philosophis moralibus, & jurisperitis in *perfectam*, & *imperfectam*. Perfecta communitas ea dicitur, quæ est capax politicæ gubernationis, quæve sibi sufficit in hoc ordine, qualiter Aristoteles *lib. 1. Polit. cap. 1.* asseruit civitatem esse communitatem perfectam, & à fortiori regnum, cujus ipsa civitas est pars, erit perfecta communitas. *Communitas imperfecta* dicitur illa, quæ non est sibi sufficiens, & in qua non congregantur singulæ personæ, ut membra principalia ad unum corpus politicum instituendum, qualis est domus, cui pater-familias præest: talia enim communitas per se loquendo non regitur propria potestate jurisdictionis, sed dominativa; atque ita pro diversitate domini participat diversum modum imperandi respectivè ad diversos subjectos; aliud enim est jus, vel quasi dominium patrisfamilias in uxorem, aliud in filios, aliud in servos, & famulos; unde neque habet perfectam unitatem, seu unifor-

mem potestatem, neque etiam participat propriè politicum regimen: & ideo imperfecta communitas dicitur.

*Notandum tertio*: Certum pariter esse, Principes posse leges, & edita statuere de tributis ac vectigalibus sibi à subditis justè perfolvendis; quod utique justum esse ipsemet Rex regum oraculo suo comprobat Matthæi 22. dicens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Justæ sunt, inquam, illæ leges; quia et si proximè respiciant utilitatem ac commodum Principis cui tributa penduntur, remotè tamen spectant ad bonum commune; quia quò magis Princeps abundat, eò facilius reipublicæ hostes repellere potest, & sublevare subditos, ne urgente bello aut aliqua gravi necessitate, & clade instante, insolitis subsidiis divexentur. Unde Christophorus Marcellus oratione quam habuit sels. 4. Concilii Lateranensis sub Julio secundo appositè dixit. *Si nullæ sint opes Principi, civitatem tutari non potest, nec bellum indicere, nec servare pacem, nec seipsum in tra mētia custodire.* Inde vectigalia, fisci, æraria, solutiones, census, pensiones, tributa, sunt, ut decet, à Principe instituenda; quoniam hæc non in solius Principis bonum, sed in Reipublicæ utilitatem, & commodum refunduntur. An autem justæ sint leges quarum utilitas, & fructus ad solius Principis commodum redundant, hic determinandum est. His prælibatistria hic occurrunt determinanda. *Primum*, an lex ita necessariò debeat præscribi alicui communitati, ut ad particulares dirigi nequeat. *Secundum*, an per se ad bonum communitatis ordinetur. *Tertium*, an Princeps justè possit leges ferre quæ in privatam dumtaxat illius bonum cedant.

#### CONCLUSIO PRIMA.

**D**E ratione essentialis legis est, ut pro aliqua tota communitate præscribatur. Patet hujus Conclusionis veritas ex eo maximè quod in hoc lex à præcepto distinguitur, quod præceptum uni, lex omnibus præscribitur; quatenus illud ad privatam directionem, & ordinationem partis, hæc ad publicam gubernationem, & reipublicæ moderationem ac administrationem spectat.

*Probat*ur insuper; primò quidem inductione quadam; nam lex æterna, & naturalis non unifoli homini convenit; sed in omnium cordibus exaratur: *Item* lex divina tam



vetus, quàm nova, communitatibus præscriptæ sunt, illa quidem Judaico populo, hæc Ecclesiæ universali ac per totum terrarum orbem propagatæ. Id ipsum constat de jure civili; siquidem *lib. 1. ff. de legibus* dicitur: *lex est commune præceptum; & l. jura eodem titulo, Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Idem constat de legibus Canonicis; nam Canones, & decreta à Patribus edita, dicuntur esse leges publicæ. Hinc Gregorius IX. in proœmio decreti. Ait, *Ideo lex proditur, ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut bonè vivat, informetur.* Quapropter *1. ff. de legibus*, definitio legis traditur in hunc modum *Lex est commune præceptum virorum prudentium consilium, delictorum quæ sponte, vel ignorancia contrahuntur correctio, communis reipublicæ sponso.*

*Probatur secundò*: Tum ex eo quòd lex est principalis actus prudentiæ Politicæ, vel Regalis, quæ per se primò respicit bonum totius reipublicæ aut communitatis cui præscribitur; adeoque non ad unam dumtaxat personam, sed ad totam communitatem ordinatur; Tum quia, ut constat infra, de ratione legis est, quòd sit perpetua: sed nulla persona particularis pro hoc mortali statu, pro quo maximè lex præscribitur, potest esse perpetua: Ergo ipsi lex formaliter sumpta præscribi non potest, sed communitati; quæ catenus censetur esse perpetua, quatenus per continuam successionem perseverat.

*Objicies 1.* In jure Canonico lex distinguitur in *privatam, & publicam*; & hanc quidem Canones *cap. licet* de regularibus, & *cap. due sunt*, volunt præscribi communitati, illam verò privatæ personæ. Idem patiter traditur in jure Civili; nam instituit. *De jure naturali, gentium, & Civili*, dividunt leges principis in generales, quæ omnes obligant & personales, quæ non ad exemplum trabuntur quoniam non hoc princeps vult: Ergo de ratione legis non est, quòd feratur pro tota communitate.

*Respondeo*: Per legem privatam in illis Canonibus intelligi votum conceptum ex speciali inspiratione Spiritus sancti, aut ipsammet divinam inspirationem, quæ lex improprie, & metaphorice nominatur; eo quòd scribatur in corde, & ad id quod voto promissum est implendum, impellat, & obliget per modum legis. Ad textum

verò *Institutorum*, dico per legem personalem intelligi eamquæ fertur in favorem, aut in poenam alicujus personæ, & illius successorum, vel cujus executio ad illam personam spectat; sed inde concludere non licet legem non præscribi communitati respectivè, id est, pro illis, ut membris communitatis, & in commune bonum saltem mediatè; quatenus nempe expedit communi bono merita alicujus reipublicæ membri privilegii donari, ut alii inde stimulentur, & accendantur ad promovendum ipsius reipublicæ bonum per egregia facinora, & opera studiosa.

*Objicies secundò*: Lex est regula moralium operationum hominis: at non tantum communitas hominum; verum etiam singuli homines hac regula indigent, ut ad præscriptum sibi finem dirigantur: Ergo lex per se non dicit respectum ad solam communitatem humanam, sed etiam ad singulos homines singulatum, & in individuo spectatos.

*Confirmatur*: Lex maximè dirigitur ad personam, per quam debet impleri: Ergo potius dirigitur ad personam veram, quàm ad fictitiam; fictio namque semper supponit veritatem quam imitatur: at communitas est persona ficta; unusquisque autem particularis homo censetur esse persona vera: Ergo potiori ratione lex dirigitur ad singulos homines, quàm ad totam communitatem.

*Respondeo*: Legem non dici communem præcisè, quia soli præscribitur communitati, ut communitas est, & quoddam corpus mysticum abstractivè consideratum; sed quia generaliter proponi debet servanda ab omnibus membris illius mystici corporis cui præfigitur tanquam regula operandi rectè. Qua ratione patet etiam responsio ad confirmationem; lex enim generaliter proponitur, ut ad omnes, & singulos pertinere possit juxta exigentiam temporis; quo pacto verum est illam dirigi magis ad personas veras quàm ad fictas. Uno verbo, lex secundum præscriptum, & designationem, immediatè ad totam communitatem spectat: at secundum executionem directè fertur in singula ejusdem communitatis membra; sicque magis dirigitur ad singulares personas quàm ad ipsam communitatem.

*Objicies tertio*: Quando lex fertur pro communitate, vel solum obligat communitatem ut sic, vel etiam comprehendit singula ejusdem communitatis membra: si primum, tunc communitas se gerit ut particularis

persona, subindeque lex poterit dirigi ad unicam dumtaxat personam: si secundum meritò etiam inde concluditur legem pro uno tantum ferri posse; si nempe ita illi expediat.

*Respondeo*: Legem ordinariè ferri ad communitatem non collectivè, sed distributivè: ea scilicet ratione, ut ab omnibus, & singulis de communitate servetur, cum distributione accommoda juxtà legis conditionem. Potest nihilominus aliquando lex ferri in ipsam communitatem, ut communitas est: præcipiendo videlicet, aut prohibendo aliquem actum, qui ab illa sola, ut communitas est, exerceri debeat, non verò à singulis ejus membris seorsim spectatis, ut constat de statutis, & præfixis legibus quibus interdum Congregationum, Universitatum, Capitulum, Collegiorum superiores ac præfecti tenentur aliqua præstare circa publicam, & communem administrationem talis corporis suæ directioni commissa.

*Objicies* quartò: Præceptum aliquod non videtur esse à lege distinctum: sed præceptum uni dumtaxat personæ præscribi potest: Ergo & lex. Minor constat, Major verò probatur; potest enim aliquod præceptum præscribi propter commune bonum, & ex potestate regendi rempublicam, & singula ejus membra ad debitum finem ordinandi: at in eis maximè viget ratio legis: Ergo, &c.

*Nego majorem*, præceptum enim, & lex distinguuntur invicem, etsi fortè non physicè, & quoad species naturales actuum; saltem distinguuntur moraliter; quia nempe lex alias habet condiciones quàm præceptum; licet enim omnis lex sit præceptum, non tamen omne præceptum est lex, sed oportet ut speciales condiciones habeat quibus à præcepto distinguatur. *Primò*, namque præceptum, licet præscribi possit toti communitati, id tamen necessariò non exigit, sed potest imponi personæ particulari: lex verò semper communitatem personarum necessariò respicit, ut probatum est. *Secundò*, præceptum expirat morte, vel amotione imponentis, etiamsi absolutè, & sine ulla temporis limitatione præscribatur; lex autem non cessat per mortem legislatoris; cum ex natura sua postulet esse perpetua. *Tertiò*, præceptum potest imponi à quocumque superiore; lex autem ferri nequit, nisi ab eo qui vel à Deo, vel à republica supremam ac legislativam potestatem obti-

net; subindeque longè diversa est præcepti, & legis ratio.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**A**D Legis naturam spectat, quòd propter bonum commune præscribatur.

Probatur primò ex distinctione 4. c. *erit autem lex*, ubi legimus quòd lex nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate debet esse conscripta. Quod utique desumitur ex sancto Isidoro *lib. 5. Etymolog.* idque conforme est fancito duodecim tabularum. *Salus populi suprema lex est.* Confirmatur ex S. Basilio *Homil. 141.* in principium Proverb. non longè ab initio, ubi dixit. *Si regnum est legitima potestas palam est quòd præcepta vitæ à Rege edita qui sanè verè hac appellatione dignus est multum momenti, ac pensi habent, ut potè, quod in comune omnibus utile est, respicientia, & non ad propriæ utilitatis scopum ordinata.* Ibidemque addit, *in hoc tyrannum à rege differre, quòd ille sua ipsius quomodocumque respicit ac tuetur: hic subditis consulere tantum querit.*

Confirmatur insuper ex consensu omnium prophanorum, maximè verò Platonis *dialog. 1. de legibus*, ubi ait, *Legislatores communis pacis gratia leges condere debere.* Item Aristotelis 4. *Politic. cap. 1. Leges*, inquit, *ad communem populi salutem sunt accommodandæ.* Similiter Ciceronis, qui *Lib. 1. de legibus* ait, *Constat leges pro salute reipublice tuendæ esse instituendas.*

*Suffragatur* pariter ratio. *Primò* quidem, quia publica potestas de se in bonum publicum est ordinata: lex autem omnis emanare debet à publica potestate: debet ergo in bonum publicum ordinari. *Deinde*, Lex omnis, aut est à Deo legislatore, vel ab homine: si à Deo, ordinatur in bonum commune; quia vel est à Deo ut auctore nature, vel ab eodem ut auctore gratiæ: at utroque modo in bonum commune ordinatur, nimirum ad beatitudinem æternam in qua homines ultimo suo fine potiuntur. Si ab homine, etiam in bonum commune dirigitur: nam reges, & principes non sunt domini, sed administri regni illius, juxtà illud Sapientiæ 6. *Cùm essetis ministri regni ejus, non rectè judicastis.* Et ex illo Apostoli ad Romanos 13. *Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes*: Ergo non habent potestatem legum condendarum nisi in bonum commune: liqui-

liquidem omnis potestas, quam in subditos exercent, est, vel à Deo, vel à populo: si à Deo, constat eam conferri propter bonum commune, quod Deus præcipue intendit: si à populo, idem patet; nam sicut illam conferunt omnes, ita eo fine, & animo conferunt, ut ad publicum ipsorum bonum exercentur, non verò ad privatum dumtaxat ipsius Principis commodum: unde in Concilio Toletano 8. capite 10. Præcipitur, *ut qui eligitur in regem, juret non prospicere proprii jura commo- di, sed prospicere patriæ gentique suæ.*

*Denique:* Hæc veritas inductione patet; nam lex naturalis de se tendit ad bonum commune totius naturæ humanæ: leges divinæ positivæ ordinantur ad Dei gloriam, & hominum utilitatem juxta illud Isaïæ 51. *Lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet.* Leges quoque humanæ tam civiles quàm Ecclesiasticæ, ordinantur ad bonum commune; alioquin veræ leges non essent censendæ; nam potestas ferendæ leges non est hominibus concessa, sive à Deo, sive à republica, ut ea utantur pro libito, & absque ratione; nam ipsa etiam amplissima Apostolis concessa potestas data erat *in ædificationem, & non in destructionem*, ut docet S. Paulus 2. *Corinth.* 10. Quapropter Legislatores ea potestate debent uti ad finem legis assequendum; nempe reipublicæ bonum, & publicam foelicitatem.

*Objicies primò:* Multæ sunt leges quæ ad privatum bonum dumtaxat ordinantur, qualis est lex naturalis de tuenda propria vita, etiam cum aliorum vitæ dispendio: talis pariter lex de elemosyna pauperibus eroganda, quæ solam illorum particularem utilitatem respicit: talis lex de correptione fraterna, quæ particularis hominis emendationem respicit: tales denique leges Ecclesiasticæ de percipiendis Sacramentis putà annua confessione facienda, & sacra Synaxi in Paschate suscipienda.

*Confirmatur,* Etsi nulla profus esset reipublica, unusque dumtaxat homo existeret, non minùs in eo vigeret lex naturæ, dum enim primus Parens solus erat, non debebat absque lege, siquidem naturalis lex in eo vim obtinebat: talis autem lex tunc non potuit ordinari in bonum commune, quia tunc nulla erat hominum societas, nullaque reipublica: Ergo, &c.

*Respondeo* concessio antecedente, negando consequentiam: aliud namque est loqui

de materia proxima circa quam lex versatur, aliud de motivo formali propter quod circa talem materiam occupatur; Fateor equidem quòd materia proxima circa quam præfatae leges in objectione immediatè versantur, sit bonum particulare; tamen non occupantur circa illud nisi propter moti- vum boni communis quod per se primò lex respicit: interest enim reipublicæ vitam civis cujuslibet conservare; alioqui ipsa reipublica extingueretur, utpote quæ nonnisi ex privatis coalescit: interest pariter ne cives egeant, aliàs essent in periculo vitæ quæ ad bonum reipublicæ spectat. Unde licet lex de elemosyna facienda respiciat bonum privatum particularis personæ, ut materiam proximam; tamen id totum ordinat in bonum commune, ad quod pertinet reipublicæ membra alere, ne pestes aut furta in ea grassentur.

*Idem* dicendum de correptione fraterna, quæ ea solùm ratione spectat emendationem vitæ particularis hominis, ut vitia à republica eliminentur; illa namque societas diu stare nequit, in qua vitium laudatur aut dissimulatur, nec eliminatur. *Idem quoque* dicendum de legibus sacramentorum, quæ licet ad bonum particulare, nempe ad salutem æternam cujusvis fidelis spectent; tamen per se primò ordinantur ad bonum commune, nempe ad cultum Dei, qui est omnium hominum finis ultimus, & bonum commune totius naturæ humanæ, in quo omnes homines communicant.

*Ad confirmationem* dico, quòd etsi nulla esset actu reipublica, non minùs possibilis esset aliqua hominum societas; & cum homo sit animal sociabile, lex naturalis ita ipsum respicit quatenus privatum, ut etiam eum respiciat quatenus est aptus natus ad societatem, & communitatem; adeoque illa lex licet immediatè ad particularem hominem spectet, tamquam subiectum in quo resideat; tamen eo fine ipsi inest, ut eum ordinet ad rectè instituendam societatem cum aliis qui vel existunt, vel possunt existere. Hinc Adamus ita erat cum lege solus, ut tamen natura sua socium appeteret.

*Objicies secundò:* Si lex omnis essentialiter postulare ordinari ad bonum commune, sequeretur quòd cessante communi bono, & publica utilitate, cessaret pariter legis vigor, & obligatio; quia, cessante motivo legis, lex quoque ipsa definit: at falsum est consequens; licet enim v. g. certò cognoscat ali-

aliquis quod Ecclesia nullum patiatu-  
r detrimentum ex eo quod Petrus moram contrahat  
conversetur cum publicè excommunicatis,  
ramen ex communi sententia non debet  
cum ipsis commorari: Ergo leges non sem-  
per ordinantur in bonum commune.

*Distinguo sequelam:* Deberet cessare legis  
vigor, & obligatio, si publica autoritate  
vel aliquo æquivalenti declararetur motivum  
legis cessare, Concedo; fecis, Nego; si-  
cut enim publica autoritate declaratur  
quod lex obligat; ita pariter necessum est in-  
terveniat aliquid publicum, quod insinuet  
motivum legis cessare; puta vel iudicium  
Principis, vel totius communitatis, vel sapientium  
penes quos communitatis iudicium  
depositum esse conjici potest: nam motivum  
legis ut omnino esse desinat, non sufficit ut  
cesset respectu alicujus particularis, vel ali-  
quorum de communitate; sed cessare debet  
respectu majoris saltem partis communitatis;  
alioqui particulares, quos non respicit mo-  
tivum istud, non desinunt lege teneri v. g.  
motivum cur Concilium Tridentinum de-  
claraverit imposterum matrimonia clande-  
stina fore invalida, fuit ut occurratur variis  
fraudibus, & malis quæ in ejusmodi genere  
matrimoniorum contingere solent. Unde licet  
aliquis bona fide, & absque dolo matri-  
monium clandestinum contraxerit, ex quo  
nulla suboriantur incommoda, & mala  
propter quæ prohibita sunt matrimonia  
clandestinè inita, propterea non desinit ta-  
le contractum matrimonium esse invali-  
dum; nam licet ratio, & motivum legis  
cesset in hoc casu particulari non propte-  
rea cessat in communi cui particulare bo-  
num cedere debet.

*Dices tertio:* Leges & edicta Principum  
quibus præscribunt, & exigunt tributa, ve-  
rè sunt leges: at illæ nullatenus respiciunt  
bonum commune subditorum, sed solum  
privatam regis utilitatem: Ergo non est  
de ratione legis quod ad bonum commu-  
ne ordinetur.

*Distinguo Minorem:* Leges illæ pendendo-  
rum tributorum respiciunt privatam regis  
utilitatem ut materiam proximam, Con-  
cedo; ut unicam, Nego; ordinantur siquid-  
em ad ipsius reipublicæ salutem, &  
securitatem, ut nimirum Rex per vesti-  
galia possit, & comparare milites quibus  
republica adversus hostes protegatur, &  
in omnibus ipsius reipublicæ communi bo-  
no providere.

*Petes, utrum Legislator non intendens bo-  
num commune reipublicæ, sed in eam odio  
ductus leges ferat, quæ tamen de se in bonum  
commune tendant: utrum, inquam, leges il-  
læ veræ, & legitime sint appellandæ?*

Affirmo, quia illa prava intentio legis-  
latoris est merè personalis, nec redundat  
in actum quatenus ad utilitatem commu-  
nem spectat; sicut enim prava iudicis in-  
tentio non refert ad valorem sententiæ,  
dummodo illa non sit contra æquitatem;  
& sicut prava intentio ministri non offi-  
cit Sacramento, modò non sit contra ejus  
substantiam, puta si conferendo Sacra-  
mentum revera quidem intendat facere quod  
intendit Ecclesia, sed pravum aliquem si-  
bi finem proponat, nempe vel lucrum  
vel aliquid aliud pravum; ita in præsentì  
bonum commune in ipsa lege spectandum  
est, non verò in ipsa intentione legisla-  
toris. Quam utique sententiam aperè tra-  
dit S. Augustinus lib. 5. de arbitr. scribens,  
*Lex quæ tuendi populi causa lata est, nullus  
libidinis argui potest; siquidem ille qui tulit, si-  
Dei jussu tulit, idest, quod præcepit æterna ju-  
stitia, expers omnis libidinis id agere potuit.  
Si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit,  
non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtem-  
perare necesse sit, & quia bona lex, & à bo-  
no ferri potest.* Cujus etiam alteram ratio-  
nem indicat infra scribens, quod licet il-  
le cum libidine legem tulerit, tamen po-  
test illi legi sine libidine obtemperari. Quare  
licet legislator peccet defectu bonæ inten-  
tionis, quam erga bonum publicum ha-  
bere debet; quia tamen ista constitutio de  
se ordinatur in bonum commune, suffi-  
cit ut censeatur habere conditionem hanc de-  
sideratam ad veram, & propriè dictam legem.

*Petes secundò quando nam lex censeri possit  
in bonum commune rectè ordinari.*

Respondeo tunc censeri quamlibet legem  
sic rectè justèque ordinari. Primò quando  
vel mediatè vel immediatè Dei gloriam res-  
picit, & ad finem ultimum supernatura-  
lem conducit. Hinc Leges omnes civiles  
iniquæ sunt, nec rationem legis, vigorem,  
ac dignitatem obtinent, si Dei, vel Ec-  
clesiæ ordinationi repugnent: Unde Can.  
*Non licet*, dist. 10. ita statuitur, *Non licet Im-  
peratori, vel cuiquam pietatem c. studienti ali-  
quid contra divina mandata præsumere, nec quid-  
quam quod Evangelicis, vel Prophetis, aut A-  
postolici regulis obviet, agere.* Et Can.  *suscepti-  
ne*, decernitur quod *Constitutiones Principum*

*Ecclesiasticis legibus postponendæ sunt: ubi autem Evangelicis atque Canonicis decretis non obviaverint, omni reverentia dignæ habeantur. Hinc Simmachus Papa epist. 7. quæ est ad Anastasium Imperatorem ita scribit: Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigant voluntates: Ceterum si omnis potestas à Deo est, magis ergo quæ rebus est præstita divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in re: Ceterum si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio cujus jura contemnis. Et S. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 21. Quæ justitia est hominis, inquit, quæ ipsum hominem vero Deo tollit? at omnis Lex justa esse debet.*

*Secundò, Lex censetur in bonum commune ordinata, dum respiciens civitatem, v. g. quæ est pars regni, magis respicit bonum regni, quam bonum civitatis: Secus verò si contrarium accidat; bonum enim partis postponendum est bono totius.*

*Tertiò, Ut Lex sit in bonum commune, non requiritur ut in bonum omnium aliorum regnorum cedat, sed potest censi in bonum commune ordinari si regno cui præscribitur sit utilis: cum enim plura regna non sint sibi invicem subordinata, neque unum sit pars alterius, sicut civitas est pars regni, non est necesse quòd ubi Lex uni regno est utilis, aliis etiam regnis proficere debeat: Nihilominus quantum fieri potest, providere debet Princeps ne legem suis subditis utilem ferendo, vicinis obstit, ubi utrorumque utilitas procurari potest. Si tamen non possit Princeps bono sui regni prospicere absque aliquo vicinorum incommodo, non minus legitime potest ferre legem quæ cedat in bonum commune sui regni, esto futura sit in vicinorum perniciem; quia ante omnia debet regni sui communi bono invigilare.*

### CONCLUSIO TERTIA.

**N**on posset Princeps justè Leges ferre quibus bona particularia subditorum ita in proprium ipsius commodum cedant, ut nullatenus etiam remotè ad bonum commune subditorum ordinentur. Quod utique probatur primò ex Script. Deuter. 17. ubi præscribitur forma regni, & juris dicendi in hunc modum. *Cum fuerit constitutus ( Rex ) non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus*  
Frassen Theol. Tom. VI.

*.... non habebit uxores plurimas, quæ alligant animam ejus, neque argenti, & aurum immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israël. Quo divino edicto regibus præscribitur servanda in Deum pietas, in Religionem zelus, in subditos prudens ac clemens administratio, & in scriptis ordinata moderatio.*

*Hinc 3. Regum cap. 21. severè animadvertit Deus in Achab, & Jezabel eo quòd vineam Naboth Jezraelitæ per vim occupaverint; Et Ezechielis 34. graviter arguuntur Pastores, quo nomine omnes superiores designantur, quòd pascant semetipsos. *Ve, inquit, Pastoribus Israël qui pascebant semetipsos: Nonne greges à Pastoribus pascentur? Lac comedebatis, lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consoludastis, & quod egrotum non sanastis, quod contractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non questivistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Similem reprehensionem habet adversus Principes cap. 22. Hinc cap. 36. statuit Deus: *Non accipiet Princeps de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hereditatem dabit filiis suis.***

*Probatur eadem veritas ex Concilio Tolitano VIII. cap. 1. in quo habetur Reges Gothorum Christianos dum principatum instituebant, & inducebant, tales debuissent existere, quales his verbis describuntur: Erunt Catholica fidei assertores, erunt in actibus, judiciis, & vita modesti, erunt in provisionibus rerum parci, potius quam extenti, ut nulla vi aut factione scripturarum, vel definitionum qualiumcumque contractus à subditis, vel exigant, vel exigendos intendant: erunt non prospectantes proprii jura commodi, sed consules patriæ atque genti.*

*Simile quid statutum fuit in Concilio Parisiensi coaëto circa annum Christi 829. sub Ludovico, & Lothario Imperatoribus; ubi inter ea quæ ad justitiam Regis pertine-*

re agnoscuntur, primum locum habet istud, *Neminem injuste per potentiam opprimere*: at quando bona subditorum in bonum suum privatum, & nullo modo in publicum Princeps convertit, ille per potentiam subditos opprimit: Ergo, &c.

*Hanc veritatem* disertè explicat S. Bernardus lib. 3. de Considerat. ad Eugenium summum Pontificem cap. 3. ubi ait; *Præes, & singulariter: ad quid? eges, tibi dico, consideratione: Numquid ut de subditis crescas? Nequaquam, sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi. Alioqui quo pacto te reputas superiorem his à quibus beneficium mendicis? Audi Dominum: Qui potestatem habent super eos beneficii vocantur. At istud de his qui foris sunt. Quid ad nos? Tu id mendaciter diceris, si non tam beneficus esses, quam beneficiis præesse intendas. Parvi, dejectique animi est, de subditis non profectum querere subditorum, sed questum proprium. . . Non mediocris gloriæ vox illa identidem ipsius: Non requiro datum sed fructum. Et infra cap. 4. subdit, *Quid tam indignum tibi, quàm ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius tibi credita universitatis, tanquam non sint tuæ, satagas nescio quomodo ad huc facere tuas? Ubi etiam meminisse te volo parabole Nathan de homine qui multas oves habens, unam quæ erat pauperis concupivit. Huc quoque veniat factum, imò facinus regis Achab, qui verum summam tenebat, & unam vineam affectavit: Avertat Deus à te quod ille audivit: occidisti & possedisti.**

Firmatur pariter hæc veritas triplici ratione, quam subministrat auctor libri de regimine Principum lib. 3. cap. 11. *Primò* namque verus Princeps Deum debet imitari, cuius virtute imperat: atqui Deus ita regit homines propter ipsorum salutem, ut inde sibi nihil acquirat: Ergo Princeps bonum commune querere debet, non verò suum privatum. *Secundò*, Principis non est respublica, sed Princeps est reipublicæ, juxta illud Senecæ lib. 2. de Clementia. *Scias nec Rempublicam tuam esse, sed te Reipublicæ.* At qui est reipublicæ totus deditus, illius dumtaxat, & non alterius bonum procurare tenetur: Ergo, &c. *Tertiò* denique; Quemadmodum Episcopus, ut talis, procurare tenetur, quantum potest, salutem animarum, & se totum dare in bonum æternum eis comparandum; unde vulgatum illud, *Quòd Christiani sumus propter nos; quòd Præsbyteri,*

*& Episcopi, propter vos:* Sic Princeps patri ratione invigilare debet in bono temporali suis subditis comparando. Unde sicut culpandus esset Episcopus, qui spreta vel neglecta pastoralis sollicitudine, totum sese in secessu contemplationi daret, licet privatae salutis ea ratione studere sibi proponeret; ita, & qui in propriam utilitatem intenderet Princeps, nec procurando ac stabiliendo bono communi incumberet, maxime videretur esse culpandus.

*Dices primò*, Populo Judaico Regem postulanti 1. Regum cap. 8. Samuel vice Dei respondit, *Hoc erit jus Regis qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, &c. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis, &c.* Ergo Princeps jus habet in privatum commodum bona subditorum per leges, & edicta convertendi.

*Nego consequentiam*, Jus enim ibi editum, non est jus Regium legitimum, sed tyrannicum, atque hominum violentia, & perverforum Principum insolentia introductum, ut apparet ex ipso contextu: Siquidem refertur quòd populus Regem à Samuele petendo, *Displicuit sermo in oculis Samuelis:* Cumque hac de re Deum consulisset, indignatus Dominus respondit ad Samuelem, *Non te abjecerunt sed me, ne regnum super eos, &c.* Quapropter haud dubium est, quòd Deus in penam perduellis illius populi, illi loco Regis quem expostulabat, tyrannum ejusque violentum regimen exposuerit ut explicat Clemens Alexandrinus lib. 3. Pedagogi cap. 4. *Petenti Regem populo, inquit, non humanum pollicetur Dominum, sed quemdam insolentem se eis daturum minatur tyrannum.* Et S. Gregorius Magnus ad præfata verba: *Cum, inquit, jus Regis prædicitur, nimirum in unius carnalis præpositi conversatione, ostenditur quid carnales ceteri ex tyrannide facturi sunt non quod electi debeant imitari.* Nam in eadem Regum historia legitur, quòd dum Rex Achab Naboth vineam abstulit, iram Dei omnipotentis incurrit: Hic verò cum jus Regis prædicitur, agri, vineæ, & optima oliveta tollenda esse memorantur. Cum ergo hic prædicitur, quòd commissum illic unicum est, ostenditur quòd divino judicio non jubetur.

*Objicies secundò*, illud Christi Lucae 22. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potest.*

testatem habent super eos benefici vocantur : quibus verbis discrimen videtur statuere inter potestatem regiam, & eam quam erat ipse instituturus, ut potestati civili tribuat hanc auctoritatem quod dominentur subditis, eorumque sint reverà Domini: at Dominus potest servorum bona in proprium commodum convertere: Ergo potiori jure possunt Principes leges, & edicta sancire, quibus particularia subditorum bona in proprios, & privatos usus convertant.

*Respondeo primò*, quòd eo loco non agitur de regimine omnium Regum, sed solum de ordinaria administratione Regum gentium, qui cum tunc temporis omnes essent dæmonum cultores, vixque eorum ullus justam administrationem haberet, nullus, arbitrator, dixerit eorum regimen Christianis Principibus tanquam exemplar esse proponendum.

*Respondeo secundò*, per illa Christi Domini verba potius illum regnandi modum improbari, quam approbari; siquidem voluit Christus Discipulos suos ab ejusmodi regnandi, tum appetitu, tum specimine deterrere; subjungit enim; *Vos autem non sic*.

*Tertiò denique* dico, eo loco potius contrarium quam intendat objectio, colligi posse; siquidem ibi agitur de Principibus, qui licet dominentur Gentibus, tamen appellantur *benefici*, non alia certè ratione, nisi quia magis in commune subditorum bonum, quam in suum privatum intendebant.

*Instabis*, Reges reverà sunt Domini subditorum; siquidem eis dominantur: at Dominus potest disponere de bonis servi sui in suum privatum commodum: Ergo, &c.

*Distinguo majorem*; Sunt Domini dominatione civili, & politica, concedo; despota, & herili, nego: Minorem similiter distingo: Dominus herilis, & despoticus potest subditorum bona in proprios usus convertere, transeat: politicus, & civilis, nego; Membra namque Reipublice cui Princeps præest, sunt cives, & liberi; non verò servi, aut captivi.

*Objicies tertiò*, Principes Dei vices gerunt: Ergo sicut Deus omnia refert ad seipsum: ita Principes omnia subditorum bona ad suum privatum commodum licitè referre possunt.

*Nego consequentiam*; Ut enim esset legitima antecedentis illatio, sic deberet concludere: Ergo quemadmodum Deus nihil refert in proprium commodum; quia inquit Regius Vates, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: Ita nec Principes referre debent subditorum bona in privata sua commoda; sed quæ ex solutis tributis colligunt, in ipsorum subditorum utilitatem maximè debent refundere.

### QUÆSTIO TERTIA.

*Sitne de ratione Legis ut justa sit, justèque feratur, & quòd obliget in perpetuum, idque sub præcepto.*

**N**otandum 1. Possè legem esse justam, & justè latam, intelligi tripliciter; nempe vel ex parte objecti quod præcipitur; vel ex parte Principis legem ferentis; vel ex parte formæ, & modi secundum quem lex ipsa statuitur.

*Primò quidem* ex parte objecti Lex potest esse justa, & honesta duplici modo, vel negativè; quatenus id quod præcipit aut statuit non est turpe, & inhonestum; vel positivè quatenus nempe id quod præcipit aut statuit est honestum antecedenter ad legem, vel saltem consequenter; quia licet sit de se indifferens, per legem refertur ad bonum finem, & in aliqua materia virtutis constituitur: Possunt enim per leges aliqua statui, quæ antecedenter erant indifferencia; putà abstinere à certo genere ciborum, ferre vestes hujus aut alterius materiæ, vel figuræ, &c.

*Ex parte verò legem ferentis*, Lex potest censerì justa; si nempe illam præscribat ex affectu justitiæ, & honestatis; non autem ex aliquo perverso, & malo motivo ductus, & hoc ad valorem legis non videtur esse necessarium; nam ut diximus, potest Princeps legem validam, & legitimam ferre quæ cedat in commune bonum subditorum, quamvis illam præscribat odio ductus in illos, vel ob alium perversum finem.

*Tertiò*. Lex potest intelligi justè ferri quoad formam, sive quantum ad modum requisitum ex parte legis; qui quidem modus in tribus maximè consistit. *Primò*, ut feratur justè ex parte finis, qui est bonum commune; quod fit quando lex ad

cum finem consequendum aut stabiliendum utilis est. *Secundò*, ut feratur justè ex parte potestatis; nempe ut Legislatores non plus statuatur, quàm illius auctoritas sese extendat, nec aliis quàm suis subditis legem præscribat; actus enim agentium non potest excedere agentis potestatem. *Tertiò*, ut feratur lex secundum æqualitatem proportionis; dum videlicet iusta proportione subditis respectivè imponuntur onera ad bonum commune: Effet enim contra rectam rationem, gravare aliquos subditos supra modum non habita ratione virium, & facultatum. Hinc ubi secus accidit, leges illæ non obligant in conscientia, nisi propter vitandum scandalum, vel seditionem, ac perturbationem publicam præpediendam; in his enim casibus homo qui libet particularis suo juri cedere tenetur.

Advertit tamen Suarez *lib. I. cap. 9. nu. 16.* ad nullitatem legis ex hoc capite requiri tantam improportionem, & iræqualitatem, ut redundet in detrimentum commune, & in grave injustumque onus plurimum membrorum communitatis; alioqui enim si lex de se sit utilis, & gravamen, aut excessus sit paucorum, non propterea lex erit omnino nulla, neque definet alios obligare: sed illos solos non obligabit quoad excessum, qui injustè gravantur: Quod ut clariùs appareat,

*Notandum 2.* Quod ad hoc ut lex obliget, & justè feratur, tres justitiæ virtutis species in ea ferenda desiderantur: Prima est *Justitia Legalis*, cujus est commune bonum intendere, & consequenter jura communitati debita servare. Unde lex iusta dignoscitur ex fine boni communis quem respicit. Secunda est *Justitia Commutativa*, ad quam spectat ut Legislatores non aliis præcipiat, quàm subditis suis; quæ justitia maximè necessaria est ad legis valorem; nam ut mox diximus, si Princeps legem ferat pro non sibi subditis, suam potestatem excedit, peccatque contra justitiam commutativam respectu illorum quibus legem præscribit; etiamsi actum de se honestum, & utilem præcipiat. Tertia denique est *Justitia Distributiva*, quæ etiam in lege requiritur; nam præcipiendo multitudini quasi distribuit onus inter partes reipublicæ in ordine ad ejus bonum stabiliendum; & idèò necessum est, ut in ea distributione servet æqualitatem proportionis, quæ ad justitiam distributivam perti-

net, & idèò injusta erit lex si inæqualiter onera dispenset. Unde legis injustitia spectari potest vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ: Ex parte quidem materiæ si præscribat quædam impossibilia, divino cultui, naturalique inclinationi adversantia, & communi bono ac honestati repugnantia: Ex parte verò formæ potest esse injusta, vel ex fine privati commodi, & non communis boni; vel ex parte agentis, ac defectu boni; vel ex parte actus formæ, seu justæ distributionis. An autem hæc omnia vera sint, utrum videlicet ut lex sit justa, justèque feratur; has omnes conditiones involvere debeat, hic erit resolvendum.

*Notandum 3.* Duplicem à Philosophis solitò distingui perpetuitatem; unam quidem ex parte initii, quam vocant à *parte ante*; aliam ex parte finis, quam à *parte post* appellant. Hic autem maximè sermo est de perpetuitate in futurum, ex quo lex semel est præfixa, & lata. Quæ perpetuitas ulterius distingui potest, in perpetuitatem simpliciter, qualis est æternitas; vel in perpetuitatem secundum quid, qualis est diuturna temporis duratio, quam interdum Scriptura sacra ævum, & sæculum æternum appellat. Perpetuitas autem de qua sermo est in præsentii quæstione, maximè significat legis stabilitatem, qua fit ut habeat suum esse cum valore, ac efficacia ita firmum, & permanens, quantum est ex vi suæ originis, & constitutionis, ut de se semper perseveret, aut saltem per indefinitum, vel diuturnum tempus. *Rursus* hic modus perpetuitatis potest esse duplex, unus quidem *negativus*, alter *positivus*. Negativus est quando lex indefinitè fertur, & idèò indefinitam habet durationem, licet revocari possit; qualiter suspensio dicitur perpetua negativè, quæ inducitur sine termino. Positivè autem perpetua dicitur lex, quæ natura sua vel per expressa verba fertur, ut semper duret, & revocetur nunquam; sic depositio, & degradatio dicitur suspensio perpetua: An autem, & quæ perpetuitas ad legitimam legem desideretur, declarabitur infra.

His prælibatis duo maximè sunt in præsentii quæstione resolvenda: *Primum*, quod Lex omnis justa debeat esse. *Secundum*, quod ex se perpetuò sit duratura.



## CONCLUSIO PRIMA.

**D**E natura legis est ut sit justa, & iuste lata, ex parte objecti, Legislatoris, & forma: Hæc Conclusio tres partes complectitur, quæ simul probantur. Primò quidem autoritate SS. Patrum, maximè verò S. Augustini lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. cum dicit, *Mibi lex esse non videtur, quæ iusta non fuerit*. Et de eadem intelligi potest, quod dicit lib. de vera religione cap. 31. *Conditor legum temporalium, si vir bonus est, & sapiens, legem consulit æternam, ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore vitandum, jubendumque discernat*. Unde sicut lex æterna solum iusta præcipit, quia est ipsa iustitia per essentiam, ita vera lex humana esse debet participatio ejus, & ideo non potest validè præcipere nisi iusta, & honesta. Hoc ipsum docet S. Isidorus lib. 5. *Ety-molog. cap. 2. affirmans legem honestam, justam, & possibilem esse debere*: Idemque refertur distinct. 4. *erit autem lex*.

*Probatur 1. ex fine legis, qui est homines bonos facere. Unde Aristoteles 2. Ethicorum cap. ait, Legum latores, ipsos cives assuefacientes bonos efficere. Et lib. 3. politic. cap. 4. dicit, Civitatis finem esse bene vivere, & honestatem aliquam participare: Et cap. 6. addit, De virtute, & vitio cogitant quicumque curam habent bene instituendi civitatem.*

*Probatur etiam ratione: Primò quidem: Omnis potestas ferendi leges vel divina est, vel à Deo emanat, juxta illud Sap. 8. Per me Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt: Quæ autem sunt à Deo, inquit Apostolus ad Rom. 3. ordinata sunt; Deus enim qui summè bonus est, & rectus per essentiam, non potest suis legibus statuere nisi iusta, & honesta: Ergo nec alii Legislatores, qui potestatem à Deo derivatam, & ipsi subditam habent, non in destructionem, sed in adificationem. Deinde, Nullus inferior potest obligare contra legem, & voluntatem superioris: sed lex præcipiens actum prævum, & inhonestum, esset contra legem Dei prohibentis illum: Ergo nulla lex potest obligare ad aliquid turpe, & illicitum; nam inde sequeretur nos habere simul duas obligationes contradictorias, & teneri facere aliquid, quia lex humana id præciperet; & non facere, quia id ipsum divina lex prohiberet. Denique, Deus non potest licitè offendi: sed si aliqua lex præscriberet aliquid à Deo veti-*

*Erassen Theol. Tom. VI.*

tum, & illicitum, sequeretur quòd Deus impunè, & illicitè posset offendi, offenderetur quidem, quia aliquid ab ipso vetitum fieret, idque fieret licitè; quia nempè lege cautum, & sancitum esset: Ergo, &c.

*Dices: Nonnullæ sunt humanæ leges quæ malum permittunt: Ergo lex potest esse injusta ex parte objecti.*

*Distinguo antecedens, Aliquæ leges humanæ permittunt malum, & quod intrinsecè illicitum est, statuendo ut liceat illud patrare, nego: Permittunt illud non vindicando nec arguendo, propter videlicet majus aliquod bonum inde oriendum, & majus malum declinandum, concedo; Hæc autem permissio non est mala, sed honesta, & rationabilis; aliud enim est malum ipsum, & aliud permissio mali per simplicem tolerantiam: quamvis enim malum sit turpe, & illicitum; potest tamen iustis de causis interdum tolerari à superioribus, ne severitas in illo puniendo sit causa majoris mali, putà perduellionis subditorum; est enim rectæ rationi congruum è duobus malis simul inevitabilibus vitare ac declinare id quod majus est.*

*Ex iis collige nullam pariter legem ferri posse de impossibili simpliciter aut moraliter, hoc est, valde difficili; tum quia quidquid cadit sub legem, cadit aliquatenus sub libertatem; quatenus scilicet ab illa pendet ut fiat, vel non fiat; vel ut sit, aut non sit, sicut præcipitur aut statuitur: at impossibile non cadit sub libertatem; unde rectè S. Augustinus ait lib. de Fide contra Manichæos cap. 10. *Quis non clamat stultum esse præcepta dare ei cui liberum non est quod præcipitur facere: & iniquum eum damnare, cui non fuit potestas iusta complere?* Et lib. de Natura, & Gratia c. 43. *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis*, quæ verba ex eo desumpsit Conc. Trid. Sess. 6. c. 11. addens, *& adjuvat ut possis*. Quam utique veritatem fuis probabimus in sequenti Tomo Disp. de gratia; ubi demonstrabimus gratiam esse necessariam, & sufficere ad omnem divinam legem implendam.*

## CONCLUSIO SECUNDA.

**D**E ratione Legis est quòd Lex ex se stabilis sit, permanens, ac duret, & obliget quousque revocetur; subindeque aliquomodo debet esse perpetua.

*Probat*ur 1. ex communi consensu iurisperitorum, qui maximè hoc discrimen assignant inter præscriptum datum per modum præcepti personalis, & latum per modum legis seu constitutionis; quòd purum præceptum expirat per mortem præcipientis; Lex verò per Legislatoris obitum non extinguitur. Cujus quidem differentia ratio petitur ex natura ipsius præcepti, & legis; nam lex cum feratur communitati, & pro bono communi, videtur ferri à Principe nomine ipsius, & autoritate ipsius reipublice: Subindeque cum semper respublica maneat, perseverat etiam legis vigor, etsi Princeps moriatur: At verò præceptum singulare alicui præscribitur à Principe vel Superiore, ut curam illius gerit; non enim Princeps aut Superior respicit dumtaxat bonum commune; sed etiam bonum singulare hujus aut alterius subditi aut inferioris; & ideo cum præceptum ferat, quatenus ad ipsum pertinet cura singulorum civium, quæ cura expirat per mortem vel mutationem Superioris, ideo etiam ipso desinente, præceptum desinit.

*Confirmatur* hæc veritas per inductionem; nam lex aeterna cum in divina mente existat, perpetua est, & immutabilis; licet enim quatenus respicit creaturas, secundum diversum earum existentia modum eis leges præscribat, non pro toto tempore, sed juxta modum ab ipso Deo definitum; nihilominus lex semel juxta illum modum à Deo concepta ex parte Dei, & in divina ejus mente, immutabilis perseverat. Similiter lex naturalis, quæ est quædam participatio aeternæ legis, etiam dici potest absolute perpetua, tam ex parte mentis in qua scripta est, quam ex parte objecti; prohibet enim quæ intrinsecè mala sunt, & præcipit quæ per se sunt necessaria: Quod autem necessarium est, perpetuum est; & ideo immutabile dicitur à Gratiano *d. 5. in principio*. Lex etiam divina veteris Testamenti perpetua fuit constanter omnes obligando usque ad adventum Christi, & donec successit lex Evangelica, ad quam ut ad perfectiorem disponebat. Pariter Lex divina novi Testamenti perpetuitatem sibi vendicat: siquidem duratura est usque ad mundi finem. Idem dicendum de omnibus legibus tam Civilibus quam Ecclesiasticis, quæ debent esse permanentes, & stabiles, ut congruant administrationi humanæ communitatis, quæ stabilitatem, & uniformitatem postulat. Hinc leges dicuntur esse quasi reipublicæ

fundamenta, quibus nixa hæret inconcussa, & in bono, ac pace perseverat.

*Nec refert*, quòd plurimæ quàm humanæ leges tam Civiles quam Ecclesiasticæ, quæ temporis successu abrogantur, & pereunt: Hic enim non loquimur de perpetuitate positiva, quæ nusquam varietur; sed negativa, quæ tandiù duret, donec vel contraria consuetudine, vel expresso Principis mandato revocetur; Hæc enim perpetuitas sufficit ad distinguendam legem à præcepto, quod non modo negativè, sed etiam positivè temporale est durans tantum ad vitam præcipientis, nisi per succedentem superiorem innovetur, ac confirmetur.

*Ad faciliorem* autem præfatorum intelligentiam, & confirmationem, advertendum est cum Suarez *lib. 1. c. 10. nu. 7.* triplici respectu legem aliquam perpetuam dici. *Primò* quidem respectu ferentis; quia durat lex illo etiam amoto, vel mortuo; non enim expirat lex per mortem Legislatoris; alioquin in Republica maxima fieret legum humanarum mutatio, non sine magno ejus detrimento. *Secundò*, ex parte subditorum, ad quos fertur; quia non tantum obligat præsentis, qui vel nati sunt, vel territorium incolunt cum lex fertur, sed etiam eorum successores postea natos, vel denuò ibi habitantes. *Tertiò*, ex parte ipsius legis; quia semel lata semper durat, donec vel revocetur, vel materia ejus, aut causa ita mutetur, ut justa esse desinat.

### CONCLUSIO TERTIA.

**L**ex omnis debet esse præceptiva, & obligativa; primaria tamen ipsius ratio non consistit universaliter in eo quòd præcipiat. Hæc complectitur duas partes, quarum prima communis est, & probatur:

*Primò* quidem, quia nulla species legis proferri potest quæ non sit præceptiva; sumendo præceptum in latiori usurpatione; videlicet tam pro affirmativo, quam pro negativo, seu prohibitivo. Nam de lege directà præcipiente, vel prohibente res est manifesta; Constat namque prohibitionem, vel jussionem præferre. Lex autem Permissiva qua aliquid fieri permittitur, virtualiter etiam præceptum importat; præcipit enim ne id quod permissum est, fieri impediatur eo modo, & ordine, quo permittitur: sic v.g. lex quæ permittit uxorem dimitti quantum ad thorum, & cohabitationem

nem propter adulterium, consequenter præcipit ne id fieri prohibeatur. Similiter lex statuens penam vel præmium, præceptum infert iis ad quos spectat, ut pœnam, vel præmium delinquentibus, aut præceptum implentibus retribuunt. Pari modo lex irritans consequenter præcipit ne fiant tales actus, neque illorum amplius ulla habeatur ratio. Item lex statuens, & decernens id quod spectat ad esse morale personarum, vel rerum; ut à quòd tales sint irregulares, excommunicati, incapaces percipiendi fructus beneficiorum: consequenter prohibet ne illi quos irregulares facit, promoveantur ad ordines, neve promoti, illos exercent; ne excommunicatis Sacramenta, & Ecclesiæ suffragia conferantur, & ne cum eis confortium ineat. Similiter ne beneficiarii percipiant fructus quibus jure privantur, & si perceperint, restituant. *Denique*, Lex Declarativa continet præceptum rem ita intelligendi, ut ipsa declarat: & lex purè penalis obligat, vel delinquentem ad suscipiendam, & subeundam pœnam, vel Judicem aut Superiorem ad eam imponendam, & præscribendam.

*Probatur secundò*. Omni legi opponitur aliqua inobservantia legis, quæ est peccatum: sed ipsa peccatum non efficit, nisi lex induceret obligationem præcepti: Ergo omnis lex inducit hanc præcepti obligationem: Major constat, quantum ad primam partem; Quod enim à Legislatore ordinatur, fieri potest aut non fieri; etenim ea quæ ex necessitate sunt, non egent ordinante; quæ autem possunt esse aut non esse, liberè possunt executioni demandari: sed omni executioni liberæ opponitur inexecutio; adeoque omni legi opponi potest aliqua inobservantia.

*Patet etiam secunda pars* ejusdem majoris, tum ex dictis quibus constat peccatum esse legis violationem, tum ex eo quòd Scriptura sacra pro uno eodemque usurpat transgressionem legis, & iniquitatem: Sic primè Joan. 3. *Omnis iniquitas est peccatum, & peccatum est iniquitas*, seu ut fert Græca versio, *Est transgressio Legis*. Minor pariter constat; Nempe quòd non esset peccatum in legis inobservantia, nisi esset ex ea obligatio præcepti; nam peccatum universaliter nullum est, nisi contra aliquam obligationem, adeoque contra rationem præcepti.

*Denique*, ratio legis maximè constituitur

in eo quòd decernat de statu morali personarum, vel rerum, & actionum humanarum: at hoc decretum præcepti rationem importat; nam decernere de hujusmodi statu rerum, vel actionum, nihil aliud est, quàm decernere ut earum rerum vel actionum habeatur, vel non habeatur ratio à subditis; decernere autem quòd subditi habeant, vel non habeant rationem hujusmodi rerum in agendo, nihil aliud est quàm præcipere aut prohibere quòd subditi ita se gerant respectu hujusmodi rerum: Ergo lex omnis præcepti rationem importat.

*Probatur similiter secunda pars*: Nempe quòd primaria legis ratio tantum consequenter, & non primariò præcepti rationem importet. Probatur, inquam, quia lex permissiva non per se primò præcipit, sed dumtaxat permittit licitè aliquid fieri, v.g. uxorem dimitti posse propter adulterium: solum autem consequenter prohibet ne id fieri impediatur. Lex irritans per se primò statuit ut actus quos irritos declarat, sint invalidi, neque ullatenus eorum habeatur ratio in ordine ad bonum communitalis: Consequenter verò præcipit, ut non fiant, neve ad bonum communitalis destinentur. Item lex excommunicans ipso facto majori excommunicatione, per se primò privat suffragiis Ecclesiæ, & Sacramentorum participatione; consequenter autem prohibet, ne suffragia pro illis applicentur, nec Sacramenta eis ministrentur. Idem de cæteris legibus dicendum est: Ergo, &c.

*Dices* contra primam partem: Consilium est lex, ut communiter volunt Canonistæ, affirmantes legem consulentem bono civili, quam *consultoriam* appellant, esse reverà legem, quamvis ea nemo teneatur obstrictus, ut docet Azor. *lib. 1. cap. 2. parag. ultimo*: Ergo falsum est omnem legem obligare aliquatenus & præcipere. *Insuper*, Consilia Evangelica referuntur inter partes Legis gratiæ, unde cap. *licet* de Regularibus, consilium sequendi statum religiosum vocatur Lex privata: hæc tamen non obligat: Ergo verum non est quòd omnis lex præcepto obliget. *Denique*, privilegium est lex privata, ut docet Iñdorus 5. *Ety. cap. 18*. Privilegium tamen non obligat; siquidem ille in cujus favorem inducitur, potest ei renuntiare: Ergo verum non est quòd omnis lex præcepto obliget.

*Nego consequentiam*; & ad primam probationem dico, consilia leges appellari,

non propriè; quia consilium potest dari à privato quolibet homine etiam inferiori, nec requirit auctoritatem superioris, qualis ad legem ferendam desideratur, sed impropriè consilium vocatur lex, eo quòd legis instar illuminet, dirigat, moveatque suaviter voluntatem ad aliquid faciendum, vel omittendum; quamvis non obliget ad exequendum id quòd consulit.

*Ad secundam* probationem dico, nomine legis Evangelicæ interdum comprehenditur totum Evangelium, & novum Testamentum: sicut vetus Testamentum nonnunquam nomine legis Mosaicæ significatur; adeoque non mirum si consilia Evangelica inter Legis novæ præcepta annumerentur, ut quòd revera præcepta sint, habeantque rationem legis, sed tantum quia comprehenduntur sub novo Testamento, quòd nova Lex appellatur.

*Ad tertiam* denique probationem, Respondeo privilegium etsi per se non obliget primario, obligat saltem consequenter, ne vel alii impediatur usus privilegii, neve ipse privilegiatus interdum renuntiet suo privilegio; maxime quando privilegium conceditur intuitu alicujus boni communis; cujusmodi v.g. sunt privilegia Clericorum, quibus eximuntur à vestigialibus aut actibus forensibus, quibus privati Clerici renuntiare non possunt; adeoque ad utendum ipsis privilegiis eatenus obligantur, quatenus ista privilegia habent quamdam legis rationem, quippe cum dentur in perpetuum, & pluribus sibi invicem succedentibus.

*Dices* secundo contra secundam partem: Prima Legislatoris intentio, est obligare subditos ad id exequendum, vel omittendum, quòd faciendum aut cavendum esse decernit: Ergo pariter lex omnis primario, & per se obligat. Probatur antecedens: Lex est ordinatio, qua superior subditos ordinat ad finem congruum; non quidem in essendo, sed in agendo; nempe movendo per viam auctoritatis eorum intellectum, & voluntatem: sed quicumque per viam auctoritatis movet intellectum, & voluntatem alterius ad aliquid faciendum, vel cavendum, ille aut præcipit aut prohibet, si agat positivè; aut si agat quasi negativè, dispensat, & eximit ab obligatione: Ergo primaria Legislatoris intentio est præcipere aut prohibere per viam auctoritatis, & superioritatis legitimæ.

*Nego antecedens*; Nam ut dictum est in probatione secundæ partis, leges permissivæ, irritantes, & cæteræ hujusmodi per se primò præceptum non important, sed solum consequenter, nec Legislator eas præscribendo primario intendit eas inferre obligationem, ut quis v. g. uxorem in adulterio deprehensam deserat, & divortium faciat; aliàs peccaret quisquis maritus qui talem adulteram uxorem non desereret, quòd utique nemo dixerit; licitè namque potest cum ea cohabitare, etsi ad id non teneatur; adeoque falsum est, quòd primaria Legislatoris intentio in illis legibus præscribendis, sit obligare subditos ad id exequendum quòd decernit sed consequenter dumtaxat hanc obligationem inducit.

## QUÆRES I.

*Quotuplex, & qualis sit Legis divisio.*

**R**espondeo, Legem primaria sui divisione distribui in *Æternam*, & *Temporalem*. Lex enim omnis vel est in Deo, vel extrà Deum; si in Deo, æterna est, quia ipse Deus est æternus: Lex autem omnis quæ non est in Deo, est extrà Deum; quòd autem ita est extrà Deum, temporale est; æternum enim & temporale differunt tanquam creatum, & increatum; quia quidquid est æternum increatum est, & quidquid temporale creatum est.

Lex autem Æterna est *ordinatio quædam divinæ voluntatis ab æterno fixè determinantis quæ sint agenda, vel cavenda à creatura rationali, ut debitum finem assequatur*.

Lex Temporalis est, quæ à Deo vel hominibus condita est in tempore; estque veluti participatio legis æternæ in mente divina existentis, quæve *Lex per participationem*, aut *participata* dicitur.

Lex Temporalis rursus distribuitur in *Naturalem*, & *Positivam*.

Lex autem Naturalis est ordinatio Auctoris naturæ permanentem, & fixè statuentis de illicitis, & licitis, agendis, & non agendis, quatenus dictamine naturali intellectus velut promulgatore denuntiatur.

Ex qua definitione, seu descriptione sequitur: *Primò*, hic nos per legem naturalem non intelligere omnem inclinationem naturalem inditam à Deo rebus omnibus creatis per quam tendunt ad proprios suos actus, & fines, quo pacto intelligebat Plato: *Se-*

cundò, sequitur hanc legem non esse communem animantibus, & hominibus prout sentiunt Jurisperiti, ut patet ff. I. *Institutionum de Jure naturali*: Naturalis siquidem dicitur sic, quatenus humanæ tantum menti insidet ad fecernendum honestum à turpi, & licitum ab illicito de quo habetur apud Psaltem Regium Psal. 4. *Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*: & in eo sensu dixit S. Augustinus de ferm. Domini in monte, *Nulam esse animam in qua Deus non loquatur; quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus?* Quare in definitione additum est, *auctoris naturæ*, & non ipsius naturæ; quia cum prohibeat actus purè internos eisdemque præcipiat, lex illa naturalis non potest esse à pura natura, ut neque etiam ab hominibus, quorum imperium non se extendit ad animam.

Hanc aliqui subdividunt in Legem simpliciter naturalem, idest, secundum lumen rationis puræ hominis naturæ connaturale: & in eam, quæ licet sit supernaturalis, & supra totum ordinem naturæ, quia pertinet ad gratiam; habet tamen, & ei connaturale est, ut homines juret ad observantiam legis purè naturalis, quamquam altiori ratione habeat errores depellere in quos homo labi potest contra legem naturalem.

*Lex positiva* ea dicitur, quæ non est innata naturæ, vel gratiæ intrinseca, sed aliunde emanavit, nimirum ab aliquo principio, & naturæ, & gratiæ extrinseco potestate habente à quo posita est. Ratione cujus dicitur *Positiva*, quasi posita juxtà legem naturalem, vel illi addita: Hanc definit Philosophus 9. Ethic. cap. 3. *Legitimum, quod à principio nihil refert si hanc aliter habeat; cum vero positum fuerit refert*. Dixit, à principio nihil refert à quo fiat, quia ejus obligatio non est à natura: sed ubi posita est ab habente potestatem, obligat, quare addidit: *Postea cum positum fuerit refert*.

Rursus Lex Positiva est duplex, nimirum *Divina*, & *Humana*.

*Lex Divina Positiva* ea est quam Deus in tempore hominibus notificavit, posuit, & præscripsit; idque vel per ministerium Angelorum aut hominum. Hæc autem est maxime duplex: *Prima est Lex Veteris Testamenti*, quam Deus per ministerium Angelorum Moyse, & per Moysem populo Israelitico posuit, ac præscripsit. *Secunda est Lex No-*

*vi Testamenti*, quam Christus Dominus præscripsit, & partim per seipsum, partim per Apostolos promulgavit.

*Lex Humana* ea est quæ fertur immediate humana auctoritate; cum autem auctoritas hæc duplex sit; nempe *Ecclesiastica*, & *Secularis*; inde fit, quod lex humana dividatur in *Ecclesiasticam*, & *Civilem*. Illa fertur potestate Ecclesiastica, ut summorum Pontificum, & Conciliorum; ista potestate seculari, ut Regum, & Imperatorum. Utraque hæc ex parte objecti, & rei præcepta subdividi potest in Naturalem, & Positivam; Potestas enim Ecclesiastica, & Civilis rectè possunt ea præscribere, & confirmare quæ sunt Juris naturalis; potest etiam quædam statuere quæ spectent ad observantiam legis à Deo præscriptæ: *Prima Jus Canonicum*, altera *Jus Civile* appellatur.

Jus Canonicum variis ex legibus, & constitutionibus diversis integratum fuit in unum corpus, quod propterea dicitur *corpus juris Canonici*. Quod dividitur in *Decretum*, & *Decretales*.

Decreti collector, & ordinator fuit *Gratianus* Monachus Ordinis sancti Benedicti, qui post veteres Canonum, & Decretorum collectores ingens illud opus contexit, & composuit, partim ex summorum Pontificum decretis, partim ex canonibus Conciliorum, partim ex dictis, & sententiis SS. Ecclesiæ Patrum, circa annum 115. quodque approbavit Eugenius III. & postmodum confirmavit Gregorius XIII.

*Decretum* verò in tres partes dividitur. *Prima pars* continet distinctiones centum, & unam, quæ subdividuntur in capita, seu canones. Loca autem ex illa parte desumpta sic citantur. *Can. vel cap. humanum*, dist. 1. *Secunda pars* causas triginta sex complectitur, quæ dividuntur in quæstiones, & quæstiones in capita; sic de illa parte fiunt citationes, *Can. vel Cap. quicumque studet*, 1. q. 1. idest, *cap. vel canone* qui incipit per illa verba, *Causa prima, Quæstione prima*. *Tertia pars* habet Tractatum de Consecratione; qui dividitur in quinque distinctiones, & quælibet distinctio in capita; & sic citari debent ista capita *can. vel c. Vasa de consecratione*, dist. 1. In prima parte agitur de Jure in genere, in viginti scilicet primis capitibus, & de personis seu ministris Ecclesiasticis in omnibus reliquis. In secunda parte, de iis quæ concernunt formam judiciorum Ecclesiasticorum agitur: In causa

tamen trigesima tertia, quæstione tertia, continetur Tractatus de *Pœnitentia*, divisus in septem distinctiones, quæ subdividuntur in capita; & iste Tractatus sic debet citari, *Can. vel cap. repetuntur*, de *Pœnit. dist. 13. Tertia pars* agit de consecratione Ecclesiasticorum, de Missarum celebratione, de Eucharistia, Festis, Ecclesiasticis cœremoniis, Confirmatione, & jejniis.

*Decretales* collectæ, & ordinatæ fuerunt auctoritate, & ordinatione Gregorii IX. Summi Pontificis per S. Raymundum de Penna forti, non ita pridem in album Sanctorum receptum ejusdem Pontificis capellanum, & sanctæ Ecclesiæ Romanæ Pœnitentiarum: Collectæ sunt autem maximè ex Gregorii IX. & aliorum Pontificum epistolis, & constitutionibus; unde vocatæ fuerunt *Decretales* epistolæ, quæ distinguuntur in hoc à Decreto Gratiani, quod multò magis compilatæ sint ex epistolis Pontificum, quàm ex Conciliis; è contra verò Decretum Gratiani plus nititur Conciliorum Decretis, quàm epistolis aut constitutionibus Pontificum. Quinque libros complectuntur *Decretales*, in quibus Juris canonici materia exponitur. *Primus* liber agit de personis quibus competit jurisdiction aliqua, & de judiciorum præparatoriis. *Secundus* explicat judiciorum ordinem. *Tertius* agit de rebus Ecclesiasticis quæ in judicium venire solent. *Quartus* de Sponsalibus, & matrimonio. *Quintus* de criminibus, & penis. *Decretales* aliàs vocantur, *extra*, quia erant extra Decretum Gratiani, quod ante digestum erat; unde apud antiquiores sic citabantur, *extra de Judæis, cap. etsi Judæos*: Nunc autem ubi ingrediuntur corpus juris Pontificii, citantur sine adjecto, sic scilicet v. g. *cap. tuæ nos, de jurejurando*, & pro tunc intelliguntur libri *Decretalium* per excellentiam, & non citantur distinctiones, nec causæ, ut in decreto.

*His quinque* libris *Decretalium* Gregorii, sextum addidit Bonifacius VIII. ex Concilio Lugdunensi, *decretalibus* epistolis Pontificum successorum Gregorii, nonnullis ipsiusmet Gregorii novellis Constitutionibus, & multis etiam suis propriis compilatum; & hic liber vocatur *Sextus Decretalium*, constans etiam libris quinque, cujus citatio fit eodem modo quo citantur *Decretales*; excepto quòd capita, & tituli hujus libri citentur cum addito; dicendo scilicet in Sexto: sic v. g. *cap. Volentes de privilegiis*

*in 6.* Clemens V. paulò post Constitutiones edidit, partim suas, partim ex Concilio Viennensi cui præfuit, desumptas; quas ipso mortuo absolvit, & publicare fecit Joannes XXII. Ab ipsarum auctore, *Clementine*, dictæ sunt, sicque citantur, *Clem. dudum, de sepulturis*, idest, *Clementina*, quæ incipit per hanc vocem; *Dudum* titulo *de sepulturis*. Postea denique Joannes XXII. Constitutiones edidit viginti, & post ipsius obitum diversæ à diversis Pontificibus, exierunt, quæ *extravagantes* dictæ sunt; quia licet nunc sint de corpore juris; tamen aliquamdiu extra illud, quasi sede incerta vagantes extiterunt: Illæ autem sic solent citari: *extravag. unigenitus*, idest, constitutione *extravaganti*, sub titulo *Unigenitus*.

*Jus Civile* pluribus libris comprehenditur, maximè verò Codice, qui duodecim libris absolvitur, quinquaginta libris *Digestorum*, seu *Pandectarum*, quatuor libris *Institutionum*, & unico libro *Novellarum*, quas modò authenticas appellamus, quorum omnium ordo, & divisio colligitur hujusmodi. Cùm Justinianus Imperator animadverteret jus Romanum, quod Civile per excellentiam appellatur, in immensam, & confusam molem excrevisse, statuit illud certis, & brevioribus finibus concludere. Erant autem ante ipsius tempora tres Codices, quibus continebantur leges, & constitutiones anteriorum Imperatorum, Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus, ex quibus unum confecit, quem de suo nomine nuncupavit. Peracto Codice, Justinianus animum adjecit ad veterum Jurisconsultorum volumina, quorum infinitam prope multitudinem, & in duo millia librorum dispersam, coarctavit ac digessit in quinquaginta libros, qui idè libri *Digestorum* appellantur, vel *Pandectarum*, ducto nomine quod Græcè idem significat, ac *totum capio*, quia universam veteris Jurisprudentiæ scientiam continent.

*Deinde* ut haberent legum cupidi adolescentibus facilem, & simplicem viam, qua progredi possent ad amplissimam juris scientiam, Justinianus componi curavit quatuor *Institutionum* libros, ut essent totius juris elementa atque principia; sed quoniam priori illi Codici pleraque deesse videbantur, Justinianus alium auctorem, & emendatorem edidit, quem vocavit Codicem repetitæ prælectionis; & hic est *Codex* quem habemus, & quo utimur.

*Denique*, idem Imperator varias Constitutiones quas deinceps imperii sui tempore promulgavit, in unum librum redegit, & has constitutiones modò *Novellas*, modò *Authenticas* appellamus.

## Q U Æ R E S II.

*Quinam sint præcipui Legis Actus.*

**R**espondeo quatuor principes solito numerari, videlicet *præcipere*, *vitare*, *punire*, ac *permittere*.

*Probat*. Tot sunt legis actus, quot sunt diversæ humanorum actuum differentia; at qui tres sunt humanorum actuum differentia genericæ, scilicet bonitas, malitia, indifferentia: cum actus humani sint vel ex genere boni, vel ex genere mali, vel indifferentes: ergo pariter tres sunt legis actus, seu effectus; scilicet præcipere, prohibere, & permittere; nam præcipiuntur actus boni, prohibentur actus mali committendi, & puniuntur commissi, permittuntur actus indifferentes.

Hi autem dicuntur actus legis, non quòd sint ab ipsa elicit; cum enim non sit habitus nec potentia, ita non habet actus elicitos; sed ita appellantur ratione integritatis: quia videlicet per hos maximè quatuor actus tota lex impletur, & integratur: non quòd in qualibet lege particulari omnia ista reperiantur; sed quia ad legem in communi spectant; lex namque maximè versatur, vel in præcipiendo bono, vel in malo prohibendo, vel in permittendis actibus indifferentibus.

*Dices*, qua ratione homines incitantur ad bonum, & retrahuntur à malo per penas; ita etiam per præmia: Ergo sicut *punire* est actus legis, ita etiam & *premiare*, & sic erunt quinque actus legis, & consequenter non solum quatuor.

*Nego consequentiam*, præmiatio namque non potest habere rationem actus legis sicut punitio, tribus maximè de causis: *Prima* quidem, præmiare ad quemlibet pertinere potest, & sic cum non sit actus superioris, non potest esse actus legis: punire verò non potest pertinere nisi ad ministrum legis, cujus auctoritate pena inferitur: unde est actus superioris, & legis. *Secunda* est, quia punire inducit ad operandum per modum cujusdam coactionis, præmiare verò non ita, sed per modum cujusdam exhor-

tationis, & quasi consilii, ac proinde illud est actus legis, non verò istud. *Tertia* est, quia virtus secundum se ipsam habet sufficientem honestatem, ut propter se ipsam appetatur: unde sibi ipsi est sufficiens præmium; subindeque ad inducendum ad virtutem, quod fit per legem, non requiritur propositio alterius præmii; requiritur autem comminatio punitiois, ut homines, quorum sensus proni sunt ad malum ab adolescentia sua propter corruptionem naturæ, timore pœnæ non sequantur passionem, sed legi obediant, & sic bonum commune promoveatur.

*Dices* 2. Plures alii numerari possunt legis actus: Ergo non sunt dumtaxat quatuor. *Probat*ur antecedens, dirigere, reddere inhabiles ad dignitates, & munera, irritare, prætia rebus imponere, mutare dominia rerum, præteritas leges revocare, etiam sunt actus legis: sed hæc omnia sub quatuor prædictis non comprehenduntur: Ergo plures sunt quàm quatuor assignati legis actus.

*Nego antecedens*, necnon minorem ejus probationis: Hæc enim ad quatuor assignatos revocantur; siquidem *dirigere* ad quatuor illos pertinet: nam totidem modis dirigitur homo per legem, quot modis lex sanciri potest. *Reddere inhabilem* aliquando reducitur ad *punire*: quia quandoque inhabilitas per modum pœnæ inferitur: aliquando ad *præcipere*, quia inhabilis est ille qui non habet conditionem quam lex requirit in hoc ad aliquod munus, vel functionem: aliquando ad *prohibere*, quia lex vetat talem assumi ad munus istud, & ejusmodi functiones obire. Quod spectat ad *irritare contractus*, eadem est ejus ratio quæ inhabilitatis personarum. *Præmium imponere rebus*, reducitur ad præceptum, si jubeatur ut res vendatur, & tanti; ad prohibitionem, si decernatur, ne pluris. *Mutare dominia rerum* reducitur ad præceptum; quia lege præcipit Legislatores, ut qui præscribit, Dominus sit boni alieni. *Revocare legem*, non est actus legis præcisè: sed si revocetur ad actus legis, eo solum titulo revocatur, quo præcipit, prohibet, permittit, vel punit.

## Q U Æ R E S III.

*Quenam sint causæ Legis.*

**R**espondeo Legis causam materialem in qua, seu illius subjectum, esse intellectum

Ictum directivè, & voluntatem subjectivè: nam (ut diximus) quando Legislator, vel Superior legem aliquam condere intendit: *Primò* cognoscit utrum quod statuere vult, bonum sit, & utile subditis; illud autem iudicium in intellectu residet: Deinde, suis inferioribus præscribit id quod sibi congruum, & illis utile videtur; in quo stat formalis ratio legis: hoc autem decretum in voluntate tamquam in proprio suo subiecto remanet: subindeque materia *in qua* legis, est intellectus, & voluntas Legislatoris. Materia verò in qua secundaria est tabula, liber, scriptura, vox, & alia id genus per quæ lex inferioribus declaratur, maximè verò leges positivæ tam divinæ quàm humanæ: Postquam enim leges decretæ sunt in mente Legislatoris, ut suam moralem habeant essentiam, quæ consistit in vi obligativa, debent inferioribus manifestari per talia instrumenta. Materia verò *circa quam* leges versantur, sunt actiones humanæ quæ sub lege cadunt, ut per eam rectæ fiant, & à pravo declinent: idcirco namque leges statuuntur, ut homo recto tramite in finem sibi præscriptum tendere possit.

*Causa finalis* legis est bonum communitatis stabiendum, & instituendum: Leges enim, ut diximus, necessariò feruntur, & ordinari debent in bonum commune, ita quòd si aliquis Princeps edictum ferat cuius utilitas in privatum dumtaxat illius commodum redundet, decretum illud tyrannidem potius, quàm legem sapiet.

*Causa formalis* est ipsa iustitiæ norma quam lex præ se fert: nam ut dictum est in præcedentibus, lex omnis iusta, ac iustè lata debet esse, ut videlicet imponat onus juxta virum proportionem, & ei si minus valenti gravius præscribatur opus implendum, præscriptum illud magis in tyrannidem, & iniustitiam quàm in probatam, & rectam agendi regulam declinabit.

*Causa efficiens* legis est ille qui supremam habet auctoritatem in subditos sive ille sit unus, ut in Imperio Monarchico, sive sint multi, ut in Imperio Democratico; cum enim leges præscribi debeant communitati, & ordinare inferiores ad bonum commune, opus est ut hæc ordinatio fiat ab illo qui supremam in communitatem jurisdictionem obtinet: quemadmodum enim in corpore naturali caput cetera membra in bonum, & conservationem totius corporis ad officia sibi propria applicat: ita pari-

ter in corpore politico tam Ecclesiastico quàm Civili, necessum est, ut qui illius corporis membris legem præscribit, de rebus faciendis aut omittendis capitis rationem obtineat, & auctoritate suprema potiatur.

## Q U Æ R E S I V.

*Quinam sint legis Effectus, & Officia.*

**R**espondeo duplex maximè esse legis officium, nempe *dirigere*, & *obligare*. Primum quidem patet; siquidem lex omnis mensura est, & regula actuum humanorum: at deratione mensuræ, & regulæ est quòd sit directiva mensurati, & regulati: Ergo lex debet esse directiva hominum, eisque præscribere quid agere, quidve omittere debeant. Secundum etiam est manifestum: lex enim dicitur à *ligando*. Eò quòd, inquit Cassiodorus, *animos nostros liget suisque teneat obnoxios constitutis*. Hæc autem obligatio vel ligatio procedit, vel ex ipsa rerum natura, si lex sit naturalis, vel ex voluntate, & potestate superioris, si sit positiva. Hic tamen effectus non est primarius, & adæquatus, ut volunt aliqui: siquidem, ut dictum est in superiori conclusione, primaria legis ratio non est quòd obliget; quippe cum sint plurimæ leges quæ tantum consequenter obligandi vim habeant.

*Respondeo secundò*: Legis effectum præcipuum esse subditorum bonitatem, & ordinationem: omnis namque lex in id unicum collineat, ut subditos sibi obedienter instituat: adeòque ut eos faciat bonos: nam cum lex omnis iusta, & in bonum ordinata esse debeat, inferiores legi parere non possunt, quin iusti, & ordinati ac boni esse censeantur. Unde sicut propria Principis virtus est, ut iustè rectèque subditis imperet: ita pariter inferiorum bonitas, & perfectio derivatur ex eo quòd legi pareant, & legislatori obsequantur.

Ceterum lex subditos bonos instituit secundum ampliorem, vel meliorem bonitatem quam ipsa continet. Hinc lex Evangelica omnium præstantissima, intendit ut homo fiat simpliciter bonus non solum in exteriori ope, sed etiam in interiori animo: atque adeo ut fiat filius Dei adoptivus per gratiam. Lex naturalis, ut fiat bonus virtutibus moralibus, quæ naturæ commensurantur, habeatque vitam ad ceteros homines ordinatam, alteri non faciendo quod sibi



sibi fieri nolit. Lex civilis, ut bonus civis existat, & ea præfiet, quæ ad pacem reipublicæ ordinata sunt: Lex Ecclesiastica ut Clericus probis moribus instituat, & quæ sui muneris sunt, debito ordine fungatur.

### QUÆRES DENIQUE.

*Quenam sint legis proprietates.*

**R**espondeo legis proprietates tres communiter recenseri: nimirum auctoritatem, veritatem, & bonitatem: Lex enim habet principium, formam, & finem. *Ratione principii condentis legem*, debetur ipsi legi auctoritas: edictum enim absque auctoritate sancitum nullius est valoris, nec ullatenus legis rationem habere potest. *Ratione formæ*, debetur legi veritas seu rectitudo: nam id quod præscribitur cum iniustitia, non consequitur legis rationem sed in tyrannidem vergit. *Ratione finis*, debetur legi bonitas; siquidem lex tota ordinatur in bonum commune societatis hominum, necnon in bonum particulare Dei, ad quem omne creaturæ bonum tamquam ad fontem, & caput unde dimanat, refluere debet.

## DISPUTATIO SECUNDA.

### *De Lege naturali.*

**N**aturalem legem singulis hominibus inesse, nemo rationis compos denegabit. Homo namque, ait S. Bernardus lib. de diligendo Deo, *innatam nec ignotam sibi legem habet, quæ facienda ac prosequenda, quæve omittenda, & fugienda sint interius dictante rationis lumine demonstrat.* Quam utique legem, ait Apostolus, *habemus scriptam in cordibus nostris*, quo fit, ut *Gentes quæ legem non habent, supple Mofaycam, aut Evangelicam, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, quibus scilicet cogitationibus, & disceptationibus conscientia utitur, ut

hominem bene aut male egisse convincat, eumque apud Deum accuset.

Hanc veritatem luculenter expendit S. Augustinus in P<sup>sal.</sup> 57. scribens: *Manus Formatoris nostri, inquit, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi fieri non vis ne facias alteri. Hoc, & antequam lex daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, & quibus lex non esset data; sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere volebant: Appositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, & ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scriptura, in cogitationibus enim impii, interrogatio est ubi interrogatio, ibi lex: sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt etiam à seipsis exules facti sunt, data etiam conscripta lex; non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehendervis, & ad te ipsum intrò revocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis, qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis? Redite pravariatores ad cor. Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? Quis te docuit nolle tibi furium fieri? Quis te docuit nolle injuriam pati? & quid aliud vel universaliter, vel particulariter dici potest? multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines clara voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? Nonne in societate viri generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est: & omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cogitationibus conterant quod ille formavit. Quod ergo tibi non vis fieri, alteri noli facere.*

Vel ut brevius ait lib. 2. Confess. c. 4. *Lex tua, Domine, in cordibus hominum scripta est, quam nec ulla unquam delet, aut delebit iniquitas.* Ad idem pertinet quod ait S. Amb. lib. 9. epist. 17. *Ea lex, inquit, non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* Eandem veritatem clarè explicat regius vates, P<sup>sal.</sup> 4. ubi cum dixisset, *Multi dicunt quis ostendat nobis bona?* Statim responderet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; Quod de lumine naturalis rationis, quo discernitur quid sit bonum, & quid malum, intelligendum est.*

Eadem veritas ratione firmatur. Etenim non minori cura Deus homini creaturarum omnium præcellentissimæ suppeditavit

media quibus finem sibi debitum posset assequi, quam inferioribus creaturis: sed inferioribus creaturis rationis, ac etiam vitæ expertibus vires, & inclinationes impressit ac indidit secundum quas aguntur, & in suos fines diriguntur: Ergo potiori jure creaturæ rationis ac libertatis compoti debuit indere quamdam legem secundum quam modo sibi connaturali ageret, & seipsam in suum finem dirigeret: Hæc autem lex naturalis appellatur: adeoque est admittenda. *Deinde*, habemus ingenitum lumen quo prima principia rerum agibilia possumus detegere, absque ullo acquisitæ scientiæ beneficio; Ergo pari ratione habere debemus id ipsum innatum lumen, quo rerum agibilium communia principia deprehendamus. Hoc autem ingenitum lumen, naturæ legem appellamus: subindeque est admittenda.

*Denique*, homo ad societatem natus est, adeoque à natura ipsa habere debuit quo perfectam societatem inire posset: at ut mox diximus ex S. Augustino, non potuit ita institui, nisi per innatam legem novisset non esse alteri faciendum, quod sibi fieri nollet. Ergo &c.

*His* igitur ita præmissis, tria hic supersunt de naturali lege declaranda. *Primum* quid & quotuplex illa sit. *Secundum*, quænam ejus præcepta. *Tertium*, qualiter sit immutabilitati, aut mutationi obnoxia. Quæ utique tribus in sequentibus articulis suscipimus explicanda.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*De Naturæ Legis essentia, principiis, & partibus.*

**M**irum fanè quòd ipsa nativæ lex sit ipsum ingenitum homini lumen, quo prima rerum agibilium elementa deprehendit; nec tamen sui ipsius naturam homini demonstrant. Nusquam enim magis inter se videntur pugnare Auctores quàm in assignanda ipsius legis essentia. *Quidam* enim cum Vasquesio l. 2. disp. 180. cap. 3. docent legem naturalem esse ipsam naturam rationalem secundum se spectatam, quatenus videlicet ratione suæ essentiæ talis est ut aliquæ actiones sint illi moraliter convenientes, & idcirco honestæ: aliæ repugnantes, & ideo indecentes. *Nonnulli* cum nostro Alensi 3. p. q. 27. memb. 2. existimant legem naturalem esse habitum quemdam,

non quidem acquisitum seu potentiæ superadditum, sed ipsum lumen intellectuale in actu primo spectatum, & quatenus est vis discernendi honesta, & turpia moraliter. *Alii* cum Gabriele, & Almaino affirmant legem naturalem esse dictamen rationis, non quidem præcipientis, sed solum indicantis, & ostendentis quid consentaneum sit aut dissentaneum naturæ rationali; docentque legem naturalem non esse imperantem, sed solum indicantem, eo quòd nullum habeat adjunctum, nec includat superioris imperium. *Cæteri* verò contendunt legem naturalem non solum cum dictamine boni, & mali consistere; sed etiam in præcepto divino, quo Deus voluit homines teneri ad ea implenda, & præstanda quæ per ipsum rationis lumen, ipsamque rationis legem faciendæ aut omittebdæ dictantur. Quarum sententiarum quænam verior nobis videatur, aperiet

#### QUÆSTIO PRIMA.

*In quo maximè consistat, & reponenda sit Naturæ Legis essentia.*

**N**otandum 1. Quòd etfi lex *Naturalis*, *Synderesis*, & *Conscientia* pro uno eodemque à SS. Patribus interdum usurpentur; maximè tamen invicem discrepant: nam *lex Naturalis* est ipsa divinæ voluntatis ordinatio nobis impressa à Deo quatenus est Auctor, & Rector naturæ; *Synderesis* verò est ipsum naturale lumen intellectus quo divinam illam ordinationem novimus: *Conscientia* autem est judicium practicum intellectus circa aliquid agibile vel omissibile in particulari. *Synderesis* versatur circa principia agibilia sine ullo discursu: *synderesi* nullus potest subesse error, nullaque dubitatio, opinio, oblivio, ignorantia, & inadvertentia; nullus enim potest, aut potuit unquam negare, dubitare, oblivisci, vel ignorare in genere malum esse fugiendum, bonum amplexandum &c. *Conscientia* verò non nisi prævia rationis illatione sua infert judicia practica, adeoque subjacet dubitationi, oblivioni, & errori; Unde provenit tam varia tamque multiplex conscientiæ diversitas, & partitio in rectam, erroneam, certam, dubiam, &c. Quod non solum contingit pro diversitate hominum, sed etiam pro diversitate temporis respectu ejusdem hominis; idem enim homo pro diversis notitiis,

titis, in diversa oppositaque judicia dissolvitur; Hinc sæpè nobis displicet quod placuerat; sæpè arridet quod fuerat odiosum. Lex verò naturalis apud omnes prorsus nationes, & quovis tempore, eadem semper dicitur, semperque sibi constat, & sibi conformis est, nisi aliundè impediatur.

*Notandum 2.* Naturam rationalem spectari posse dupliciter: uno modo secundum se, & quatenus ratione talis essentia quam habet, quædam sunt illi convenientia, & alia disconvenientia: alio verò modo quatenus vim habet judicandi de his quæ sibi conveniunt, vel disconveniunt medianterationis naturalis lumine. *Rursus* posteriori modo sumpta rationalis natura quatenus judicativa de convenientibus, vel disconvenientibus, potest bifariam considerari; nempe vel quatenus per iudicium illud solum indicat, & ostendit quid agendum sit quidve omitendum: vel prout habet adjunctum divinum præceptum obligans hominem, ad id exequendum quod ipsa nativa lex ipsi indicat, & demonstrat: ita quòd hæc lex non solum illativa sit, & ostensiva; sed etiam obligativa sit, & præceptiva.

*Notandum 3.* Certum esse legem naturalem divinum esse donum descendens a Patre luminum, & à Deo effectivè procedere; quia Deus est prima causa bonorum omnium naturalium, inter quæ maximum est rectæ rationis lumen, & usus: Tum quia omnis veritatis manifestatio procedit à Deo, ut disertè docet S. Paulus ad Rom. 1. ubi cum dixisset, *Revelatur ira de celo super omnem impietatem, & injustitiam hominum qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Postea aperiens cur vocet veritatem Dei, subdit; *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit,* utique per naturale lumen rationis, & per visibiles creaturas, quarum aspectu invisibilia Dei cognosci possunt. Constat igitur Deum esse effectorem, & quasi Doctorem legis naturæ: sed difficultas solvenda remanet an ipsa nativa lex non solum à Deo effectivè, & tamquam à prima causa, sed etiam præceptivè, & tamquam à legislatore præcipiente procedat.

His ita præmissis tria hic supersunt determinanda. *Primum*, quòd nativa lex non sit ipsa rationalis naturæ entitas, & essentia. *Secundum*, quòd non sit pariter aliquid se habens per modum habitus. *Tertium*, denique quòd consistat in actuali ju-

dicio, & dictamine intellectus non solum ostensivo, sed etiam imperativo.

## CONCLUSIO PRIMA.

**L**EX Naturalis non consistit in ipsa rationali natura secundum se spectata, quatenus actiones aliquæ sunt illi moraliter convenientes, & honestæ; aliæ verò repugnantes, & inhonestæ.

*Probatur 1.* Lex naturalis est verè, & propriè dicta lex; sed ipsa natura rationalis præcisè sumpta non potest esse propriè dicta lex: Ergo lex naturalis in ipsa consistere nequit. Major constat ex communi sententia Theologorum, & Philosophorum, qui de ea loquuntur tamquam de lege verè, & propriè dicta. Probatur minor. Lex propriè dicta est ordinatio, & constitutio alicujus superioris pro jure suo aliquid decernentis, & imperantis: atqui natura rationalis præcisè sumpta non est ordinatio; siquidem ordinatio est actus secundus intellectus, voluntatis; natura autem ipsa est actus primus; adeoque non potest censerì ordinatio.

*Deinde:* Effectus legis sunt dirigere, illuminare, obligare, & esse regulam humanarum actionum: sed hæc in naturam rationalem immediatè cadere non possunt; proveniunt namque à dictamine rationis, & imperio voluntatis: Ergo non in ipsa natura rationali, sed potius in illo rationis dictamine, & voluntatis imperio, legis naturalis essentia est reponenda. *Consequentia* patet, in illo namque essentialiter consistit lex à quo maximè procedunt effectus legis: Minor verò probatur; nam ante dictamen rationis, quo indicatur vel ostenditur aliquid esse bonum vel malum, non obligatur homo moraliter, nec ejus operationes diriguntur aut regulantur ad finem sibi debitum; nec proinde habent rationem moris, ut constat in his qui usu rationis carent, &c.

*Denique* à lege naturali actiones humanæ habent quòd sint bonæ vel malæ: at actiones quæ independenter ab omni lege positiva sunt bonæ vel malæ, quia nempe pugnant in legem naturæ, tales esse nequeunt ex ipsa natura rationali; adeoque hæc non potest dici lex naturalis. Major constat. Probatur minor. Diversæ rationes in actibus non possunt desumi ab eodem termino, sub eadem ratione formali: Ergo bonitas, & malitia quæ sunt diversæ rationes actuum humanorum,

rum, ab eadem natura rationali procedere nequeunt, nisi diversæ sint in illa natura rationes, per quas uni actui malitiam, alteri bonitatem tribuat: At diversæ illæ rationes assignari non possunt ex parte illius naturæ rationalis: nam non est ratio cur refunderet bonitatem in unum actum potius quàm in alterum, nisi quia in illo actu aliqua est ratio cur capax sit illius bonitatis potius quàm malitiæ: adeoque independenter ab illa convenientia cum natura rationali, talis actus jam ex se habet quòd dici possit bonus, & honestus.

*Confirmatur Conclusio expugnando fundamentum Adversariorum.* Idcirco Vasqu. & qui cum eo sentiunt, affirmant legis naturalis essentiam in ipsa rationali natura esse constituendam; quia, inquit, ipsa rationalis natura est fundamentum, & mensura legis naturalis, & honestatis ipsius, quatenus quæcumque præcipit aut prohibet lex naturalis, per se decent aut dedecent naturam rationalem: sed hæc ratio nulla est. Probat, quia quidquid est fundamentum, & mensura legis aut honestatis, non propterea est lex; siquidem pax, & felicitas publica, est mensura, & fundamentum legum humanarum, nec tamen propterea sunt ipsæ leges humanæ. Similiter, pauperis indigentia major aut minor, est fundamentum aut mensura legis aut præcepti faciendi majorem aut minorem eleemosynam; nec tamen ipsa indigentia censetur esse lex faciendi eleemosynam. Item, finis est regula, & mensura mediolorum; nec tamen finis dicitur habere rationem legis. Pariter objectum est regula, & mensura actuum, nec propterea censetur esse lex: Ergo pari jure licet natura rationalis sit fundamentum honestatis, & regula rectitudinis objectivæ actuum humanorum moralium, non ideo dici potest lex. Addo cum Suarez lib. 2. cap. 4. n. 7. quòd si natura rationalis esset lex actuum nostrorum, eò quòd illam decent; sequeretur pari modo naturam divinam esse legem actuum divinorum liberorum, quia pariter tales actus illam decent: sed nullus est ex SS. Patribus, ac Theologis, qui hanc sequelam docuerit, & probaverit: Ergo nec esse debent qui antecedens doceant.

*Dices:* Existente natura rationali non potest lex naturalis non existere, sed potest non esse illa Dei ordinatio; quia cum libera sit, Deus potest ipsam ponere, vel non

ponere: Ergo lex naturalis non est ipsa Dei ordinatio: sed potius est natura ipsa rationalis, quatenus est fundamentum convenientiæ, & honestatis, vel inconvenientiæ, & inhonestatis actionum humanarum.

*Distinguo minorem:* Potest non esse divina ordinatio qua creaturam rationalem in finem suum dirigit ex hypothesi quòd ipsa natura rationalis existat, Nego: absolute, Concedo: licet enim operatio divina ad extra sit absolute libera; tamen ex suppositione quòd divina voluntas decreverit creare naturam rationalem cum sufficienti cognitione ad operandum bonum, & malum, & cum sufficienti concursu ex parte Dei, necnon & libera ipsius creaturæ facultate ad utrumlibet operandum, implicat quòd Deus ipsam creaturam non ordinet ad suum finem assequendum per actus convenientes; adeoque pariter implicat, quòd Deus non velit prohibere tali creaturæ actus intrinsecè malos, & præcipere actus honestos naturaliter necessarios: sicut enim Deus mentiri non potest, quia est suprema veritas, ita etiam non potest non prohibere ea quæ sunt opposita honestati, quia est suprema bonitas, & regula rectitudinis ac honestatis: Ergo qua ratione Deus posita voluntate revelandi aliquid necessitatur ad revelandum verum, eo quòd non possit mentiri, quia est suprema veritas; ita ex hypothesi quòd creaturam rationalem instituerit ordinandam in finem, non potest ei actus bonos, & honestos non præcipere, & actus malos, & inhonestos non prohibere, quia est suprema veritas, & rectitudo.

*Instabis:* Absurdum est asserere Deum per voluntatem necessariam obligare suos subditos, siquidem obligatio hæc cum sit moralis, procedere debet ab agente morali libero, & liberè imperante: qua ratione nullus Princeps potest seipsum voto vel promissione, aut alio præcepto, & imperio obligare, nisi hæc obligatio ex plena libertate oriatur; quæ enim per vim, & coactionem sunt, obligandi vim nullam habent: sed obligatio liberè facta potuit non fieri: Ergo Deus potuit illam obligationem naturæ rationali non imponere ab initio illius formationis; imò etiam potest impositam illam obligationem revocare; subindeque potest existere natura rationalis absque tali obligatione sibi præscripta: at non potest existere sine lege naturali: Ergo lex naturalis non in ipsa obligatione

superaddita, sed in natura ipsa rationali constituenda est.

*Distinguo minorem*: Obligatio liberè facta potuit non fieri, absolutè, Concedo: hypotheticè, Nego: fateor equidem, quòd Deus ex libertate sua potuerit abstinere à formandis creaturis rationalibus, & eas in statu connaturali constituendis; & consequenter eas non obligare lege naturali; sed ex hypotesi quòd eas creaverit, & in tali statu constituerit, debuit necessariò necessitate consequenti illas creaturas intellectuales à se conditas regere, & curare ut vivant conformiter suæ nature, ad idque illas obligare sua autoritate: quæ autoritas quomòdocumque interponatur, inducit moralem obligationem; moralem dico, non ex eo quòd liberè sit imposta, ita ut possit non præscribi; siquidem ex hypotesi necessariò hæc obligatio præscribitur; sed obligatio hæc vocatur moralis ex eo quòd inducat ad actiones morales, & imputabiles, ita ut sine peccato nequeant omitti. Nec refert quòd hæc obligatio sequatur ex necessaria, & naturali ordinatione ipsius creature rationalis, potest namque aliqua moralis obligatio oriri ex principio necessariò, & naturali; siquidem obligatio colendi parentes oritur ex naturali generatione ab ipsis accepta.

*Dices secundò*: Sunt aliqua actiones ita intrinsecè malæ ex natura sua, v. g. odium Dei, ut earum malitia nullatenus pendeat ex dictamine intellectus, vel ex prohibitione extrinseca, & voluntate divina: è converso aliqua sunt ita intrinsecè bonæ ex natura sua, v. g. colere Deum, ut nullatenus in hoc pendeant ex causa extrinseca: sed aliunde non possunt habere illam malitiam aut bonitatem, nisi quatenus sunt convenientes aut disconvenientes naturæ rationali: Ergo ipsa natura rationalis habet rationem legis.

*Respondeo*, quòd in actibus intrinsecè bonis, vel intrinsecè malis, duplex spectari potest bonitas, & malitia; alia quidem in esse naturæ, alia in esse moris. *Prima* non desumitur ab ordine ad aliquam legem, sed ex convenientia aut disconvenientia ad naturam rationalem, quatenus intelligitur habere inclinationem ad bonum consideratum in esse naturæ antecedenter ad omnem legem: *Secunda* verò sumitur proximè quidem ex ordine ad dictamen rationis naturalis, remotè verò ex ordine ad legem æternam, quatenus nempè di-

*Erassen Theol. Tom. VI.*

ctamen rationis naturalis est participatio quædam legis æternæ, haberque rationem legis naturalis in ordine ad ipsos actus.

## CONCLUSIO SECUNDA.

**R**atio formalis Legis Innate non consistit adequatè in ipso lumine habituali, & naturali in actu primo spectato, & quatenus est vis discernendi honesta, & turpia, licita, & illicita.

Probat: Omnis lex propriè dicta, est ordinatio, ut supra diximus: sed lumen naturale habitualiter sumptum, non est ordinatio, sed tantum vis intelligendi: Ergo nec in eo reponenda est ratio formalis legis naturalis. *Deinde*, Deus habet lumen sibi connaturale quo perfectissimè cognoscit quæcumque honesta sunt, & turpia: sed Deus non potest dici habere legem naturalem: Ergo lex naturalis in ipso lumine habituali non est reponenda. *Denique*, ut in sequenti conclusione probabitur, Lex omnis est iussio, vel prohibitio alicujus superioris; sed ipsum lumen naturale habituale, nec iussio est, nec prohibitio superioris: Ergo nec est lex naturalis.

*Dices primò* S. Paulus ad Rom. 2. legem vocat, naturalem scilicet, conscientiam dictantem quid agendum aut fugiendum sit secundum rationem naturalem; nam cum dixisset, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex*; quasi declarans quomodo sibi sint lex, & quæ sit illa lex, subjungit; *Ossendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: Censet ergo legem naturalem de qua loquitur, esse dictamen naturale rectæ rationis, ratione cujus homo est sibi lex. *Deinde* SS. Patres pari modo affirmant legem naturalem fuisse nobis à Deo naturaliter insitam, & scriptam in cordibus nostris, Deumque illius esse authorem, quatenus naturæ nostræ author est, & conditor. Sic S. Amb. lib. 9. Epist. 71. *Illæ lex, inquit, non inscribitur sed innascitur; nec aliqua percipitur lectione, sed profuso quodam naturæ fonte in singulis exprimitur*. Et S. Maximus Centuria 5. cap. 13. *Lex naturæ, inquit, est ratio naturalis quæ captivum tenet sensum ad delendam vim irrationalem*. Demum Tullius in lib. de legibus, summa eloquentia, & pene divina voce, ut loquitur

C

La-

Lactantius *lib. 6. de vero cultu cap. 8.* legem naturalem describens ait, *Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congrua, diffusa per omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat.* Constat ergo ex his legem naturalem positam esse in ipso rationis lumine; non quidem actuali, alioqui cum nihil agimus non maneret in nobis lex naturalis: Ergo reponenda est in ipso lumine habituali.

*Respondeo*, præfatas auctoritates nihil aliud probare, quam legem naturalem interdum pro conscientia, & synderesi accipi, quatenus videlicet dicitur quid agendum, quidve omittendum sit, sicut conscientia. Nihilominus ut jam observavimus in primo notabili, lex naturalis à conscientia in pluribus discrepat: nam lex dicit regulam generaliter constitutam circa agenda: conscientia verò dicit dictamen practicum in particulari; unde conscientia latius patet quam lex naturalis, quia non tantum applicat legem naturalem, sed etiam quamcumque aliam, sive divinam, sive humanam. *Deinde*, Conscientia non solum applicare solet veram legem, sed etiam existimatam; Hinc interdum datur conscientia erronea; Lex autem erronea dari non potest; nam eo ipso non esset lex, quod maximè verum est de lege naturali quæ Deum habet authorem.

*Denique*, Lex propriè fertur circa agenda; conscientia autem versatur circa ea quæ jam facta sunt; & ideo illi tribuitur non solum ligare, & obligare, sed etiam accusare, testificare, damnare, & cruciare.

*Objicies 2.* Quidquid est in animis nostris, vel est potentia, vel passio, vel actus, vel habitus: atqui lex naturalis non est potentia animæ, nec passio, nec actus; alioqui cum nihil agimus, non maneret in nobis lex naturalis: Ergo est habitus.

*Respondeo* ad minorem, legem naturalem non esse potentiam aut passionem, sed esse actum; quia est præscriptio, seu dictamen rectæ rationis. Ad id quod subjungitur, quòd si esset actus, cum nihil agimus, non maneret in nobis lex naturalis: *Respondeo* negando illam sequelam: Nam non dicitur actus quasi semper existat, sed quia vel actu existit, vel est actus natus existere; manetque tate dictamen virtualiter, & sic est actus rationis, vel in re, vel in virtute existens:

*Objicies 3.* Lex naturalis manet in pueris, & amentibus: atqui in illis non est

actus rationis, nec facultas expedita ad rationem: Ergo necessum est quòd ipsa lex naturalis sit lumen habituale, & naturale in actu primo consideratum.

*Distinguo majorem*, In pueris, & amentibus remanet lex naturalis in actu secundo, *nego*: in actu primo, *transeat*: quia licet judicent aliqua ratione de rebus agendis, non tamen judicant cum perfecta cognitione quæ habeat annexam rationem imperii, & regulæ, seu normæ conformis rectæ rationi; porrò tale iudicium est necessarium ad legem naturalem: Unde lex naturalis tantum in ipsis remanet per modum habitus improprie dicti, sicut & in ipsis remanet habitus primorum principiorum quem intelligentiam appellamus.

*His addo* lumen ipsum naturale habituale sicut & conscientiam ac synderesim, posse reverà legem naturalem appellari; non quidem adæquatè, sed inadæquatè, ratio siquidem adæquata legis naturalis, non solum in ipso rationis dictamine circa ea quæ agenda sunt, vel omittenda, sed maximè reponenda est in ipso divino præcepto, vel prohibitionem procedente à voluntate Dei, ut authore, & rectore naturæ: ut aperiet

### CONCLUSIO TERTIA.

**L**ex Naturalis non consistit formaliter in dictamine, & iudicio solum stenitivo, & indicativo boni, & mali: Sed etiam præceptivo, & imperativo ac obligante ad ea quæ tali lege præscripta sunt. Hæc est communior cum Seraphico Doctore in 2. *dist. 35. dubio 4.* & Gersono *Tract. de vita spirituali lib. 2. Corol. 5.* ubi legem naturalem sic definit, *Lex Naturalis præceptiva, est signum inditum cuilibet homini non impedito in usu rationis, & notificativum voluntatis divine volentis creaturam rationalem humanam teneri ad aliquid agendum vel non agendum per consecutionem sui finis naturalis.*

*Probatur*: Lex naturalis est verè, & propriè dicta lex: ut fatentur omnes Philosophi, & Theologi: sed lex propriè dicta est verè præceptiva: Ergo, &c. Probatur minor: *Tum* quia de ratione legis verè, & propriè dictæ est, quòd sit præceptiva; siquidem lex est actus prudentiæ, quæ consistit formaliter in actu imperii, subindeque præceptiva est: *Tum* quia lex naturalis est propriè dicta regula, & mensura bonitatis

aut

aut malitiæ moralis actus humani: sed iudicium indicativum, & ostensivum boni: & mali non potest esse talis regula, & mensura bonitatis aut malitiæ actus humani; siquidem illam bonitatem aut malitiam supponit, eamque tantum iudicat; regula autem, & mensura alicujus regulati, & mensurati retitudinem aut obliquitatem non supponit; siquidem hæc non cognoscitur nisi per applicationem ad regulam: Ergo, &c.

*Deinde*, Deus habet iudicium ostensivum eorum quæ decent aut dedecent suam naturam divinam, contra quod iudicium ipse non potest operari; & tamen non habet legem propriè dictam; & consequenter lex naturalis cum sit verè, & propriè dicta lex, non potest formaliter consistere in solo dictamine, & iudicio solum ostensivo boni, & mali.

*Denique*, Quidquid sit contra præscriptum legis naturalis est reverà peccatum: sed omne peccatum est alicujus præcepti transgressio, & violatio: Ergo lex naturalis debet esse præceptiva.

Major probatur ex Apostolo *ad Rom. 1.* ubi docet Gentiles fuisse inexcusabiles, & grandis peccati reos ex eo quod per legem naturalem noverint quid esset agendum, quidve omittendum; neutrum tamen legis illius præscriptum impleverint. Minor probatur ex *S. Amb. lib. de Paradiso cap. 8* ubi peccatum sic definit generaliter, *Peccatum est legis divina prævaricatio, & celestium inobedientia mandatorum.* Similiter ex *S. August. qui lib. 2. contra Faustum cap. 27.* definit peccatum esse *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: additque *legem æternam esse rationem, vel voluntatem Dei.* Sentit ergo de ratione peccati, esse ut sit contra legem propriam alicujus superioris. Quod utique clarius indicat *lib. 2. de peccat. meritis, & remiss. cap. 7.* ubi ait; *Quomodo dimittitur per Dei misericordiam si peccatum non est, aut quomodo non vetatur per Dei justitiam si peccatum est?* Quibus significat non minus repugnare esse peccatum, & non prohibitum à Deo, quam indigere remissione, & non fuisse peccatum.

Idem docet Doctör *in 4. dist. 50. num. 9.* ubi ait; *Quodcumque peccatum idè est peccatum, quia est contra præceptum divinum.*

*Dices*: Si lex naturalis esset præceptiva, esset maximè, vel præceptum hominis ad alium, vel ad seipsum, vel Dei ad homines: sed neutrum potest affirmari: Ergo

nec asseri eam esse præceptivam: Major constat à sufficienti partium enumeratione. Minor manifesta est quoad primam, & secundam partem; Quia præceptum hominis ad alium ad legem humanam spectat; imperium autem hominis ad seipsum respectu suarum actionum non potest habere veram rationem legis; cum lex sit ordinatio superioris ad subditum; nemo autem sit sibi superior. Patet etiam eadem minor quoad tertiam partem: Tum quia præceptum quo Deus aliquid hominibus imperat spectat ad legem divinam; lex autem divina à naturali discrepat: Tum quia secluso quocumque Dei præcepto, dictamen rationis naturalis sufficienter dicitur quid bonum sit quidve malum; Ergo lex naturalis nullatenus est præceptiva.

*Nego minorem* quantum ad tertiam partem, & ad primam ejus probationem dico legem naturalem etiam divinam appellari; nam, inquit *S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 23.* *Lex Dei mentem nostram incendens, eam ad se pertrahit, conscientiamque nostram vellicat, quæ & ipsa mentis nostræ lex dicitur.* Adeoque censet legem naturalem esse pariter legem Dei, quatenus nempe est quædam participatio, & applicatio legis æternæ.

*Ad secundam probationem* nego antecedens; Cum enim dictamen quo Deus precipit hominibus opera bona, & prohibet opera mala ex lege Dei æterna deriveur, fitque, ut mox diximus, quædam illius participatio, & applicatio: Consequens est quod seclusa lege Dei æterna, & ejus præcepto, nullum foret rationis naturalis dictamen hominibus indicans, & dicitans quid sit bonum aut malum.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### Quotuplex sit Lex naturalis.

**N**otandum 1. Certum esse quod Lex Naturalis sit una. 1. *Unitate luminis*, quia unico lumine naturali hominem illustrat, & ei dicitur ac demonstrat quid agendum sit, quidve omittendum. 2. *Unitate principii*, quia unicum Deum habet Legislatorem, & Authorem. 3. *Unitate finis*, quia in hunc unicum finem collineat, ut hominem constituat rectum secundum inclinationem naturæ. An autem sit etiam una *Unitate præcepti*, hic erit re-

solvendum. Sensus autem hujusce quæstionis potest esse triplex. *Primus*, an eadem Legis naturæ præcepta communia sint apud omnes. *Secundus*, an illa præcepta plura sint, an verò unicum. *Tertius*, an ex hypothesi quòd plura sint, ad unicum possint revocari.

*Notandum 2.* Præcepta legis naturæ esse duplicis generis; alia nempe sunt generalia, & omnibus hominibus nota, qualia sunt ista; Bonum est faciendum, malum fugiendum: Quòd tibi fieri non vis, alteri ne feceris, &c. Alia verò propria, & particularia, quæ ex his principiis generalibus inferuntur: idque dupliciter; vel enim deducuntur facili negotio, & absque ulla difficultate, quale est istud: Alienum invito domino detinendum non est: vel nonnisi magna cum diligentia ex principiis generalibus possunt inferri, quale est istud: Pecunia non est mutuo danda ad usuram. Queritur autem an hæc utraque præcepta legis naturæ apud omnes profus homines eadem sint, vel possint esse diversa.

*Notandum 3.* Præcepta legis naturæ tam generalia quam particularia spectari posse, vel quoad certitudinem, vel quoad notitiam, & evidentiam. Certum est autem quòd generalia certiora sint, & notiora particularibus, quippe cum per ipsum ingenitum rationis lumen innotescant: Unde quemadmodum in speculativis, prima principia, quæ per intelligentiam deprehenduntur, longè sunt certiora, & notiora conclusionibus ex eis per scientiam illatis: Ita etiam in practicis, prima præcepta, quæ sunt matrices regulæ rerum agendarum, longè videntur esse certiora præceptis particularibus quæ ex eis inferuntur.

*His ita præmissis* tria hic supersunt determinanda. *Primum*, an generalia præcepta legis naturæ sint eadem apud omnes profus homines quovis in statu consideratos. *Secundum*, an præcepta particularia eandem vim, certitudinem, & notitiam apud omnes habeant. *Tertium*, an plura sint in quolibet homine præcepta legis naturæ, & qualiter invicem ordinentur.

### CONCLUSIO PRIMA.

**L** Ex naturalis eadem omnino est in omnibus hominibus quovis in statu spectatis; quantum ad principia generalia. Hæc est communis apud Theologos, & Jurisperitos.

*Probat*ur: *Primo* quidem, quia hæc lex est veluti proprietas consequens non rationem propriam, & particularem alicuius individui, sed specificam naturam: sed hæc natura eadem est in omnibus: Ergo & ipsa lex. *Deinde*, quemadmodum in speculativis prima principia nota sunt, quorum veritati nemo dissentire potest; ita in practicis quoad principia prima, & præcepta generalia, est eadem veritas, eademque rectitudo omnibus nota. *Denique*, ubique, & semper agnoscitur, & pro certo habetur bonum esse amplectendum, malum esse fugiendum: alteri non esse faciendum quòd tibi fieri non vis, adeoque hæc præcepta omnibus, & ubique sunt pervia.

*Dices*; Diversæ nationes varias statuerunt leges naturalibus præceptis contrarias; nam Julius Cæsar lib. 6. de bello Gallico refert apud Germanos furtum olim non fuisse improbatum, sed permisum. Idem de Lacedæmonibus refert Castro ex Plutarcho lib. de lege pœnali cap. 14. Similiter refert Plutarcho in vita Lycurgi adulterium ab eo fuisse probatum tanquam natura permisum: sed furtum, & adulterium in ipsa legis naturæ præcepta pugnant: Ergo hæc non videntur omnibus nota.

*Distinguo majorem*: Statuerunt plurimæ Gentes leges adversantes naturæ præceptis generalibus, & quæ se habent instar primorum principiorum in practicis; *Nego majorem*: Adversantes præceptis particularibus, & quæ ex prioribus inferuntur, *Concedo*: Quemadmodum enim licet omnes homines conveniant in primis principiis speculativis, nec ullus eorum veritatem in dubium revocet; nihilominus plerumque invicem pugnant circa conclusiones ex illis principiis illatas: Ita à simili, quamquam omnes homines invicem conveniant in præceptis generalibus per legem naturæ præscriptis; tamen à vero possunt deviare, dum ex generalibus illis principiis leges particulares inferunt quasi naturæ convenientes: Unde non mirum si leges illæ speciales à diversis Nationibus sancitæ non solum inter se, sed etiam cum ipsis generalibus naturæ præceptis pugnent.

*Dices 2.* Lex naturæ ea est quæ potissimum in Evangelio continetur, ut habetur *dist. 1.* atqui quod in Evangelio continetur non est commune omnibus; *Non enim omnes obediunt Evangelio*, inquit S. Paulus ad Rom. 10. Ergo lex naturæ non est una apud omnes.

Re.



*Respondeo ad minorem, eam non sic esse intelligendam, quasi omnia quæ in Evangelio continentur sint de lege naturæ, sed tantum illius propositionis sensus est, quod quæ sunt de lege naturæ plenariè in Evangelio traduntur: undè cum Gratianus dixisset, Ibi Jus naturæ esse quod in Lege, & Evangelio continetur: statim explicando subiungit, Quòd quisque iubetur alteri facere quod sibi vult fieri; in qua legis naturæ maxima, plurimæ legis Evangelicæ maximæ fundantur.*

### CONCLUSIO SECUNDA.

**P**recepta particularia Legis Naturæ quæ ex generalibus inferuntur, ut plurimum eadem sunt apud omnes: Deficiunt tamen interdum apud plurimos, tam quoad rectitudinem eorum, quàm quoad ipsorum notitiam.

Hæc pariter est communis quantum ad utramque partem, quarum Prior perse patet: plurima namque ex principiis particularibus quæ ex generalibus inferuntur vera sunt, & ut vera habentur ab omnibus. Posterior verò pars ostenditur; quia contigit interdum quòd conclusiones ex principiis generalibus deductæ, non sint rectæ; sic v. g. ex illo principio generali *depositum est domino reddendum*, non est recta hæc quæ inferitur conclusio: *Ergo depositum est reddendum domino repetenti illud in perniciem patriæ*. Ratio autem hujus rei est, quòd principia communia operabilium in eventibus particularibus patiuntur instantiam, & distinctionem. Nam discrimen est inter conclusiones speculativas, & practicas ac operabiles; quòd speculativæ habent eandem veritatem perpetuò, & apud omnes; practicæ non ita, eo quòd sint de rebus particularibus quæ varias circumstantias admittunt, secundum quas conclusiones illæ variantur. Unde fit quòd ex mutatione circumstantiarum id quod justum ac rectum erat, definit esse rectum, & justum. Quapropter licet verum sit perpetuò in speculativis quòd *numerus impar non possit dividi in duas partes æquales*; tamen in practicis non est perpetuo verum *depositum*, v. g. *esse domino repetenti reddendum*; nam in iis circumstantiis in quibus repeteretur in perniciem reipublicæ, non esset domino petenti restituendum; quia bonum privatam cedere debet bono publico. Constat igitur quòd lex naturæ non

*Frasen Theol. Tom. VI.*

sit una apud omnes secundum rectitudinem præceptorum particularium.

Constat pariter eam etiam interdum non esse unam & eandem apud omnes secundum notitiam, & illationem ejusmodi præceptorum ex principiis generalibus; quia rectum judicium in rebus agendis impeditur aliquando aut per passionem, quæ rationis usum pervertit, aut per malam consuetudinem, aut per depravatam naturæ ipsius habitudinem; quo fit ut latrocinia quibusdam Gentibus visa fuerint non injusta, apud alias usuræ non fuerint vitæ; apud plerasque simplex fornicatio inter crimina locum non habuerit.

Hinc etiam fit quòd de quibusdam præceptis illatis ex præceptis generalibus minus interdum constat apud Theologos quàm de aliis præceptis, quod inde fit, quia quantò magis conclusio distat à principiis, tantò minus est evidens; sic v. g. ex hoc principio *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, sequitur evidentissimè: *Ergo adversus alterum non est proferendum falsum testimonium*: sed non ita evidenter colligitur: *Ergo non est dicendum mendacium pro vita hominis conservanda*: Similiter ex eodem principio evidentissimè colligitur *non esse furandum*: sed non ita evidenter sequitur, *Non esse pecuniam suam ad usuram mutuò dandam*: quamvis hæc duo, non est mentium pro conservanda vita hominis, & non est danda pecunia ad usuram, sint æquæ legis naturæ præcepta, ac duo posteriora, videlicet non est proferendum falsum testimonium, & non est furandum.

### CONCLUSIO TERTIA.

**L**ex naturalis unum habet primum principium ex quo cætera velut ex fonte derivantur, & ad quod tamquam ad caput revocantur, nempe bonum est sectandum, malum est fugiendum. Hæc pariter communis est apud Theologos, & c.

Probat: Ut se habent principia ad rationem speculativam, ita se habent ad rationem practicam: at sicut in speculativis hoc principium, *impossibile est idem simul esse, & non esse*, ideo censetur esse primum omnium principiorum; quia ex ipso inferuntur omnes conclusiones scientiæ, & per illud probantur: Pari ratione in practicis hoc principium *bonum est sectandum, malum fugiendum*, primum est, & capitale;

quippe cum ad istud cætera revocentur, & per illud firmantur: Ergo revera hoc principium erit primum.

Probatur minor à paritate rationis; quia sicut in speculativis omnia principia revocantur, & firmantur per primum quod fundatur supra rationem entis, & non entis, inter quæ non est medium; ita pariter in practicis omnia legis naturæ præcepta revocantur ad istud, bonum est faciendum, & malum fugiendum, quod utique inductione facillè sic probari potest.

Triplicis namque generis sunt naturæ præcepta, quorum aliqua respiciunt hominem, ut est substantia: aliqua ut est animal; alia denique ut est rationalis; nam cum bonum sit objectum appetitus seu inclinationis, quot sunt distinguendæ inclinationes in homine quibus in bonum naturale tendit, tot sunt nativæ legis præcepta in eo distinguenda; siquidem nativæ lex ad id unicum ordinatur, ut hominis inclinationes rectificet, & in id quod sibi conveniens est, dirigat: sed est aliqua inclinatio in homine, quatenus est ens, & substantia: nimirum inclinatio ad conservationem sui esse, & ad comparisonem eorum omnium quæ suæ conservationi, & utilitati deservire possunt: Est insuper in eo inclinatio quatenus animal, ad conservationem suæ speciei, generando sibi simile: Est pariter in eo inclinatio quatenus est rationalis, ut societatem ineat non solum cum cæteris hominibus, & vitam sociabilem ac politicam ducat, sine aliorum offensione, sed etiam cum Deo ut Authore naturæ, ad quem totus ordinatur, & cuius cognitionis, & dilectionis est capax: Ergo pariter triplicis generis præcepta in lege naturæ distinguenda sunt, quibus homo dirigatur, & reguletur. *Primò* respectivè ad seipsum, decenter vivendo secundum inclinationem à natura insitam, qua fertur ad conservationem sui in cibo, & potu, & in arcendis sibi nocivis. *Secundò*, respectivè ad communicandam naturam suam alteri, quo fertur ad conservationem speciei decenter generando sibi simile. *Tertiò* denique, decenter vivendo in ordine ad Deum, & homines quibuscum societatem inire debet. *Ad primum* genus temperantia suppeditat præcepta de cibo, & potu moderatè sumendis; fortitudo autem subministrat vim, & robur ad repellenda nociva vitæ conservationi: *Ad secundum* spectant præcepta castitatis, & prudentiæ,

quibus decenter fiat propagatio, & libero-rum educatio: *Ad tertium* verò pertinent præcepta religionis, justitiæ, &c. quibus possit, & Deum colere, & honorare parentes, & superioribus obsequi, & cum cunctis ita vivere ut neminem offendat.

Hæc autem omnia præcepta facillè revocantur ad primum, & capitale præceptum, nempe *bonum est sectandum, malum fugiendum*; adeoque hoc præceptum est primum, & capitale ad quod cætera revocari possunt.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De materia, & obligatione Legis Naturalis.*

**C**um potissima Legis cujusque virtus, & ratio in obligatione ad aliquid sectandum, vel declinandum consistat, recta justaque dicendi methodus exigit, ut post delineatam legis Naturæ essentiam, nunc ejusdem vim obligandi declarem; quod utique sequentibus in Quæstionibus præstabitur; quarum *Prima* aperiet circa quam materiam Lex Naturæ sese extendat: *Secunda*, qualiter ad ipsius præcepta implenda homines teneantur, & obligentur.

### QUÆSTIO PRIMA.

*Quenam sit materia circa quam Lex Naturalis versatur.*

**N**otandum I. Certum esse materiam Legis Naturalis id omne reputari, quod lumen naturale judicat, & indicat ex se necessarium esse, vel consentaneum naturæ rationali: Lex enim naturæ juxta communissimam Theologorum doctrinam in hoc potissimum à lege positiva distinguitur, quod illa sit de necessariis ex natura rei ad honestatem creaturæ rationalis; ista verò de necessariis solum ex voluntate Legislatoris. Unde non solum primariorum principia, sed etiam conclusiones practicæ ex eis evidenter deductæ, spectant ad legem naturæ, ut rectè docet Doctor in 3. dist. 37. n. 5. *Dico*, inquit, *quod aliqua possunt esse de Lege Naturæ dupliciter: uno modo tamquam prima principia practica nata ex terminis, vel conclusiones necessariò sequentes ex eis: & hæc dicuntur esse strictissime de Lege Naturæ.* Tam enim hujusmodi conclusiones sunt necessariae creaturæ rationali, quam principia ex quibus deducuntur: si- quidem

quidem destructa conclusione, ruit pariter principium, juxta modum argumentandi ab opposito consequentis. Quapropter merito Apostolus ad Rom. 2. generaliter sub Lege Naturæ comprehendit ea omnia quæ gentes naturali instinctu judicant esse bona vel mala, seu faciendâ, vel fugiendâ. Certum ergo esse debet id omne ad legem naturæ spectare, quod naturale lumen judicat naturam rationalem decere aut dedecere. Quænam autem specialiter ad ipsam legem pertineant, non ita certum.

*Notandum 2.* Leges, & præcepta naturæ non tantum spectari debere respectivè ad ipsam naturam secundum naturalem suum statum consideratam, sed etiam respectu ejusdem, ut elevatur ad statum supernaturalem, & fidei lumine illustratur. Cum enim ingenitum naturæ lumen dicitur universim, id quod ipsi naturæ conveniens est, decenter sectandum esse; Cumque natura rationalis non solum in finem ab Authore naturæ præfixum; sed etiam ad finem ab ipsomet Deo ut authore gratiæ determinatum per media convenientia deduci possit: Inde fit quod præcepta Legis naturæ, influent, & indicent omnem finem ipsi naturæ debitum decenter esse sectandum. Hinc posita institutione Sacramentorum v. g. quibus finis supernaturalis posuit obtineri, Lex naturæ, quæ universim dicitur finem per media decenter applicanda esse consequendum, dicitur pariter Sacramenta non esse indignè recipienda, nec irreverenter tractanda. Licet enim hæc, & similia præcepta vocentur interdum supernaturalia, quia nempe ad finem supernaturalem ordinantur: sunt tamen reverà connaturalia naturæ rationali elevatæ ad statum gratiæ, & ordinatæ ad finem supernaturalem, & ut sic distinguuntur contra præcepta positiva: nam recta ratio fide illustrata judicare potest, etiam seposita omni particulari superioris ordinatione, Sacramenta non esse indignè administranda, nec indignè tractanda. Unde ad dignoscenda præcepta Legis naturæ, quatenus contra præcepta legis positivæ distinguuntur attendi debet lumen naturæ non solum in statu naturali consideratæ, sed etiam ut elevatæ ad statum gratiæ, & ut fidei lumine illustratur.

*Notandum 3.* Maximè controversiam moveri de actibus virtutum, & præceptis Decalogi, an videlicet circa illa lex nativa

versetur veluti circa materiam sibi convenientem, & propriam, ita quod seclusa quavis Legislatoris ordinatione positiva, hæc per lumen naturale dicitentur esse sectanda, & implenda tamquam convenientia naturæ rationali. Cum autem virtutes duplicis sint generis, quarum aliqua sunt necessariae ad hominem debitè instituendum in his quæ ad statum naturalem spectant, quæ ad probè regulandam triplicem ejus inclinationem, qua fertur vel ad sui ipsius conservationem, vel ad speciei suæ propagationem, vel ad societatem debitè cum superioribus, paribus, & subditis incundam: Aliæ verò, quæ non sint ita necessariae, sed tantum cadant sub consilio, opera supererogationis dicuntur; movetur quæstio qualiter circa eas Lex naturæ occupetur. Cum pariter præcepta Decalogi sint duplicis tabulæ, & aliqua ad Deum spectent, qualia sunt tria præcepta primæ tabulæ, alia verò ad vitam debitæ instituendam respectivè ad homines difficultas pariter movetur, an omnia hæc utriusque tabulæ Decalogi præcepta spectent ad materiam Legis naturæ.

*Quocirca* tria hic maximè supersunt determinanda. *Primum*, an omnis virtutum actus spectet ad legem naturæ: *Secundum*, an lex naturæ non solum entitatem actus virtutis præcipiat, sed etiam modum quo elici debeat. *Tertium* denique, an, & qualiter omnia Decalogi præcepta ad ipsam naturæ legem spectent.

### CONCLUSIO PRIMA.

**L**ex Naturæ versatur circa omnes actus virtutum in communi consideratos; si verò spectentur in particulari, non omnes sunt de Lege Naturali. Hæc duas partes complectitur, quarum

*Probatum prima.* Id omne spectat ad legem naturalem, ad quod homo secundum naturam suam inclinatur: atqui homo naturaliter inclinatur ut secundum virtutem agat; nam unumquodque inclinationem habet naturalem secundum quod sua propria forma exigit, sicut ignis ad calefaciendum naturaliter inclinatur; propria autem forma, quæ est anima rationalis, exigit ut homo secundum virtutem operetur. Atque hinc est quod S. Damascenus dixit, virtutes esse homini naturales.

*Secunda pars* pariter probatur, quia mul-

ta ab homine efficiuntur secundum virtutem ad quæ natura non inclinat primo, & per se, sed ea homines per rationis inquisitionem invenerunt quasi ad benè, & quietè vivendum accommodata: aut si ad ea natura primo inclinat, ad quæ tamen non inclinat præcipiendo, quales sunt aliqui actus virtutum qui sunt tantum de consilio.

*Obicies* contra primam partem nostræ propositionis: Actus virtutum qui sunt tantum de consilio non sunt de Lege naturali, cum non sint in præcepto: Ergo falsum est omnes actus virtutum esse de lege naturali. Item, Actus virtutum supernaturalium non sunt de lege naturali; Natura enim nihil dicitur de operibus supernaturalibus. Item, Sequeretur ex hac parte nostræ propositionis non posse discrimen constitui inter ea quæ sunt de lege naturali, & humana: nam ut primum aliquid esset præceptum lege humana, pertinet ad genus virtutis: adeoque si vera sit nostra doctrina, est de lege naturæ.

*Respondeo* ad primam partem, Actus virtutum de consilio, tantum esse de lege naturali, si spectentur in universum: non verò si considerentur in particulari: at quæ in universum spectantur, ut sic non cadunt sub præceptum, sed tantum quæ in particulari; nihil enim præcipitur, nisi quod est faciendum: res verò in universum faciendæ non sunt, sed solum res in particulari. Unde aliud est rem esse de lege naturali, & aliud est eam esse de præcepto legis naturalis; quemadmodum consilia Evangelica sunt quidem de lege Evangelica, non tamen sunt de præcepto ipsius Evangelicæ legis.

*Ad secundam partem*, dico conclusionem maximè intelligendam esse de virtutibus naturalibus. Si autem etiam ad virtutes supernaturales extendatur, dico quod natura dicitur de illis, si non immediatè, saltem mediatè, & confusè, in quantum dicitur de fine ultimo, qui est clara, & intuitiva Dei visio, ad quam actus virtutum supernaturalium ordinantur tamquam media ad finem.

*Ad tertiam* dico, discrimen esse inter legem naturalem, & humanam, quod quæ sunt de lege humana, si considerentur in universum, sunt de lege naturali, & nullo modo si considerentur in particulari: Nam, ut ait Aristoteles 5. Ethic. cap. 7. *Jus naturale eamdem vim habet apud omnes, & non quia videtur, vel non videtur: Jus autem positivum est, quod à principio nihil refert sic, vel aliter fieri: Postquam verò statutum est,*

*multum refert: quare vim omnem habet ex impositione.* Unde dico ea quæ sunt de lege naturali tantum esse in duplici differentia: Quædam enim sunt necessaria adeo ad finis consecutionem, ut eorum necessitas sit omnibus evidens: qualia sunt hæc præcepta, non esse mentiendum: non esse adulterandum. Alia verò sunt necessaria quidem, sed eorum necessitas non est omnibus evidens; indigent verò declaratione, & accurata industria, v.g. talem contractum esse usurarium: Alia autem sunt quæ conducunt ad finem; sed non sunt necessaria, & pro diversitate temporum ac regionum variantur: & hæc sunt de Lege naturali in universum: sed non sunt de lege naturali in particulari.

*Obicies* contra alteram nostræ conclusionis partem. *Primo*, Lex naturæ præcipit ut obediamus superioribus: Ergo cum Christus sit superior, Lex naturæ præcipit ut ei obediamus; subindeque omnia præcepta à Christo Domino instituta censerentur debent esse de lege naturæ. *Insuper*, Quemadmodum potentia visiva percipit omnes colores, idcirco inclinatur ad videndos omnes colores, sive illi sint à natura, sive ab arte, sive à naturali facultate producti: pari ratione, si, ut dictum est in priori parte conclusionis, natura inclinatur ad actus virtutum genericè spectatos, & quatenus actus virtuosissimi sunt, etiam inclinabit ad illos actus virtutis à quocumque, & quomodocumque virtutes ista præcipiantur aut consulantur.

*Respondeo ad primum*: Concesso antecedente, & prima consequentia, negando secundam: Nam præcepta ex quo sunt à Legislatore mediante aliquo iudicio, & ordinatione voluntaria, non censentur esse de lege naturæ: si in particulari considerentur.

*Ad secundam* nego consequentiam; quia colores quicumque continentur intra latitudinem objecti visus; adeoque per se spectant ad potentiam visivam, ac subinde illa ad ipsos conspiciendos per se ordinatur; actus verò virtutum supernaturalium non continentur intra genus naturale, neque ratione naturali comprehenduntur; subindeque mirum non est si illi sub naturæ præceptis non cadant.

*Obicies* 3. Contra utramque partem conclusionis, Non omnia peccata sunt contra legem naturæ: Ergo neque omnes actus virtutum etiam naturalium, tam in communi

muni quàm in particulari, ad legem naturæ pertinent.

*Distinguo antecedens*, Non sunt contra legem naturæ quatenus tantum consideratur secundum rationem animalis, & prout communis est omnibus animalibus, eo scilicet modo quo masculorum concubitores dicuntur peccare contra naturam, concedo: Non sunt contra naturam, quatenus est rationalis, & prout sequitur dictamen rectæ rationis ac lumen naturale dictantis quæ hominem decent aut dedecent, nego.

Sciendum enim est, ut supra diximus, tres in homine gradus distingui; nempe entis substantialis, & viventis, animalis sentientis, & rationalis ac sociabilis; ex quibus sequuntur diversæ hominis inclinationes ad varia bona. Hinc fit quòd homo spectatus secundum primum gradum dicitur peccare contra naturam, vel dum seipsum interficit, vel quando alimenta necessaria sibi denegat; nam ut ait Tullius cap. 1. *Offic. Principio generi animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur*. Spectatus verò secundum gradum animalis viventis; & quatenus ordinatur ad conservandam suam speciem modo decenti, toties dicitur peccare contra naturam, quoties admittit nefanda crimina Sodomæ, bestialitatis, &c. quæ contra legitimam hominum propagationem pugnant. Denique spectatus homo secundum gradum rationis, quælibet peccata dicuntur esse contra naturam hominis, quia contrariantur rationi ac ingeni- to lumini naturali dictanti quid sectandum quidve fugiendum sit. Duo tamen prima genera peccatorum maximè dicuntur esse contra naturam, quia nempe horrendum est ac nefandum admittere id à quo bruta ipsa abhorrent.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**L**ex naturalis inducit ut actus præceptus virtutis fiat voluntariè, cum prævia cognitione præcepti, & quòd ordinetur ad finem honestum, & decenter fiat.

Hæc conclusio tres maximè partes complectitur, quarum *Probatur prima*: Lex naturalis directè respicit actum humanum: sed actus non potest esse humanus, nisi fiat voluntariè, ac subinde sit liber: Ergo talis modus agendi respicit ipsam legem naturalem. Hinc sequitur quòd defectu hujus conditionis non satisfacit propriè præcepto ju-

stitiæ, seu misericordiæ, qui in ebrietate; aut aliunde præpedito usu rationis rem alienam restituit, vel dat eleemosynam extremè indigenti; nam qui involuntariè opus legis facit, licet illam servare videatur, nihilominus prævaricator est legis, ut docet S. Augustinus *lib. 2. contra duas epistolas Pelagii c. 9.* affirmans quòd ubi fit bonum non amore justitiæ, sed timore pœnæ; ita ut timor sit ita servilis, ut habeat conjunctum affectum non faciendi opus præceptum, si delinquenti pœna non esset infligenda; ille, inquam, legi non satisfacit, nec bonum exequi censetur.

Qui tamen ita restitueret aut eleemosynam conferret, non teneretur iterum eleemosynam aut restitutionem facere; eo quòd materia præcepti sublata sit, altero recipiente quod suum est, & pauperis necessitate sublevata.

*Patet etiam secunda pars*, Nam ut actus sit reverà actus virtutis, & humanus, non solum debet esse voluntarius, sed etiam cum advertentia, & deliberatione elicitus: talis autem esse nequit absque prævia aliqua præcepti notitia: Attamen existimarem non absolute requiri ad implendum naturæ præceptum, quòd illud sit in particulari distinctè cognitum; Ratio est, quia lex nihil aliud imperat, quàm ut actus fiat: Unde si contingat aliquem voluntariè dare eleemosynam alicui pauperi extremè indigenti, & consequenter eo tempore quò præceptum naturale obligat, licet ille qui facit eleemosynam, illam necessitatem, & obligationem non agnoverit, reverà satisfacit præcepto; ita quòd postmodum ubi hanc obligationem compertam habebit, non teneatur iterum dare eleemosynam. Similiter etsi obligatio colendi Deum aliquo die, puta missam audiendi, ignoretur ab eo qui tamen ipso die missam audit devotionis causa, censetur præcepto satisfacisse, nec tenetur postmodum resciscens obligationem præcepti, denuo missam audire: quippe præceptum tantum infert obligationem audiendi missam, cui satisfacit ille missam audiendo, etsi tale præceptum non agnoverit.

*Patet etiam tertia pars*, Nempe quòd lex naturæ inducat, ut actus fiat ob finem, & motivum honestum: quia nativa lex ordinatur ad hominis perfectionem: at homo non censetur perfectus in operando, nisi agat ex motivo honestatis, & juxta decentiam, & honestatem consentaneam suam

suâ naturæ: Igitur natura inducit ut operatur taliter fiant.

Non est tamen necesse quòd taliter quis operetur ut naturæ præcepta impleat: Si quidem tenore præceptorum nihil aliud habetur, quàm quòd præcipiatur actus honestus, putà sublevanda proximi necessitas per eleemosynam, & rem proprio domino restituendam: quæ impleri possunt etiam ob finem non honestum; nam qui restituit debitum, naturale præceptum restituendi servat, etiamsi id faciat modo indebito; & qui dat eleemosynam, naturale præceptum misericordiæ servat, etiam si propter vanam gloriam eleemosynam ipsam largiatur. Hinc fit quòd lex aliqua naturæ possit impleri per actum indifferentem, quem cum aliunde nulla lex prohibeat, sequitur per ipsum aliquam naturæ legem absque ullius alterius legis transgressione posse impleri: Imò potest etiam impleri per actum ex circumstantia vitiatum, & per alterum naturæ præceptum prohibitum: sic v. g. aliquis satisfacit præcepto dandi eleemosynam aut honorandi parentes, etiam si id exequatur ob vanam gloriam quæ per alteram naturæ legem prohibetur, ita quòd, ut jam diximus, qui ita eleemosynam largitus est pauperi extremè indigenti, non teneatur ob aliud honestum motivum iterum eleemosynam tribuere.

*Fateor tamen* per actum vitiosum ex circumstantia reverà non servari nec impleri totum jus naturæ; nam hoc jus ab humano positivo in eo discrepat, quòd humanum præceptum ex integro servari possit per actum ex circumstantia, vel fine vitiosum, quia illa malitia quæ tali actui inest, sæpe non est contra aliquod præceptum humanum; sed dumtaxat contra jus generale; quod cum ordinetur ad moralem hominis perfectionem, non solum intendit executionem illius quod faciendum dicitur recta ratio, sed etiam eo decenti ac debito modo qui requiritur ut homo censeatur decenter operari.

### CONCLUSIO TERTIA.

**O**mnia Decalogi præcepta, si tertium de sanctificatione sabbati excipias pertinent ad Legem Naturæ; non tamen eodem modo. Hæc est Doctoris in 3. dist. 37. num. 5. & sequentibus, quantum ad tres suas partes: quarum

*Probatur Prima:* Illud est de jure naturæ ex Aristotele 5. Ethic. cap. 7. *Quod ubique vim habet, & non quia videtur, vel non videtur.* Hoc est, vim habet ex natura rei, non autem quia voluntariè, & arbitrariè instituitur: atqui tale est jus quo omnia Decalogi præcepta, excepta speciali determinatione diei festi, observare tenemur; illud enim jus non provenit ex aliqua voluntaria, & arbitraria institutione; alioquin non vigeret apud omnes Gentes: sed ex vi folius rationis naturalis obligat, ut patet de cultu Dei, & honore parentum frequentando, necnon & de homicidio, adulterio, & cæteris: Ergo omnia præcepta Decalogi censenda sunt ad legem naturæ spectare. *Deinde:* Illa spectant ad legem naturalem, quæ maximè naturam rationalem decet: sed talia sunt omnia Decalogi præcepta; quid enim hominem magis decet, quàm debito cultu supremum suæ formationis artificem Deum nempe, necnon & eos colere à quibus vitam, & naturam accepit? Quid tam congruum, tamque necessarium humanæ societati ac tranquillitati, quàm adulteria, furta, homicidia, & cætera hujusmodi, quæ per Decalogi præcepta prohibentur, vitare ac fugere?

*Denique* in hoc lex naturalis à positiva discrepat, quòd illa supponit in objecto honestatem quam præcipit, & moralem deformitatem ac malitiam quam prohibet. Hæc verò non ita supponit in objecto quòd præcipit aut prohibet moralem necessitatem agendi aut omittendi, sed illam inducit: Illa quæ præcipit non sunt bona, quia præcepta, aut mala, quia prohibita; sed è contrario præcipit quia bona, & moraliter necessaria ex natura rei, vel prohibet quæ mala, & naturaliter sunt indecentia ex se: quæ verò per legem positivam præcipiuntur, sunt tantum necessaria moraliter, quia præcepta sunt; & quæ per illam prohibentur sunt tantum mala, & illicita, quia prohibita: sed omnia quæ præcipiuntur vel prohibentur per Decalogum, excepta determinatione diei festi in sabbato, sunt bona, & honesta, vel turpia, & indecentia ex ipsa natura rei, & seclusa quacumque lege positiva, ut constat in cultu Dei, honore parentum, homicidio, furto.

*Patet etiam secunda pars,* Nempe quòd cultus Deo maximè impendendus die sabbati, non sit de lege naturæ, seu ut inquit Doctor, *Tertium præceptum quod est de sab-*

*sabbato est affirmativum tamquam ad aliquem cultum exhibendum Deo determinato tempore, & quantum ad determinationem huius temporis vel illius, non est de lege naturæ strictè loquendo. Similiter nec ad partem negativam, quæ includitur; quæ scilicet prohibetur actus servilis pro tempore determinato, prohibens à cultu tunc exhibendo Deo: Ille enim actus non prohibetur nisi quia est impediens vel retrahens ab isto cultu qui præcipitur.* Quibus Doctor primò supponit tria involvi in præcepto de Sabbato servando. *Primum* quòd aliquis cultus Deo sit exhibendus determinato aliquo tempore; & quantum ad hoc, præceptum illud est affirmativum; nec obligat ut omni tempore cultus aliquis positivus Deo exhibeatur. *Secundum* est, quòd ille cultus Deo sit impendendus die Sabbati; & quantum ad hoc, præceptum illud etiam est affirmativum. *Tertium* denique quòd præceptum illud complectitur, est, abstinendum esse ab operibus servilibus illis diebus Sabbati; quæ ratione præceptum hoc negativum est; quia opera servilia in nulla diei Sabbati parte licet facere. Quibus præmissis, concludit hoc præceptum quantum ad duo posteriora capita non esse de jure naturæ strictissimo, atque adeò non esse indispensabile. Quod utique patet quantum ad primum caput: siquidem Ecclesia transtulit illam obligationem à die Sabbati ad diem Dominicam; quod certè non fecisset, si præceptum de cultu Deo exhibendo die Sabbati fuisset de strictissimo jure naturæ.

*Adde* quòd nulla possit assignari ratio quæ urgeat ad exhibendum Deo cultum potius die Sabbati aut Dominica, quàm die veneris aut jovis si solum naturale lumen attendas. Ergo sicut non est præceptum Deo cultum particularem exhibendi die jovis aut veneris ex dictamine luminis naturalis; ita etiam nec esset exhibendus die Sabbati aut Dominica, nisi positiva lex præciperet Deum colendum die Sabbati aut Dominica: Ergo hic cultus tali die exhibendus, non est de lege naturæ.

*Patet etiam eadem veritas* quantum ad secundum caput; nempe de abstinendo ab operibus servilibus illis diebus: tum propter rationes jam præmissas; tum quia, ut dixit Doctor, eatenus abstinere ab illis operibus est præceptum, quatenus opera illa servilia removerent à cultu divino impendendo: Ergo si non sit præceptum strictissimi juris naturæ de cultu exhibendo Deo

diebus Sabbati aut Dominica potius quàm aliis diebus, non erit præceptum talis juris abstinere ab operibus servilibus illis potius quàm aliis.

*Quantum* autem ad primum caput quod includit illud præceptum; nempe quòd cultus Deo sit specialiter impendendus aliquo determinato tempore potius quàm in altero, sit de strictissimo jure naturæ, nihil resolvit Doctor, sed re utrinque librata, dubius hæret. Pater denique tertia pars conclusionis, nempe quòd omnia Decalogi præcepta non sint æqualiter de jure naturæ: Nam, inquit Doctor ibidem, jus naturæ est duplex, nempe proprium, & strictum, quod obligat ad faciendum vel non faciendum independentem ab actu ullius voluntatis imperantis aut prohibentis; Aliud verò strictissimum quod nullam omnino dispensationem admittere potest, qualia sunt duo priora præcepta primæ tabulæ; nempe solum Deum esse colendum, nec exhibendum cultum diis alienis; & divinum ejus nomen non esse in vanum accipiendum; hæc enim duo præcepta primæ tabulæ strictissimè sunt de lege naturæ; quia inquit Doctor num. 6. *Sequitur necessariò, Si est Deus, est amandus ut Deus: & quòd nihil aliud est colendum tamquam Deus, nec Deo facienda est irreverentia; & per consequens in isti Deus non poterit dispensare, ut aliquis possit licitè facre oppositum talis prohibiti.* Quasi diceret Doctor: Notum ex terminis, quòd nulla injuria Deo possit irrogari citra culpam, quia evidens est non esse parentibus aut regibus aliisque superioribus exhibendam irreverentiam: ergo multò magis evidens est nullatenus inferri debere ullam irreverentiam Deo qui est Rex Regum, & primus omnium hominum Parens.

*Quantum* autem ad præcepta secundæ tabulæ, faterur quidem Doctor illa esse de jure naturæ, non quidem strictissimo; quippe cum in ipsa cadere possit dispensatio. *Alio modo*, inquit num. 8. *dicuntur aliqua esse de lege naturæ, quia sunt multum consona illi legi, licèt non sequantur necessariò ex principiis practicis quæ nota sunt ex terminis; & omni intellectu apprehendenti sunt necessariò nota: & hoc modo certum est omnia præcepta etiam secundæ tabulæ esse de lege naturæ, quia eorum rectitudo valde consonat primis principiis practicis necessariò notis.* Quibus Doctor non asserit præcepta secundæ tabulæ non esse de jure naturæ, ut volunt Suarez lib. 2. cap.

*cup. 15. num. 8. & Salas disp. 5. sect. 9. n. 55. ac Alii, qui ipsum Doctorem non ita rectè intellexisse videntur; sed solum voluit Doctor, quòd hæc præcepta non sint de strictissimo jure naturæ eo modo quo duo priora primæ tabulæ: latum enim est discrimen inter hæc duo: præcepta secundæ tabulæ non sunt de jure naturæ propriè, & non sunt de jure naturæ strictissimè. Primum negat Doctor, secundum affirmat; quod planius aperit infra ubi, quæ dixerat, recolligens ait, Primò negatum est omnia præcepta secundæ tabulæ esse de lege naturæ strictè loquendo. Secundò concessum est duo prima primæ tabulæ esse de lege naturæ strictè loquendo. Tertio dubitatum est de tertio primæ tabulæ præcepto, & quartò concessum est omnia esse de lege naturæ largè loquendo.*

### QUÆSTIO SECUNDA.

*Qualiter, & ad quid lex naturalis obliget.*

**D**uo maximè in hac quæstione proponuntur discutienda. *Primum*, an lex naturalis obliget in conscientia ad implenda sua præcepta. *Secundum*, an obliget ut illa præcepta impleantur ob dilectionem Dei vel motivo divini amoris naturalis aut supernaturalis; quorum resolutio ut evidentior appareat

*Notandum primò conscientiam esse actum intellectus practicè judicantis aliquid in singulari faciendum vel fugiendum laude vel pœna dignum. Dicitur actus, ut distinguatur à synderesi, & à lege vel lumine naturali, quæ se habent per modum habitus à quibus conscientia tamquam effectus à suis causis procedit. Additur intellectus, siquidem conscientia juxta nominis Etymon, idem sonat ac cum alio scientia, vel concursus scientiæ ad judicium formandum: Unde Ecclesiastici cap. 7. Conscientia tua scit te crebro aliis maledixisse, hoc est, te instruit tibi que maledictiones tuas indicat, malum à te perpetratum velut ob oculos proponit: quapropter Origenes lib. 2. in cap. 2. ad Rom. Conscientia, inquit, spiritus corrector est, & pedagogus animæ, ut de melioribus eam admoneat, de culpis castiget atque arguat. Cætera adduntur, ut significetur conscientiam non consistere in prima intellectus operatione, quæ est simplex rei cognitio, & apprehensio; nec in secunda quæ est deliberatio, sed in tertia quæ est judicium;*

nam conscientia judicat practicè, & per modum definitivæ sententiæ aliquid esse laude vel vituperio dignum: unde

*Notandum secundò: Obligationem ad aliquid faciendum posse dici triplicem juxta triplex principium ex quo illa operatio exequenda suadetur; nempe ex consilio, ex præcepto, & ex commodo. Quæ fiunt ex consilio, tantum spectant majorem vel minorem perfectionem, & utilitatem operantis: quæ ex præcepto, necessitatem inducunt; & si secus fiat, pœnæ ac castigationi subjiciuntur: quæ autem ex commodo, solum spectant bonum privatum, & utile operantis. Quanquam autem hæc tria principia interdum concurrant in servandis cujuslibet legis præceptis; hic tamen fermo est de sola obligatione proveniente ex præcepto; utrum videlicet ita teneamur ad implenda naturæ legis præcepta, ut qui illa omiserit, pœnis vel ab homine, vel à Deo plecti debeat.*

*Notandum tertio, duplicem solito distingui Dei dilectionem, nempe naturalem, & supernaturalem, innatam, & infusam; quibus Deum diligimus ut authorem, moderatorem, & finem naturæ vel ut largitorem, propagatorem, & remuneratorem gratiæ. Supponimus namque tamquam certum, dari posse in humana natura dilectionem Dei ut authoris naturæ à supernaturali ipsius dilectione distinctam. Supponimus infuper ipsam innatam legem continere speciale præceptum de diligendo Deo ut naturæ artificis, rectoris, & finis. Supponimus denique, præceptum hoc affirmativum esse, nec obligare nisi temporibus opportunis. Unde licet quodlibet naturale præceptum tendat in Deum ut ultimum finem, cedat in gloriam Dei, quia per illud impletur ejus divina voluntas, etiamsi operans hoc formaliter non intendat: attamen non est opus quod implens naturæ præcepta, semper actualem adjunctam habeat Dei dilectionem, ut probabitur infra.*

### CONCLUSIO PRIMA.

**L**ex naturalis obligat in conscientia ad servanda sua præcepta.

Probatur primò ex Apostolo ad Rom. 2. ubi ait: *Quicumque sine lege, utique scripta, peccaverunt, sine lege peribunt*: at perire non deberent, nisi quia peccatores existunt, nec peccatores esse, nisi quia legem naturalem



violantur, de qua subjungit Apostolus: *Genes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt... Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Adeoque censet Apostolus legem naturalem obligare in conscientia, & ejus transgressores divina animadversione, & vindicta reos teneri.

Probatur insuper ex eodem Apostolo Rom. 14. versu ultim. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quod non est ex dictamine conscientie judicantis bonum aut licitum esse id quod agitur, sumit enim ibi Apostolus fidem pro conscientia, & pro tali dictamine, ut liquet ex textu.

Confirmatur ex Innocentio III. *ad caput 13. de restitutione spoliatorum*, dicente. *Quod est contra conscientiam, edificat ad gehennam*: nimirum quia dictamen conscientie est proxima regula actionum humanarum cui conformari debent ut sint honestæ, & licitæ.

*Hanc eandem veritatem* suadet ratio; nam, ut supra diximus, lex naturalis præcipiens aut prohibens, est imperium Dei ut authoris naturæ, cui tamquam legitimo superiori parendum est, estque contra rationem ipsius imperio sese subducere: sed omnis divina lex, omneque divinum imperium obligat in conscientia: Ergo & lex naturalis. *Deinde*, Lex naturalis est proxima regula honestatis moralis, & quod ei opponitur annexam habet malitiam moralem; sed id omne quod annexam habet malitiam, est contra conscientiam; adeoque id omne quod fit contra legem naturæ in conscientiam pugnat, & consequenter ipsa lex naturæ obligat in conscientia ad sua præcepta servanda. *Denique*, Lex naturæ prohibet aut præcipit id omne quod naturam rationalem dedecet aut decet; sed quoties illicita admittuntur vel necessaria non fiunt, in conscientiam ipsam peccatur, quæ maximè approbat licita, & illicita improbat: Ergo &c.

*Hinc apparet Legem naturæ interdum obligare sub peccato mortali; juxta videlicet materiæ gravitatem, & peccantis dispositionem, & affectum; quippe qui peccando in re gravi contra præcepta legis naturalis cognoscit formaliter, & actu aut virtualiter se Deum naturæ authorem, & rectorem graviter offendere, in quo virtualis Dei contemptus sufficiens ad peccatum mortale involvitur.* Quocirca Apostolus supra laudatus, meritò dixit, quod *quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Videlicet

propter peccata commissa, non quidem contra legem positivam, & scriptam quam non noverunt; ideoque dicuntur sine lege peccasse; sed contra legem naturalem, quam nemo rationis compos ignorat.

*Dices primò*: Lex non potest obligare ad pœnam, quam nec manifestare, nec inferre potest. Atqui lex naturalis non potest manifestare pœnam æternam; quippe quæ non est nota lumine naturali, neque etiam potest illam inferre: Ergo non potest obligare sub reatu pœnæ æternæ; subindeque nec sub culpa mortali, quæ æternæ pœnæ reatum inducit.

*Nego majorem*, nam ad incurrendum reatum alicujus pœnæ, non est necesse quòd pœna per legem manifestetur, nec ut subditus, & transgressor cognoscat pœnam transgressioni suæ debitam; sed sufficit ut committat actum dignum ejusmodi pœna quæ à Deo naturæ authore, & legis naturalis vindice cognoscitur, & inferitur.

*Dices secundò*: Lex naturalis non facit obligationem, sed supponit: Ergo obligatio non est ejus effectus. Antecedens patet ex dictis; nam lex naturalis in hoc à lege positiva distinguitur, quòd illa prohibet aliquid, quia malum est; hæc verò prohibet aliquid quod fit malum, quia est prohibitum. Et idem est cum proportionem de imperio, & præcepto faciendi bonum quia bonum est.

*Respondeo* Cum Suarez *lib. 2. cap. 9.* hanc objectionem nostræ assertionis esse confirmativam; nam, inquit, si lex hæc prohibet aliquid quia malum, propriam, & specialem necessitatem inducit vitandi illud, quia hoc intrinsicum est prohibitioni, ut vitetur quod prohibitum est. Probat etiam hæc obiectio aliquid hanc legem supponere quod pertinet ad intrinsicum debitum naturæ; siquidem unaquæque res quodammodo sibi debet, ut nihil faciat suæ naturæ dissentaneum. Ultra verò hoc debitum etiam lex naturalis addit specialem obligationem moralem, quam jurisperiti obligationem naturalem appellant: non quòd moralis non sit, sed ut illam à civili distinguant.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**L**ex naturalis non obligat ut omnia faciamus ex dilectione Dei naturali.

Probatur: Præceptum de diligendo Deo, quod à natura indicitur, est affirmativum: sed præceptum affirmativum non obligat pro semper, sed tantum aliquo certo ac deter-

determinato tempore: Ergo ex lege naturali non tenemur omnia nostra opera elicere ex dilectione Dei auctoris naturæ. Major constat. Minor pariter; hoc enim discrimen est inter præceptum affirmativum & negativum, quod illud tantum aliquo certo determinato tempore obliget; hoc verò perpetuam inferat obligationem pro quovis temporis momento; siquidem nusquam licet furari, homicidium facere, &c. Sequitur ergo dilectionem Dei non esse necessariam quotiescumque obligat aliorum præceptorum ordinatio; subindeque fervari poterunt alia naturæ præcepta absque actuali amore Dei ut auctoris naturæ.

*Deinde*, bonum honestum aliarum virtutum habet ex se, & per se quod possit honestè amari, & ex proprio suo motivo, putà temperatum quia temperatum est: sed rationi consentaneum est, & naturæ legi congruum, amare quodcumque honestum qua tale, quamvis de aliquo alio externo amabili non cogitetur, putà de Deo diligendo: Ergo præcepta naturalia hujusmodi virtutum impleri possunt absque ullo actuali amore Dei. *Denique*, obligatio faciendi omnia propter Deum, nulla ratione naturali, aut sufficienti autoritate ostenditur: adeoque gratis non debet affirmari.

*Dices*: Apostolus *primæ ad Corinth.* 10. monet omnia in gloriam Dei esse facienda: Ergo reverà omnia opera fieri debent ex dilectione Dei.

*Distinguo antecedens*, ita monet Apostolus tamquam aliquid, quod sit præceptum legis naturalis, Nego: tamquam consilium quod ipse subministrat, quodque observare optimum quidem est & saluberrimum, sed non sub pœna peccati necessarium, Concedo.

*Dices secundò* S. Augustinus *lib. 1. de moribus Ecclesie cap. 14.* dicit omnia bona esse referenda in summum bonum: ex quo infert *cap. 15. nihil esse virtutem, nisi summum amorem Dei*, & per hunc omnes virtutes definit: ideò *lib. 19. de civit. cap. 25.* dicit esse *superbum diligere propter seipsas etiam ipsas virtutes, quia solus Deus est summè bonus, & ideo solus est propter se volendus*: Ergo omnia quæ fiunt aut vitiosa sunt, aut fieri debent ex dilectione Dei. Quod utique idem Augustinus confirmat *l. 1. retract. cap. 15.* ubi ait, *voluntatem sine charitate esse vitiosam cupiditatem.*

*Respondeo* S. Augustinum his, & simili-

bus sententiis nihil aliud velle quàm quòd vel nulla sit perfecta virtus, & meritoria salutis aeternæ absque charitate habituali, & gratia sanctificante: vel quòd voluntas sine ipsa charitate sit vitiosa cupiditas, id est, plerumque à vitiosis cupiditatibus vincatur; quia ex una parte valdè est infirma, & ad malum proclivis, ob naturalem corruptionem hominis; ex alia verò destituitur abundantia auxiliorum, quæ dantur justis, & Dei amicis. Non autem vult S. Augustinus omnem actum elicitem, qui non procedit ex amore Dei, esse vitiosum; nam bonum honestum propter se amabile est, & sufficit ad honestatem actus, etiam si de Deo non cogitetur actu, nec antea ita cogitatum fuerit, ut præterita Dei dilectio aliquatenus influat in actum.

*Addit Suarez lib. 2. cap. 11. num. 5.* quòd aliud est diligere aliquid ut summum bonum; aliud verò diligere aliquid ut bonum per se amabile. Primum est proprium Dei; secundum autem communicatum est ab ipso Deo omni bono honesto, & ideò sic amando bonum honestum, non fit aliquid contra Deum. Neque inde fit omnia bona creata esse propter se amabilia, quia nulla sunt inferiora bona utilia, vel delectabilia, quæ nisi propter honestatem, appetenda sint. *Denique* licet bonum honestum creatum propter se ametur, non amatur ut ultimus finis: sed talis amor natura sua tendit in Deum, & hoc est satis, ut non dicatur homo frui tali bono, sed uti; tunc autem diceretur illo frui, quando in illo suum ultimum finem constitueret, & hoc est, quod dixit Augustinus esse superbum.

### QUÆSTIO TERTIA.

*Quid, & quotuplex sit jus.*

**N**otandum primò jus secundum nominis Etymologiam, ita appellari; vel quòd *juxta sit*, ut vult Covarr. *lib. 1. Comment. juris Civilis*, nam *juxta esse* interdum significat similitudinem vel æqualitatem in aliquo munere aut actione. Vel *jus* dicitur à *jubendo*; nam *jussum* participium est verbi *jubeo*. Hinc si à participio *jussum*, secunda syllaba dematur, relinquitur vocabulum *jus*: vel si duas syllabas divisim proferas, ipsum *jussum* seu imperium significabit se esse *jus*, seu *jus sum*. Vel denique *jus* à *justi-*

*justitia* derivatur; nam ut dixit Ulpianus *lib. 1. ff. de justitia & jure*; est autem *jus à justitia appellatum*; licet enim *justitia* potius videatur à *jure* derivari, quam *jus à justitia*; *justum* enim dicitur quod est secundum *jus*: unde etiam *justitia* definitur per *secus*; quia *jus suum unicuique tribuit*: Nihilominus *juris* appellatio, de qua loquitur *jurisconsultus*, potuit à *justitia* oriri: sicut *visus* ita appellatur, quia tendit in objectum visibile, licet objectum denominetur visibile ab ipso visu. Inde verò potuit facile derivari *jus*, dempta videlicet ultima parte vocis *justum*, quam utique etymologiam probavit S. August. *lib. 10. de civit. cap. 21.* ubi tamquam principium philosophicum affumit, *Quod illud jus esse dicant, quod de justitia fonte manavit.* Et in Psalmo 145. *Jus*, inquit, *& injuria contraria sunt, jus enim est quod justum est.* Eandem pariter probavit *Isidorus 5. Etymolog. cap. 3.* dicens, *Jus esse dictum est, quia justum est*; sicut ergo *justum* à *justitia* denominatur, ita *jus* potuit à *justo*, & *justitia* appellari. Quantum ad vocis etymologiam.

*Notandum secundò*: Nomen *juris* secundum rem ipsam posse accipi tripliciter: *Primo* quidem, ut sit idem quod *justum*. *Justum* autem dupliciter accipitur secundum *Aristotelem 5. Ethic. cap. 1.* nempe generatim, & in latiori significatione, pro *legitimo*, & sic omne opus virtutis, quatenus consentaneum legi, dicitur *jus*, & *justum*: & speciatim ac strictius pro eo quod est *equale*, & *alteri debitum*: hæc enim tria involvit *justum* strictè acceptum, nempe *equalitatem*, *debitum*, & *esse ad alterum*: *Secundò* ut sit idem quod *lex* quæ est *regula justitiae*; cumque sententia judicis sit etiam veluti quædam *lex non publica*, sed *privata*, pariter *jus* dicitur; quia ratione *judex* dicitur *dictare jus*, & *præesse juri* dicendo. *Tertiò* *ius* accipitur pro legitima potestate ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem aut quasi functionem, cujus nempe potestatis derogatio, & violatio *injuriæ* efficit, & constituit.

*Notandum tertio*; *Jus* acceptum pro *justo speciali*, seu pro eo quod est *equale*, & *debitum alteri*, esse formale objectum *justitiæ* particularis; quia ille peculiari ratione dicitur *justus*, qui hanc equalitatem debitam amat, intendit, & servat; *injustus* autem qui eam non servat; subindeque hæc equalitas quatenus est *debita*, objectum formale *justitiæ* particularis constituit; objectum enim formale cujusque virtutis, est illud bo-

num honestum quod per illam virtutem in opere intenditur. *Jus* autem acceptum secundo modo, scilicet pro *lego*, est *regula justitiæ*, & cæterarum virtutum; virtutes enim in suis actibus dirigi debent secundum dictamen, & præceptum legum, etenim si non sint legibus conformes, non erunt studiosæ, nec laudabiles. Quatenus autem *jus* pro potestate legitima usurpatur, non est quidem *objectum* quod *justitia* intendit, sed *objectum* formale *cui*; nam in *justitia* sicut & in omni virtute, quæ est ad alterum, distingui potest *objectum quod*, & *objectum cui*. *Primum* est quod ipsa virtus intendit, & præstat exterius; & hoc in proposito est *reditio rei æqualis* quatenus *debitæ*, seu *reditio debiti ad æqualitatem juris alterius*, quod utique *debitum* non potest esse sine *jure* in altero; sunt enim *correlativa*; *debitum* enim *juri* est *debitum*; subindeque *objectum justitiæ* includit ordinem ad *jus alterius*. *Secundum* autem, nempe *objectum cui justitiæ*, est *is cui debitum præstatur*; is autem est *proximus noster*, quatenus *jus* habet ad aliquid, ratione cujus illud est *ipsi debitum*; ex *jure* enim *ipsius* in me vel in mea, nascitur in me *debitum præstandi* id quod illud *jus* impleat, & exhauriat; quod ut fiat *debitè*, *justitia* inclinatur ut id velim affectu, & præstem effectu.

*His ita præmissis*, duo hic supersunt aperienda. *Primum*, quænam sit *juris* universim spectati legitima definitio. *Secundum*, quotuplex sit illius in varias species, & partes distributio, ac divisio.

### CONCLUSIO PRIMA.

*Jus generatim spectatum, rectè dicitur Potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem obeundam, cujus violatio injuriæ constituit.*

*Primo* dicitur *potestas*, idest, habitudo quædam ad aliquid: unde dicimur aliquid posse; qua ratione legimus *Genesis 23.* dixisse *Abraham* ad *filios Hech*, *Date mihi jus sepulchri*, idest facultatem sepeliendi; hæc autem *potestas* se habet vel per modum *potentiæ activæ*; ut quando est *jus* ad aliquid agendum, vel retinendum: Vel per modum *potentiæ passivæ*, ut in *jure* quod habes, ut *nutrarius à parentibus*, *custodiaris à principibus*, ut *tibi subferviatur à famulis*: Vel per modum *potentiæ*

tia resistendi, ut in jure quod quis habet ne alius ædificet in tali loco, ne altiùs construendum murum attollat, quatenus videlicet non obsit visui, nec lumini.

*Secundò, legitima*, idest, à lege concessa; nam facultas, quæ secundum legem non est, non est jus, sed vis & injuria. Lex autem hac potestatem concedens, vel est divina positiva, v. g. ad sacramenta percipienda: vel est naturalis, v. g. ad usum membrorum ad vitam per cibum, & potum sustentandam, ad vim vitæ repulsandam: vel denique est humana, puta ad successionem hæreditatis, ad acquirendum, possidendum, retinendum, & alienandum per varia contractuum genera; tot enim sunt genera jurium, quot sunt genera legum, quæ jus tribuunt. Ex quo sequitur hanc potestatem non esse quid physicum, sed morale dumtaxat competens homini ex aliqua Dei vel hominum ordinatione, deputazione, aut concessione.

*Tertiò ad rem aliquam*, ut ad obtinendum rem aliquam per successionem hæreditariam, per testamentum, per donationem liberalem, per contractus, per occupationem.

*Quartò ad functionem*, ut ad liberum usum membrorum, & bonorum suorum, ac rerum sibi speciatim attinentium. *Vel quasi functionem*, v. g. ad possessionem civilem, & naturalem, ad retinendum dominium, statum, & conditionem in qua est.

*Quintò denique additur, cujus violatio injuria constituit*; quia injuria nihil aliud est, quàm alieni juris violatio, quod utique fit quando jure manente contra illud agitur. Hinc quando quis privatur officio amovibili ad voluntatem superioris, non fit ei injuria, nisi aliunde habeat aliud jus ad illud officium obeundum, potest enim jus esse ad jus, & dominium juris.

Ex his collige, jus interdum ab æquo, & bono distingui in multis, quæ refert Ludovicus Vives in *scholio ad lib. 2. de civit. Dei cap. 17.* Unde Aristoteles *5. ethicæ c. 10.* ait *æquitatem esse justæ emendationem*, non quidem quatenus justum sumitur pro debito naturali, quod est rectum secundum naturalem rationem; hoc enim nunquam deficit si ratio non erret; neque etiam quatenus *justum* sumitur pro justo legali, quod scilicet lege humana constituitur: licet enim hoc interdum deficiat, defectus tamen iste non ex lege, aut ex legislatore, sed ex materia ipsa

provenit. Unde hoc alterutro modo sumpta æquitas, non est emendatio juris, sed potius illius origo, & regula, juxta illud l. 91. ff. de regul. jur. *In omnibus, maxime tamen in jure æquitas spectanda est*: itaque æquitas dicitur esse justæ emendatio, quatenus æquitas sumitur pro prudenti moderatione legis scriptæ præter vigorem verborum ejus, inquit Suarez lib. 1. cap. 2. & sic æquitas dicitur opponi stricto juri qua ratione Terentianus dixit, *Inter Jus, & æquitatem hoc interest, Jus est quod omnia velle, & inflexibilia exigit, Æquitas est quæ de jure multum remittit.* Utique de jure legali in quod Epikreja cadit; siquidem spectat ad judicium viri prudentis verba legis humanæ interpretari, quando illius legis exacta observatio vergeret contra naturalem æquitatem. Qua ratione iudex, aut princeps legem sic interpretans, dicitur non agere jure, utique materialiter, & ut legis verba sonant: sed agere, ex æquo, & bono. Et ideò fortè juris prudentia dicta est *ars boni, & æqui*, quòd in legibus interpretandis bonum, & æquum semper intueri debet, etiamsi interdum oporteat verborum legis vigorem, & tenorem temperare, ne ab æquo, & bono naturali discedatur.

#### CONCLUSIO SECUNDA.

**J**us generatim sumptum, dividi potest primo in jus Naturale, Gentium, & Positivum.

*Jus naturale*, inquit Doctor in 4. d. 17. q. 1. n. 3. *illud est cujus veritas est nota ex terminis*; nam inquit, *tale est principium in lege naturæ sicut, & in speculabilibus principium notum est ex terminis, sive quod sequitur evidenter ex tali vero sic noto, cujusmodi est conclusio practica demonstrata, & strictè loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium vel conclusio demonstrata: sic tamen extendendo quandoque dicitur esse de lege naturæ, quod est verum practicum consonum principis, & conclusionibus legis naturæ: in tantum, quod statim notum est omnibus illud convenire tali legi.* Cuius Doctor duo docet: Primum, illud esse de jure naturæ cujus honestas patet ex terminis; puta, *Deus est colendus*: vel cujus honestas infertur ex principio quod patet ex terminis; puta *Sacrificia sunt Deo offerenda*; quod infertur ex illo principio *Deus est colendus.* Secundum verò quod ea censeantur posse esse de jure naturæ; quæ ipsius juris prin-

principiis, & conclusionibus consentanea sunt.

Unde in 3. d. 37. n. 5. duplex distinguitur jus naturæ; nempe strictum, & strictissimum. Dico, inquit, quædam aliqua possunt dici esse de lege naturæ dupliciter: uno modo tamquam prima principia practica, nota ex terminis; vel conclusiones necessariò sequentes ex eis: & hæc dicuntur esse strictissime de lege naturæ. Subdit n. 8. Alio modo dicuntur aliqua esse de lege naturæ, quia sunt multum consona illi legi; licet non sequantur necessariò ex principiis practicis, quæ nota sunt ex terminis; & omni intellectui apprehendenti sunt necessariò nota. Et hoc modo certum est omnia præcepta secundæ tabulæ esse de lege naturæ, quia eorum restitudo valde consonat primis principiis practicis necessariò notis. Quibus Doctor apertè docet ad legem naturalem spectare non solum principia generalia per se nota circa naturaliter honesta, & necessaria; vel circaturpia, & illicita, ut virtutem esse amplectendam, vitium esse fugiendum, Deum esse colendum, suum jus esse cuique servandum, & non esse alteri faciendum quod quisque sibi fieri non vult: Verùm etiam præcepta particularia, & conclusiones deductas ex principiis generalibus circa quæcumque naturaliter necessaria, ad honestè, & pacificè in societate vivendum, aut circa illorum opposita; putà neminem esse occidendum injustè, non furandum, non fenerandum ad usuram, & similia; quorum aliqua sunt per se nota lumine naturali, alia indigent discurfu aliquo, vel disciplina ut hominibus præsertim rudioribus innotescant. Hæc autem omnia pertinere ad legem naturalem constat, quia ex ipsa rei natura, & seclusa quacumque lege positiva, sunt necessaria moraliter, eorumque contraria sunt illicita: quocirca S. Paulus ad Rom. 2. affirmat Gentes ductum naturalis luminis sequentes, facere naturaliter ea quæ legis sunt, & esse sibi ipsis legem naturalem, scilicet testimonium illis reddente conscientia ipsorum.

Hinc colligit Doctor in 4. præfata dist. 17. Quod non rectè loquitur Gratianus de jure legis naturæ, volens illa quæ sunt in scriptura Veteris, vel Novi Testamenti de lege naturæ esse. Quia nec illa omnia sunt principia practica nota ex terminis, nec conclusiones practice demonstratæ; nec vera evidentè consona talibus principiis, & conclusionibus. Exponendus ergo est, quod extendit jus naturale ad jus positivum ab Auctore naturæ, ut distin-

Frasen Theol. Tom. VI.

guitur contra jus positivum ab aliquo qui non est Auctor naturæ.

Jus Gentium illud dicitur quod usu omnium aut plurium Gentium est introductum; ratione scilicet naturali præeunte ac dictante illud tamquam evidentè conveniens humano generi, & societati. Hoc jus Gentium introducta est bonorum divisio, acquisitio domini rerum, quæ nullius sunt, per earum occupationem. Ad idem pertinet Legatorum immunitas, & ea omnia quæ referuntur cap. jus gentium dist. 1. quamquam inter illa computetur jus servandi federa pacis, & nonnulla alia quæ commodius referri possunt ad legem naturæ. Nec mirum est Gentes in hoc jus velut unanimi consensu conspirasse; cum illud rationi naturali maximè esse conforme cognoverint: proinde singulæ Gentes illo jure ligantur, quatenus nempe singulæ illud sive proprio suo arbitrio, & inclinante natura, sive ad imitationem aliarum nationum sibi præfixerunt. Unde sicut moribus singularum Gentium est introductum, sic possit à singulis per contrariam consuetudinem aut expressam revocationem absolutè loquendo tolli, pro ut Ecclesia sustulit jus gentium de servitute quoad mancipia Christiana.

Jus positivum illud est, quod natura docente non instituitur, sed per voluntatem ejus qui potestatem habet ipsum ponendi, & condendi. Quod pro diversa auctoritate diversum est; nam aliud est jus divinum, aliud humanum; Divinum quidem, quod divina voluntate sancitum est, quod solito duplex distinguitur nempe jus divinum Vetus, quod in veteri testamento tulit Deus de ritibus, cæceremoniis, & politia Judæorum; & Novum, seu Evangelicum, ut sunt ea omnia præcepta quæ vel ad mores probè formandos, vel administranda sacramenta in Novo Testamento sancita sunt.

Jus humanum positivum illud est quod humana auctoritate, seu puri hominis conditum est; hocque iterum duplex; nempe civile, quod auctoritate Principum sæcularium; & Canonicum, quod auctoritate Pontificum, vel Conciliorum institutum est.

Insuper jus dividitur, in jus simpliciter, & jus secundum quid: Primum est quod reperitur inter personas omnino distinctas, & diversi ordinis, quale est jus inter principes, & subditos: Secundum est quod reperitur inter personas non omnino distinctas, sed tantum secundum quid.

D

Rur-

Rursus *jus secundum quid* dividitur in *paternum, æconomicum, & herile*. Primum est inter Patrem, & filium; cum enim filius sit pars paternæ substantiæ, non sunt personæ omnino moraliter distinctæ; nec potest inter ipsos perfecta constitui æqualitas; siquidem filius patri æquivalens reddere non potest: quamvis tamen *jus istud* dicatur *secundum quid*, vocatur autem *jus*, prout *jus* significat debitum; plus enim filius Patri debet, quàm alii personæ: idem iudicium de jure inter Deum, & homines.

*Jus æconomicum* est inter uxorem, & virum, qui censentur etiam moraliter una persona. *Herile* denique est inter dominum, & servum, hic est illius possessio, & instrumentum quoddam animatum, ait Aristoteles; unde inter illos non est *jus nisi secundum quid*.

*Insuper* *jus* ex parte termini quem respicit, dividitur in *jus ad rem, & jus in re*. *Jus ad rem*, inquit Lessius *lib. 2. cap. 2. de jure in genere, dubitatione 2.* dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed tantum in personam. Tale *jus* est quod tibi competit per stipulationem, per donationem, per emptionem, aliove contractus ante traditionem rei; si enim res illa alteri vendatur, & re ipsa tradatur; manet illi, nec potes illam vindicare: quia non res erat tibi obligata; sed tantum habes actionem personalem in eum qui te fraudavit: Tale etiam *jus* est, quod habes per electionem, postulationem, præsentationem ad beneficium: imò tale etiam est quod habes per collationem beneficii ante acceptationem, & per successionem hæreditatis, ante illius acceptationem.

*Jus in re* dicitur quod tribuit actionem realem, seu quod rem obligatam habet. Tale est quod habetur per emptionem, & alios contractus secuta rei traditione; per collationem beneficii secuta acceptatione; per testamentum vel successionem ab intestato, secuta acceptatione: tale etiam *jus* est dominium rei, & usufructus, idest, *jus utendi, & fruendi* respectivè eo quòd subest illis juribus; item jura quæ dicuntur servitutes; *jus etiam hypothecæ, & pignoris*: Denique omne *jus* quod rem aliquam sive corporalem, ut sunt agri, domus, suppellex, sive incorporalem, ut sunt officia, beneficia, redditus, servitutes, & similia, ita nobis obstrictam tenet, ut ex ea possimus percipere fructus, vel emolumenta,

vel securitatem creditorum, vel honorem; dicitur *jus in re*. Quocumque autem res talis transeat, potest vindicari tamquam nobis obstricta; quia res omnis transit cum suo onere quo est affecta.

Rursus utrumque *jus sive in re, sive ad rem* variè distribuitur; scilicet in dominium, usufructum, usum, possessionem, &c. *Dominium* in genere est *jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua tamquam sua*. *Suum* autem dicitur, quod ita subiectum, & adstrictum est illi, cujus esse dicitur, ut possit de eo disponere proprio jure, non ex commissione alterius. Sic Deus *jus* habet in universam creaturam tamquam rem suam, quia potest de illa statuere quod placuerit. Sic pariter Rex habet *jus, & dominium in suum regnum, & quivis in suas possessiones*. *Dominium* autem dividi potest in *dominium jurisdictionis, & proprietatis*. *Dominium jurisdictionis* est potestas gubernandi suos subditos. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, &c. *Dominium proprietatis* est *jus disponendi de realiqua tamquam sua in suum commodum*. Ab hoc dominio quisque dicitur rei suæ dominus; sive ille sit persona privata sive publica, sive communitas. Nam persona publica, & respublica potest possidere bona jure privato, instar privatæ personæ.

*Ususfructus* est *jus rebus alienis utendi fruendi salva rerum substantia*. Dicitur primo *jus utendi*, ut excludatur *jus*, quod habet creditor in pignore, vel depositarius in deposito: hi enim non possunt uti rebus illis; quòd si utantur invito domino, tenentur ei restituere æstimationem usus. Additur *fruendi*, ut excludatur nudum *jus utendi* realiqua, putà equo conducto; etenim per usufructum non solum rei usus, sed & fructio conceditur, idest, *jus percipiendi omnes fructus ex ea re provenientes*.

Additur tertio, *salva rerum substantia*; quia fructuarius debet rem integram proprietario reservare. Hinc fit ut usus fructus propriè dictus non possit constitui in rebus quæ usu consumuntur, ut in vino, oleo, frumento, & pecunia.

*Usus* est *jus utendi* re aliena salva ipsius substantia. Quæ definitio patet ex supradictis de usufructu.

Ceteras juris divisiones colligere poteris ex variis legum divisionibus in præcedenti articulo declaratis; cum enim leges vel in jure

jure fundentur, vel jus ad rem conferant; sequitur totuplicis esse generis jura, quot sunt diversæ leges.

Quæres quomodo jus Gentium differat à jure purè Naturali.

**R**espondent aliqui jus naturale à jure gentium in hoc discrepare, quòd jus naturale commune sit omnibus animantibus tam brutis, quàm hominibus; unde lib. 2. instit. dicitur, *jus naturale est quod natura omnia animalia docuit*: Nam jus istud non solum humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terra marique nascuntur, avium quoque, commune est.

Verùm hæc distinctionis ratio profus absurda apparet; nullum enim est jus revera commune hominibus, & aliis animalibus, quia bruta animalia non sunt capacia propriè obedientiæ, aut justitiæ vel injuriæ. Insuper lex naturalis generatim sumpta, consistit in dictamine rationis naturalis: at tale dictamen in brutis reperiri nequit; adeoque in ipsis esse non potest jus aut lex naturæ. Denique, lex naturalis non regulatur per convenientiam ad naturam sensitivam, sed ad rationalem; dictat enim id quod naturam rationalem decet; & consequenter non spectat ad bruta quæ sunt omninò rationis expertia.

Respondent alii jus gentium purè positivum differre à naturali, quia illud est tantum concessivum, hoc verò etiam est præceptivum, id est, illud permittit tantum aliquid fieri licitè; hoc verò insuper obligat ad illud faciendum.

Sed contra; id quod permittitur jure gentium, vel est licitum lege naturali, vel non: Si primum ergo spectat ad legem naturæ: Si secundum, ergo jus gentium in ipsum jus naturæ militat ac prævalet, facitque licitum id quod ex natura rei erat illicitum. Adde quòd jure gentium multa sint, non solum licita, sed etiam præcepta: putà quod commercia sint ubique libera: quòd sint quidam specialiter divino cultui deputati, per quos solum sacrificia licitè fiant, &c.

Respondent nonnulli, jus gentium spectare ad homines non solitariè, & seorsim spectatos, sed quatenus in aliqua societate congregantur: jus autem naturale non spectat ad ipsam communitatem præcisè, sed ad homines sigillatim spectatos.

Verùm hæc etiam responsio non satisfacit;

nam ipsa societatis institutio, qua homines vivunt in conjunctione civitatis, aut regni, aut reipublicæ, provenit ex jure gentium, nec tamen oritur ex communitate; alioquin ex seipsa oriretur, & seipsam præsupponeret.

Verius ergo dicendum arbitror, jus gentium in hoc à naturali discrepare, quòd quæ jure naturali prohibentur aut præcipiuntur, ita statuuntur vi solius naturalis rationis; quæ verò prohibentur vel præcipiuntur jure gentium, adjunctam habent saltem interpretativam legislationem humanam, & institutionem extrinsecam communem omnibus, aut saltem plurimis nationibus. Hinc fit quòd jus gentium reverà sit humanum, & positivum, tam ex parte materiæ quàm ex parte formæ: nam id quod jus naturale permittit tantum, jus gentium absolute statuit, & faciendum esse præcipit, sic v. g. jus naturale permittit tantum, ut sit agrorum divisio, si homines velint ea dividere quæ natura in commune exposuit: jus verò gentium statuit illam divisionem absolute fieri ad melius vitandam negligentiam colendi agros, & præcavendam confusionem ac perturbationem reipublicæ.

## ARTICULUS TERTIUS.

### De Legis Naturalis immutabilitate.

**Q**uam fixè sit, quamque tenaciter hominum cordibus impressa nativalex, eleganter ex Tullio explicat Lactantius lib. 6. de vero cultu cap. 8. ubi cum præmississet nativæ legis nostris mentibus à Deo insculptæ elogia; maximè verò ex eo quòd illa sic nos regat, sic nos gubernet, ut ad summum sapientiæ virtutisque portum sine ullo errore producat, concludit: *Suscipiendæ igitur Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa sancta, illa celestis quam Marcus Tullius in lib. de Republica 3. pene divina voce depinxit, cujus ego, ne plura dicerem, verba subjeci. Est quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet aut vetat, neque improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Quo est querendus explanator aut interpres*

pres ejus alius? Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna, & immutabilis continebit: unusque erit communis quasi Magister, & Imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas: etiam si cetera supplicia quæ putantur effugerit.

An autem reverà ipsa nativa lex ita sit immutabilis, ut nullam prorsus mutationem usquam admitrat, determinandum est in sequentibus quæstionibus.

### QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo Lex Naturalis mutari possit.

**N**otandum 1. Aliquid dici posse de jure naturæ duobus modis. *Primò*, positivè, & propriè, quatenus natura directè illud præcipit, aut vetat, & ad id exequendum inclinât, ut Deum esse colendum, alteri non faciendum quod tibi fieri non vis. *Secundò*, permissivè, negativè, & impropriè; quatenus lex naturæ contrarium non inducit. Qualiter S. Thomas 1. 2. qu. 95. art. 5. ad 3. dicit quòd *hominem esse nudum est de jure naturæ*; quia natura non dedit ei vestitum; sed ars adinvenit. Similiter hac ratione jure naturæ dicuntur omnia communia, & omnium unam esse libertatem, quia scilicet possessionum distinctio, & servitus non sunt inductæ à natura, sed per jus gentium, ac hominum auctoritatem pro majori utilitate societatis humanæ.

*Notandum 2.* Duobus modis legem aliquam mutari posse. *Primò*, per additionem, si nimirum aliquid ad legis præcepta adjiciatur, quo ejus obligatio ad plura sese extendat, quàm antea diffundebatur. *Secundò*, per subtractionem, si nimirum aliquid desinat esse de lege quod priùs ad legem reverà spectabat.

*Notandum 3.* Legem mutari posse per subtractionem sex modis. *Primò*, per abrogationem cum ea tollitur ex toto, sive Legislatoris voluntate, & conniventia, sive contraria consuetudine, sive auctoritate ejus, qui Legislator superior est; sive denique quando expirat tempus pro quo tantum erat constituta, expleto namque illo tempore lex non tollitur, sed impletur: Unde Christus Dominus de Lege Mosayca aiebat,

*Non veni legem solvere, sed adimplere*; quia nempe illa lex tantum erat constituta pro determinato tempore, & usque ad Messias adventum. *Secundò*, per derogationem, cum ex parte lex tollitur, unde glossa ad caput in istis d. 4. ait: *Abrogare est in totum tollere legem: derogare autem est pro parte detrabere legi.* *Tertiò*, per irritationem, cum cessat legis obligatio defectu consensus, aut aliorum necessariorum ad ejus vigorem, & firmitatem desideratorum. *Quartò*, per subtractionem materiæ, quæ subest dispositioni legis, dum scilicet ipsa definit esse materia legis, & subjacere ejus obligationi, quæ mutatio maximè locum habet in illis, quæ pendent ab humano consensu, & voluntate mutabili: ut in votis, juramentis, matrimoniis, & similibus. *Quintò*, per interpretationem, & Epitokejam; dum scilicet determinatur ab aliquo superiore generale legis præscriptum non obligare in particulari certa materia: cum enim lex debeat esse universalis, & Legislator singulos casus prævidere non possit, necessum est ut per Epitokejam Legislatoris voluntas explicetur, etiam contra tenorem legis; ea scilicet intentione, quòd si Legislator adesset, in tali casu legem non ferret. *Sextò* denique, per dispensationem, aut privilegium, quæ duo differunt: nam dispensatio est quædam partialis abrogatio legis; privilegium autem est quasi subtractio materiæ legis, & conceditur tamquam jus privatum, quod competit certis personis ad agendum contra jus commune. Unde in dispensatione mutatio fit ex parte legis, cuius vinculum relaxatur, remanentibus circumstantiis cum quibus alioqui lex omnes obligaret nisi esset illa relaxatio respectu personæ specialis. In privilegio autem fit mutatio ex parte subditorum, aut materiæ legis. Ex his autem omnibus legis immutationibus, quatuor priores in præsentis quæstione suscipimus explanandas.

### CONCLUSIO PRIMA.

**L**EX Naturalis mutari potest per additionem, non verò per abrogationem. Hæc conclusio duas partes complectitur; quarum

*Probatur prima.* Tunc mutatur lex per additionem, quando ipsi adjiciuntur aliqua nova præcepta, quorum ratione amplior sit illius obligatio, longiusque sese extendat:



dat: at possunt legi naturali aliqua superaddi leges; multa namque præcepta superaddita sunt ad humanam vitam utilia, tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas. *Secundò*, præcepta legis naturæ non ita sunt explicata, & nobis nota, quin sit in potestate Dei ex illis præceptis nobis notis conclusionem aliquam inferre nobis ignotam: atqui tunc lex naturalis mutaretur per additionem hujusce conclusionis, quæ haberet rationem legis naturæ propriè dictæ.

*Probaturs secunda pars*, scilicet quòd lex naturalis quoad sua præcepta generalia non possit mutari per abrogationem. Prima legis naturæ principia sunt omnino immutabilia: quia sunt in ipsa hominis natura fundata, neque potest natura mutari: & si mutaretur lex naturæ quoad hujusmodi principia, mutaretur & ipse Deus; Unde nulla ratione abrogari possunt hæ leges generalissimæ naturales, *Bonum est sectandum, malum est fugiendum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Confirmatur, quia ideo Isaia 24. lex naturæ appellatur, *foedus sempiternum*. Et dist. 5. *Naturale jus* inter omnia primatum obtinet tempore, & dignitate: cepit enim ab exordio rationalis creaturæ: nam nec variatur tempore, sed semper manet: unde Cicero lib. 2. de *Legibus* legem naturalem appellat *æternum quiddam quod universum mundum reget, imperandi, prohibendique sapientia*.

*Dices*: Homines in plurimis jus naturale, & legem innatam mutaverunt, ipsique derogaverunt quantum ad præcepta generalia: Ergo nulla est præcedens assertio.

*Probaturs antecedens*: Jure naturali bona omnia erant communia, & omnes libertate donabantur; antecedente tamen hominum voluntate, & potentum imperio, inducta est bonorum divisio, & proprietates, necnon & servitus: Ergo reverà lex naturalis potest pati mutationem. *Insuper Glossa in cap. 17. Ecclesiastici* disertè pronuntiat naturæ legem aliquando emendari, & corrigi per legem scriptam: sed hæc emendatio veram, & essentialem mutationem infert: Ergo lex naturalis verè mutari potest: *Denique*, ut se habet Princeps ad legem Positivam, & Civilem; ita se habet Deus ad legem naturalem: non enim minus legis naturæ est conditor Deus, quam

*Frasen Theol. Tom. VI.*

Princeps humanæ: sed Princeps potest quamlibet legem Civilem abrogare, & rescindere: Ergo pariter Deus legem naturalem abrogare potest, subindeque hæc non est absolutè immutabilis.

*Respondeo* ad primum negando antecedens, & ad ejus probationem dico, bonorum communitatem, & libertatem, non ita esse de jure naturæ quasi ipsa lex absolutè prohibeat ne homines bona quædam sibi faciant propria, neve suam libertatem alteri subjiciant, si ita voluerint: ipsa namque lex permittit hominibus, ut bona sua inter se dividere possint, & disponere de sua libertate, cujus dominii sunt, eamque alteri vendere, vel subjicere, quare rerum divisio, vel servitutis inductio, nec est contra legem naturæ nec eam mutat, sed tantum facit quod illa lex fieri permittit. Eatenus igitur bonorum communitas, & libertas dicuntur esse juris naturalis, quatenus natura confert jus dominationis in omnia bona, & in propria libertatem; ita ut non possent homines inviti, aut sine justa causa illo jure spoliari, & ab ejus usu præpediri.

*Ad secundum*, dico legem scriptam ideo dici datam ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptam suffectum est, ac suppletum quod legi naturæ deerat; vel quia nativa lex ob morum corruptionem, ac depravationem, ita in aliquorum cordibus erat derita, quantum ad aliqua præcepta, ut existimarent aliqua esse licita, quæ naturaliter mala sunt; quocirca opus fuit lege scripta ad ipsius nativæ legis supplementum, & clariorem explicationem.

*Ad tertium* nego majorem: Non enim eodem modo se habet Deus ad legem naturalem: quo princeps ad positivam: nam princeps totam vim, ac obligandi virtutem legi tribuit sola sua voluntate, & auctoritate per extrinsecum imperium promulgata; Deus autem aliquam obligationem ex parte rerum supponit, quæ videtur essentialis ipsis rebus, quia honestæ sunt, & bonæ ex natura rei; nam, ut supra diximus, hoc est discrimen inter legem naturalem, & positivam, quòd lex naturalis præcipit ea, quæ per se honesta sunt, & bona: prohibet autem, quæ per se mala sunt; lex autem Civilis tantum efficit honesta quæ præcipit, mala quæ prohibet; adeoque inter utramque legem non est paritas.

D 3 CON-

## CONCLUSIO SECUNDA.

**L**EX Naturalis mutari potest per subtractionem materiæ, quæ subest ejus dispositioni; nequit autem mutari per irrationem.

Probatur prima pars, tunc lex mutatur per materiæ subtractionem, quando materia, inquam cadebat legis obligatio, definit esse materia legis: sed ita contingere potest. Probatur: Lex naturalis statuit quod bonum alienum non fit retinendum invito domino, sed fit restituendum. Quod quidem nativæ legis præscriptum tamdiu obligat, quamdiu manet alienum; sed potest istud, quod erat alienum, fieri proprium; si nempe ille qui in bonum illud jus habebat, cedat juri suo. Sic etiam restituendi obligatio tollitur per legem præscriptionis; qua fit ut quod erat alienum jam amplius alienum non censeatur. Sic pariter de lege naturæ est quod depositum sit reddendum, quando res in deposito constituta non petitur in damnum alterius: sed quia contingere potest quod depositum petatur in alicujus perniciem, puta si furiosus enssem depositum petat quo possit quoslibet obvios homines trucidare: In his, inquam, casibus mutatur materia legis de deposito restituendo; adeoque lex ipsa materialiter censetur mutari. Non tamen mutatur formaliter, quia lex ista formaliter spectata non fertur in rem absolutè consideratam, & sine debitis circumstantiis, sed prout illis subjacet; dicitur enim depositum esse reddendum, non simpliciter & absolutè, sed dum non petitur in perniciem alterius; hoc autem præscriptum nunquam variatur, nec variari potest; quippe cum sit simpliciter honestum, & bonum.

Patet etiam secunda pars: Nempe quod lex naturalis mutari non possit per irrationem. Si lex naturæ possit irritari, maximè vel ex parte consensus requisiti ad illius obligationem, vel per contrariam consuetudinem; sed neutrum potest affirmari. Non quidem *primum*: quia ut nativa lex vim obligandi habeat, non exigit hominum consensum, sed ut diximus, ipsa ab Auctore naturæ cordibus nostris à nostræ formationis primordio inscribitur. *Secundum* etiam dici nequit: nam ut docet Gratianus dist. 5. cap. 1. *Naturale jus inter omnia primatum obtinet tempore, & dignitate,*

*cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tempore, sed immutabile semper permanens; & ut habetur in capit. Quo jure, dist. 8. Jus naturæ prævalet consuetudini, & constitutioni: quæcumque enim vel moribus recepta sunt, vel Scriptura comprehensa, si naturali juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt: Et cap. veritate legimus, Nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat, quia consuetudinem ratio, & veritas semper excludit. Quibus patet naturæ legem, per contrariam consuetudinem, aut legem irritari non posse.*

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Utrum Lex Naturalis admittere possit dispensationem, & interpretationem, seu Epitokejam.*

**N**Otandum 1. Dispensationem distingui posse duplicem, nimirum propriè, & minùs propriè dictam. Prior est relaxatio juris, & præcepti facta auctoritate superioris pleno suo jure utentis, quo scilicet pro libito, & absque eo quod gravis quædam causa concurrens id exigat, aliquam personam eximit ab obligatione implendi, ac faciendi quod lege præcipitur. Posterior verò est sola declaratio, qua superior significat quod propter graves causas concurrentes talis persona eximatur ab obligatione servandæ legis. Sic v. g. summus Pontifex pleno jure censetur perfectè dispensare, dum pro libito, & motu proprio aliquem dispensat à jejuniis servando in illo die quo ipse jufferat ab omnibus fidelibus esse jejunandum: Dispensat verò impropiè, dum v. gr. declarat eum qui vovit continentiam, non teneri ad servandum votum quando incontinentiæ stimulis ita dirè agitur, ut evidens sit periculum alicujus fœdi criminis admittendi, & salutis jacturam faciendi. Prior dispensatio cadit in materiam auctoritati dispensanti subditam; Posterior verò etiam ad materiam altioris ordinis, & sibi non subjectam spectat.

Notandum 2. Quod cum præcepta Decalogi sint in duplici differentia, eorumque aliqua dicantur *primæ tabule*, quæ Deum immediatè spectant; alia verò *secundæ tabule*, quæ pertinent ad jus proximo servandum; Cumque, ut jam diximus, præcepta primæ tabulæ sint de jure strictissimo natu-

ræ, si tertium excipias, nempe de servando Sabbato, cetera verò sint tantum de jure naturæ proprio, non autem strictissimo. Inde gravis inter Theologos difficultas oritur; num Deus possit in aliquibus præceptis Decalogi dispensare. Hac enim de re duæ extremæ sunt sententiæ. *Prima* quidem negans Deum de potentia absoluta dispensare posse in aliquo præcepto Decalogi præter tertium de sanctificatione sabbati. Ita S. Thomas q. 100. art. 8. & ejus Commentatores, ac Discipuli, quos citat, & sequitur Suarez 2. de Legib. c. 15. Salas tr. 14. disp. 5. sect. 9. Vasqu. disp. 179. c. 2. Aversa q. 94. sect. 3. *Secunda* extremè opposita, tenet Deum de potentia absoluta posse dispensare in aliquibus præceptis Decalogi. Ita *Doctor Subtilis* cum suis, Gabriel, Almainus, Marsilius. S. Bonnav. 1. dist. 47. Ockam 2. q. 19. Petrus Alliacen. 1. dist. 14. Andr. de Castro novo dist. 48. Gerson. & alii. Hæc autem controversia ut facilius, & evidentiùs solvatur,

*Notandum* 3. Quòd licet aliqui è Patribus, & Doctoribus invicem pugnent in assignanda distributione decem præceptorum Decalogi in duas tabulas; nam Hæsi-chius, & Origenes primæ tabulæ quatuor attribuunt, & sex secundæ; licet invicem non conveniant, nec cum aliis in earum divisione: Josephus verò 3. Antiqu. c. 6. attribuit quinque primæ tabulæ, & totidem secundæ: Communior tamen sententia tenet cum S. Augustino q. 71. in Exodum, tria tantum præcepta pertinere ad primam tabulam; nempe hæc: *Ego sum Dominus Deus tuus; Non habebis Deos alienos coram me; nec facies sculptile, &c.* Secundò, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertio, *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Ad secundam verò tabulam spectant cetera numero septem. *Honora patrem, & matrem.* Secundò, *Non occides.* Tertio, *Non mæchaberis.* Quarto, *Non furtum facies.* Quintò, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Sextò, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Septimò, *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.*

*Advertendum* insuper, omne præceptum sive affirmativum, sive negativum, duo præcepta involvere; unum quidem affirmativum, alterum verò negativum; nam præceptum affirmativum de colendo Deo, v.g. non solum inducit obligationem positivam Deum colendi, & diligendi deter-

minatis temporibus, & opportunis: sed præterea involvit præceptum negativum numquam ponendi, aut volendi ponere impedimentum quod ab isto divino cultu & amore præpediret; Hoc autem præceptum negativum obligat semper, & pro semper, quia nusquam licet velle non diligere, nec colere Deum. Similiter præceptum negativum non colendi falsos Deos, nec occidendi sine causa, involvit ipsummet præceptum negativum quo prohibemur nullo unquam tempore cultum impendere falsis Diis; & præterea involvit præceptum affirmativum applicandi omnia media, quæ videbuntur necessària ad observantiam illius præcepti negativi.

*Advertendum denique*, quòd quando præceptum est simpliciter negativum, tunc præceptum affirmativum ipsi adjunctum, tantum determinat ad medium conducens ad observantiam illius præcepti negativi. Similiter quando præceptum est simpliciter affirmativum tunc præceptum negativum quod in eo involvitur, determinat solum ad medium necessarium ad observantiam præcepti affirmativi.

*His ita præmissis*, tria maximè determinanda sunt in præsentis quæstione. *Primum*, quòd Deus reverà possit dispensare dispensatione propriè dicta in aliquibus præceptis Decalogi, & in iis quæ sunt de jure naturali. *Secundum*, an dispensare nequeat in duo priora præcepta primæ tabulæ. *Tertium*, an ex aliqua causa auctoritas humana, Pontificia aut civilis in iis, quæ juris naturalis sunt, dispensare possit.

## CONCLUSIO PRIMA.

**D**eus reverà potest dispensare in aliquibus quæ sunt juris naturalis; maximè verò in præceptis secundæ tabulæ Decalogi, si quintum excipias. Ita Doctor præfata q. 37. n. 5. & sequentibus.

*Probari* solet hæc conclusio: *Primò* quidem variis Scripturæ textibus, quibus constat Deum dispensasse in præceptis secundæ tabulæ, necnon in iis quæ videntur esse de jure naturæ; siquidem *Exodi* 11. & 12. videtur dispensasse in septimo præcepto, *Non furtum facies*, cum Israelitis, ut nempe vasa Egyptiorum furarentur: & *Deuteronomii* 23. cum iisdem Israelitis ut fenerarentur alienigenis ad usuram, quod reverà furtum est. Item pari ratione dispensavit

in sexto præcepto cum Osea jubendo ipsi ut acciperet mulierem fornicariam, & ex ea filios fornicationis susciperet. Denique dispensavit cum Abraham in quinto præcepto de non occidendo, cum ipsi imperavit ut filium suum interficeret, & immolaret: subindeque Deus dispensare potest, & de facto dispensavit in præceptis secundæ tabulæ, & quæ non sunt de jure stricto naturæ.

Fateor responderi posse ad primum caput, concessionem Israelitis factam ut Ægyptum spoliarent, & ut vasa aurea, & argentea quæ commodatò ab Ægyptiis acceperunt secum abducerent, non tam esse dispensationem septimi præcepti quàm illius explicationem; siquidem per illud præceptum prohibetur solum ablatio rei alienæ, quæ autem Israelitæ ab Ægyptiis acceperunt, non erant bona Ægyptiorum, sed sua: Primò quidem Titulo donationis sibi à Deo factæ qui cum supremam habeat potestatem ratione sui supremi dominii in omnia bona temporalia, & disponendi de eis pro beneplacito suo, potest etiam illa cui voluerit concedere. Secundò, titulo mercedis laborum suorum, quaerant fraudati ab Ægyptiis, ut testatur Scriptura sacra Sapientiæ 10. *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum*; oppressi quippè fuerant Israelitæ ab Ægyptiis, gravissimis laboribus per varios annos absque ulla prorsus mercede. Tertiò denique titulo vindicandæ religionis; Nam inquit S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 71. *Ægyptii erant sacri legi, & iniqui; nam auro illo malè utentes ad Creatoris injuriam, suis idolis serviebant, & homines peregrinos labore gratuito injustè ac vehementer affixerant: Digni ergo erant isti (nempe Israelitæ) quibus talia juberentur, & illi, (nempe Ægyptii) qui talia paterentur.* Quas rationes eleganter expressit Philo Judæus in lib. 1. de vita Moysis, ubi ait spoliium illud Ægyptiorum, triplici titulo à peccato excusari, nimirum titulo laboris impentis, titulo compensandæ injuriæ illatæ, & titulo justii belli. Primùm, inquit, *ut diurni laboris necessariam mercedem reciperent.* Deinde, *ut pro acceptis tempore quo servierant injuriis, si non pro merito, aliquid tamen damni reponerent, sive ut bello victores victos spoliarent bonis.*

Reponi posset pariter ad secundam, quòd illis verbis non fecit Deus facultatem Judæis feneratori ad usuram alienigenis; nam ubi dixit Deus, *Non feneratoris fratri tuo ad*

*usuram*; per hoc sufficienter significavit accipere aliquid ad usuram, esse simpliciter malum: Unde dici posset quòd licebat Judæis feneratori materialiter tantùm ad usuram alienigenis, non autem formaliter; quia quod exigebant supra sortem ab alienigenis, sua esse poterant, aut titulo donationis sibi factæ à Deo, qui est supremus rerum administrator, & distributor qua ratione ipsis dederat terram Amorreorum, & aliorum: aut titulo justii belli, ut censeat S. Ambrosius lib. de Tobia c. 15. ubi ait; *Ab illo exige usuram, cui meritò nocere desideras, cui jure inferuntur arma, cui legitime auferuntur usura, quem bello vincere non potes. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicat qui usuram flagitat, sine gladio se degisse ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici.* Ad factum Oseæ pariter reponi posset ipsum justum fuisse accipere in legitimum matrimonium uxorem quæ prius fuisset fornicaria: Ita interpretatur S. Augustinus lib. contra Secundinum cap. 21. *Quid, inquit, inimicum fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?* Et infra, *Itaque cum meretricem Propheta fecit uxorem, ad vitam corrigendam mulieri consultum est, & figuræ Sacramentum expressum.* Nec refert quòd ibi subjiciatur, *Fac tibi filios fornicationis*: Hæc enim verba significant, vel quòd jubeatur Propheta ut filios ab illa muliere fornicaria genitos tamquam legitimos adoptet: Vel quòd ita dicantur filii fornicationis, quia nati sunt ex muliere quæ antea fuerat fornicaria; non enim est insolitum in Scriptura res interdum retinere denominationem eorum quæ antea erant: Eva enim post formationem suam appellata est ab Adamo os, *Os nunc ex ossibus meis*; quia ante formationem talis fuerat. Vel denique ut significaretur ipsos Judæos à vero Dei cultu recessisse, cultum idolis exhibendo, quod in Scriptura genus est fornicationis, juxta illud. *Maledicti qui fornicantur abs te.* Quapropter his textibus omissis,

Probatur Conclusio auctoritate S. Bernardi lib. de Præcepto, & Dispensatione c. 3. ubi cum distinxisset triplex necessarium, nempe stabile, inviolabile, & incommutabile, dixissetque necessarium stabile, id esse quod à superioribus traditum, & sancitum stabiliter perseverat, nec omninò cujusvis subje&torum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur: *necessarium incommutabile*.

le, id quod divina ita constat, & æterna ratione firmatum, ut nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo aliquatenus immutari; *Necessarium verò irrevocabile illud quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi à Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur; subdit, ut exempli causa, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabule Legis scripta; que etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit: Dominus tamen horum quod voluit, & quando voluit solvit: sive cum ab Hebræis Ægyptios spoliari: sive quando Prophetam cum muliere fornicaria mœchæ præcipit. Quorum utique alterum quid nisi grave furti facinus? alterum quid nisi flagitii turpitudine reputaretur, si non excusasset utrumque factum auctoritas imperantis? Censet ergo sanctus Bernardus reverà Deum in aliquibus præceptis Decalogi posse dispensare.*

*Nec valet* reponere cum Thomistis S. Bernardum intelligendum esse de dispensatione improprie dicta. Hæc siquidem responsio in ipsa sancti Bernardi verba aperte militat, ut constat tum exemplis ab eo prolatis, tum ex eo quòd in illo libro expressè agat de dispensatione proprie dicta. Tum denique quia sanctus Bernardus talem dispensandi auctoritatem Deo concedit qualem negat hominibus: at ipsimet Adversarii fatentur, homines dispensare posse dispensatione improprie dicta in præceptis quæ sunt juris naturæ: Ergo necessarium est fateantur, sanctum Bernardum intelligendum esse de dispensatione proprie dicta quam Deo tribuit.

*Probatum* in super conclusio, Deus potest dispensare in præcepto de non occidendo innocente: sed præceptum istud est juris naturalis, & unum ex præceptis Decalogi: Ergo in eis fieri potest dispensatio: Minor patet. Major probatur, Ut Deus reverà censetur proprie dispensare in præcepto non occidendi innocentem, sufficit quòd sua auctoritate efficiat, ut illa occisio, quæ aliàs esset illicita fiat licita: sed id Deus præstare potest, imò de facto præstitit: Ergo reverà Deus dispensare potest in aliquibus præceptis Decalogi. Major constat; nam ideo princeps aliquis censetur dispensare in lege à se posita, & Pontifex dispensare in comestione carnis die veneris v.g. quia uterque efficit sua auctoritate, ut ille actus per

dispensationem sit licitus in omnibus circumstantiis in quibus aliàs esset illicitus, si nulla ipsius adesset legis dispensatio.

*Probatum minor*, Occisio Isaac, quam Deo imperante efficaciter intendebat Abraham, habebat omnes circumstantias ob quas censenda esset prohibita per Decalogi præceptum *non occides*, si non adfuisset divina dispensatio, non minus quàm comestio carnis die veneris ab homine sano ac benevalente habet omnes circumstantias ratione quarum esset actus illicitus, & peccaminosus si non adesset summi Pontificis dispensatio respectu istius hominis sani: Ergo sicut illa comestio carnis ab illo homine sano reverà fit licita ob dispensationem; Ita pariter illa occisio Isaac innocentis reverà etiam ob divinam dispensationem extitit licita: Subindeque illa occisio solum non fuit mala propter dispensationem factam per idipsum divinum mandatum quo Deus illam occisionem præceperat; & consequenter verum est quòd de facto Deus in aliquibus Decalogi præceptis dispensavit.

*Confirmatur*. Deus de facto præcepit Abraham filium suum interficere in illis circumstantiis, in quibus secluso præcepto peccasset eum occidendo; nec ulla intervenit mutatio moralis ex parte illius faciendæ occisionis præter mutationem quæ oriebatur ex illo præcepto, ut præceptum erat; Ergo per veram dispensationem fecit Deus ut illa occisio, quæ aliàs esset illicita, foret licita.

*Reponunt Adversarii*, Præceptum illud divinum datum Abraham de occidendo Isaac non potuisse habere dispensationis rationem; quia præceptum obligat ad aliquid faciendum, dispensatio vero talem obligationem non inducit, sed solum permittit rem licitè fieri.

*Contra*: Dispensatio, ut dispensatio est, præcisè vim habet auferendi obligationem, & prohibitionem actus in quem cadit dispensatio; sed præceptum de re aliqua faciendâ quæ aliàs prohibetur, habet eandem rationem, & vim: Siquidem eo ipso obligat ad aliquid faciendum, & aufert prohibitionem qua illud cavebatur; licet præterea habeat rationem obligandi ad actum, in quo fit dispensatio, & cujus prohibitio per illud faciendum præceptum tollitur. Quòd utique patet exemplo; nemo enim est qui non fateatur, quòd si summus Pontifex præciperet alicui comedere carnes die veneris; aliàs obligato per Ecclesiæ præceptum ad eas non comedendas; reverà

râ cum eo dispensaret summus Pontifex ; adeoque præceptum de re faciendâ quâ aliâs prohibetur, vim, & rationem habet dispensationis. Adde quod quâ ratione Deus præcepit Abrahæ occidere filium, potuit etiam non præcipere, sed ipsi concedere licentiam expressam, & formatam eum interficiendi ; at in eo casu talis interfectio foret licita : Ergo propriè Deus potest dispensare in præcepto, *non occides*.

*Reponunt secundò*, Verum quidem esse quod illa occisio foret licita ratione illius præcepti divini, quâ aliâs non esset licita si tale præceptum non adesset ; verum, inquit, id non fieret per veram dispensationem, sed per materiæ subtractionem, & mutationem ; nam non quæcumque occisio vetatur per illud Decalogi præceptum, *Non occides*, sed tantum illa quâ fit privata auctoritate. Unde defacto Principes sæculares conferunt facultatem interficiendi, nec tamen dispensant in illo præcepto.

*Contra* : Si Principes sæculares, sua sola auctoritate possent efficere ut occisio hominis quâ aliâs esset injusta, foret licita, reverâ censerentur propriè dispensare in illo præcepto, *non occides*, sicut dispensare possunt in legibus, & præceptis à se positis : Ergo cum Deus sola auctoritate sua possit dispensare absque ulla mutatione materiæ, hoc est, remanente semper obligatione illius præcepti, *non occides*, quæ obligatio illam occisionem illicitam efficeret, nisi divinum interveniret vel præceptum, vel consilium ; reverâ censendusest Deus in illo præcepto dispensare.

*Reponunt denique* Alii, illud quidem præceptum Abrahæ datum esse dispensationem ; sed non quâ sit relaxatio præcepti ; sed tantum quâ fit ut illa occisio Isaac non censeretur homicidium.

*Verum* hæc responsio profus est inutilis : Nihil enim aliud est dispensationem aliquam esse relaxationem præcepti, quàm eam esse talem ratione cujus præceptum quod aliâs obligaret, nisi ista dispensatio adesset, ea posita non censeatur obligare : sed illa dispensatio, quâ Deus fecit ut absque ullo peccato Abraham possit suum filium interficere, erat hujusmodi : Ergo pariter erat verè relaxativa præcepti.

*Objicies primò* S. Augustinum asserentem Deum non posse dispensare in jure naturæ ; Nam libro de vera religione cap. 31. ait, *Neque Pater de æterna lege judicare pos-*

*set* : & libro primo de libero arbitrio cap. 6. *Legi æternæ, inquit, semper est obtemperandum, & illam esse incommutabilem*. Et infra, *An potest aliquando injustum esse ut mali miseri, boni autem beati sint, aut ut bonus ; & gravis populus ipse sibi magistratus creet ; dissolutus verò ac nequam ista licentia careat ? Video hanc æternam, & incommutabilem legem esse*.

*Respondeo* ; Has auctoritates rectè posse intelligi de potentia ordinaria, quâ nempe Deus juxta præscriptas à se leges, & regulas cuncta disponit, non autem de extraordinaria qua pro libito præter ordinationes à se conditas, potest aliquid per se præstare, vel præstandum ab alio præcipere : Vel præfata auctoritates intelligi possunt de strictissima lege naturæ, qualiter arbitror primam, & secundam auctoritatem esse accipiendas. Tertia autem intelligenda est de lege æterna, & naturali, quantum est ex natura rei, & nisi interveniat actus aliquis divine voluntatis aliter disponentis : Certum est enim quod esset injustum, ut populus honestus sibi crearet magistratus, si nempe Deus id vetaret, sicut reverâ vetare potest. Similiter etiam posset esse justum, ut populus dissolutus, & nequam non careret tali auctoritate cum facultate sibi creandi magistratus, si Deus ita imperaret.

*Objicies secundò*, Si Deus dispensare posset in præceptis secundæ tabulæ, præsertim in eo *non occides*, sequeretur quod dari posset bellum utrinque justum sine ignorantia ; nam ille cum quo dispensaret Deus in præcepto occisionis, posset licitè aggredi aliquem ; is autem quem invaderet, posset etiam licitè se defendere, & invasorem impugnare, & occidere : sed est contra communem Theologorum sententiam quod bellum possit esse utrinque justum sine ignorantia : Ergo nostra assertio in communem Theologorum sententiam pugnat.

*Respondeo I.* Hanc objectionem tam in Adversarios quàm in nos ipsos militare ; siquidem non negant Adversarii quod Deus non possit dare licentiam in aliquibus casibus, in quibus non liceret interficere nisi Deus ita concederet aut præciperet ; id siquidem constat manifestè ex occisione Isaac Abrahamo demandata, sive interim Deus id faciat dispensando, ut asserimus, sive mutando materiam illam, eamque extrahendo ab obligatione juris naturalis, ut volunt Adversarii : sed in illo casu tam liceret ei qui esset in-

interficiendus, se defendere, & adversus impugnantem repugnare; si Deus daret licentiam occidendi sive mutando materiam illius obligationis, sive dispensando in eo præcepto *non occides*; adeoque hæc difficultas tam ab Adversariis quam à nobis est solvenda.

*Respondeo 2. negando majorem*: Non enim sequeretur bellum in illo casu utrinque justum; nam ille cui Deus præciperet interfecionem, non deberet eo ipso in omnicasu velle interficere; sed teneretur abstinere ab interfecione in illis casibus, in quibus periculum esset ne ipse interficeretur, aut alios interficeret quos occidendi non haberet facultatem. Nam licet Deus dispensaret in præcepto legis naturalis quoad interfecionem Petri v.g. non tamen eo ipso censendus esset dispensare in præcepto naturali quoad interfecionem aliorum, aut quoad periculum manifestum propriæ occisionis: subindeque teneretur abstinere se ab interfecione faciendi in eis casibus in quibus probabiliter periculum esset, ne aut interficeret quos occidere non licet, aut ipse interficeretur: Unde si in iis casibus ab interfecione non desisteret, bellum ex parte ejus foret injustum, justum verò ex parte illorum quos aggrediretur.

*Respondeo tertio, negando minorem*: Non enim absurdum est bellum utrinque esse justum; nam certum est quòd dum Christiani Reges inter se decertant, plurimi ex militibus utriusque partis existimant se vocatos à suis Principibus ad bellum legitimum, adeoque tenentur ad interficiendos adversarios milites. Imò probabile censent aliqui, inquit Poncius, *Comment. in dist. 37. nu. 143.* etiam ita præfatos milites ad occisionem teneri in eo casu quo per scientiam particularem quidam ex eis cognoscerent suum Regem non justè adversus alium Regem pugnare, dummodo publicè non fiat compertum, nec ipsi possint id suadere rationibus opportunis absque vitæ suæ dispendio se ab interficiendis adversariis desistere: Certum, inquam, est, aut saltem probabile quòd in tali casu bellum inter milites esset utrinque justum, etiam absque ulla ignorantia ex parte ipsorum.

*Adde ex Cavallo in Scolio ad nu. 5. præfatæ questionis 37.* quòd in pluribus casibus videtur multis Doctoribus bellum posse esse utrinque justum; nam qui putat bona fide se pugnare, potest aggredi alterum quem

novit innocentem, ut docet Soto *5. de Just. quest. 1. art. 7.* Item reus condemnatus contra scientiam privatam Judicis, potest resistere secluso scandalo, ut cum pluribus aliis affirmat Covarruvias *1. var. cap. nu. 13.* Item si duo in naufragio simul tentarent invadere scapham unius dumtaxat capacem, possent invicem justè utrinque pugnare pro ea sibi servanda, quo vitam quisque tueri posset, ut docet Major *in 4. dist. 15. quest. 22. &c.* Potest ergo bellum aliquando esse utrinque justum.

*Objicies 3.* Præcepta legis naturæ sunt affirmativa vel negativa: affirmativa præcipiunt id quod secundum se justum est ac rectum; Negativa autem prohibent id quod secundum se est iniquum, & injustum: sed si dispensabilia essent præcepta affirmativa, liceret non facere id quod secundum se licet facere; Similiter si præcepta negativa essent quoque dispensabilia, liceret facere id quod secundum se iniquum est atque injustum; At absurdum consequens: Ergo & antecedens.

*Distinguo majorem*: Affirmativa præcipiunt id quod justum est secundum se & independenter ab ullo prorsus legis præcepto, Nego: Dependenter ab aliquo præcepto, ratione cujus id quod præcipitur, censetur esse justum, & quod prohibetur censetur esse injustum, Concedo; Licet enim aliqua videantur esse justa vel injusta, quatenus conveniunt vel disconveniunt legi naturali, necnon & rectæ rationis dictamini; attamen cum lex naturalis nihil sit aliud quam ipsa ordinatio Dei præscribentis ea quæ prohibito judicat esse convenientia vel disconvenientia creaturæ rationali, consequens est quòd ratio illius convenientiæ vel disconvenientiæ, maximè petatur ab ipsa Dei ordinatione: Similiter *distinguo minorem*; Liceret non facere id quod secundum se justum est, remanente sub ratione justæ, nego: non remanente sub eadem ratione, concedo: Certum est autem quòd res quæ justa erat, & idcirco necessario executioni demandanda ratione præcepti divini, talis esse desinit, accedente divina dispensatione, qua posita id quod justum erat, & necessarium facere, incipit esse licitum omittere.

*Dices quarto*, Omnia præcepta, legis naturalis habent fundamentum in natura, & eatenus sunt præcepta legis naturalis, quatenus conjunguntur eum natura: atqui natura nequidem per divinam potentiam variari po-

potest; nam licet data quacumque creatura possit Deus producere perfectiorem in infinitum, non potest tamen facere hominem aliter quam sit: Ergo pariter nequit in lege naturæ dispensare.

*Distinguo majorem*, Illa præcepta fundantur in natura, idest, habent conjunctionem cum natura ex ordinatione Dei auctoris naturæ, ita rem statuentis, concedo: Idest, profluunt ab ipsa natura per modum proprietatis inseparabilis, quasi illa invariata, hæc variari nequeant, nego: Nam ut diximus, cum ista ratio juris naturalis pendeat ab ipsa ordinatione Dei ut authoris naturæ, cumque illa divina ordinatione sit libera, etiam Deus liberrimè potest præcipere, vel prohibere quæ judicaverit convenientia, vel disconvenientia, ipsa natura secundum suam essentiam invariata permanente.

*Dices denique*, Dispensatio est imperfecta, & inchoata legis abrogatio; sicut enim per abrogationem fit, ut manentibus omnibus aliis circumstantiis omninò eisdem, lex non obliget, quæ alioqui cum istis circumstantiis obligaret; ita dispensatio facit ut hunc non obliget quem aliàs obligavit: atque hinc abrogatio dicitur *mors legis*; dispensatio autem *vulnus legis*: Ergo in ea tantum lege dispensari potest quæ potest abrogari; sicut ille qui immortalis est, invulnerabilis quoque est; at ex dictis supra, lex naturæ non potest abrogari, subindeque nec in ea dispensari etiam per Deum.

*Distinguo minorem*: Lex naturæ non potest abrogari quantum ad omnia præcepta quæ continet, maximè verò quantum ad ea quæ sunt de jure strictissimo naturæ; qualia sunt duo præcepta priora primæ tabulæ, concedo: quantum ad alia præcepta, qualia sunt cætera primæ vel secundæ tabulæ ( si mendacium excipias ) nego: Quemadmodum enim contendimus divina autoritate in eis posse dispensari quantum ad aliquas personas, ita & dispensari posset quantum ad omnes; siquidem divina autoritas, & potestas non magis limitatur, & arctatur respectu plurium quam respectu unius: Illa autem dispensatio generalis esset reverà legis abrogatio; subindeque lex naturalis quantum ad ea præcepta divinitus posset abrogari.

## CONCLUSIO SECUNDA.

**D**uo priora præcepta Primæ Tabulæ negativè sumpta, quatenus videlicet prohibent irreverentiam exhibendam Deo, aut per cultum Deorum inanum, aut per divini ejus nominis assumptionem in vanum, sunt strictissimè de jure legis naturalis; subindeque sunt etiam divinitus indispensabilia. Hæc est Doct. in 3. dist. 37. nu. 6. ubi ait de præceptis primæ tabulæ, quia illa immediatè Deum respiciunt pro objecto, duo quidem prima, si intelligantur tantum esse negativa. Primum, *Non habebis Deos alienos*: Secundum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, idest, non facies Deo tuo irreverentiam, ista sunt strictè de lege nature, quia sequitur necessariò, *si est Deus, est amandus ut Deus*: & quòd nihil est aliud colendum tanquam Deus, nec Deo facienda est irreverentia: & per consequens in istis non poterit Deus dispensare, ut aliquis possit licitè facere oppositum talis prohibiti. Hæc Doct. cui subscribunt omnes Thomistæ contententes omnia præcepta Decalogi esse indispensabilia, proinde censent ea quæ sunt primæ tabulæ, maximè esse indispensabilia.

*Probat hanc Conclusio*: Ex terminis notum est Deo non posse aliquam irrogari injuriam, aut irreverentiam absque culpa mortali: at summa Deo fieret injuria, & irreverentia si ipse odio haberetur, aut debitus ipsi cultus alteri impenderetur: Ergo hæc licitè fieri non possunt. Probat major. Notum est ex terminis nullum malum morale esse faciendum, nec posse licitè fieri id quod cognoscitur esse contra bonum honestum, & morale: inde namque sequeretur contradictio, nempe quòd posset licitè fieri, & quòd ita fieri non posset: sed nullum malum morale potest esse majus quam inferre irreverentiam Deo summo bono: Ergo non potest ipsi ulla ratione licitè irrogari aliqua irreverentia.

*Deinde*, Si Deus dispensare posset, & efficere ut irreverentia sibi licitè fieret, maximè per actum suæ divinæ voluntatis, quo videlicet irrogatio irreverentiæ quæ aliàs esset illicita fieret licita: Sed id efficere nequit mediante illo voluntatis actu: Ergo nec in illo dispensare. Major, & consequentia patent. Minor probatur. Non est magis notum ex terminis, aut ex aliquo principio quòd que Deus



Deus jubet sint licita, & quæ prohibet sint illicita, quàm sit notum quòd in illo casu Deo sit irroganda irreverentia: Ergo sicut nullo suæ voluntatis actu potest Deus efficere, ut quòd juberet fieri, non fieret licitè; aut quòd prohiberet fieri, licitè fieri posset, pro eodem instanti quo juberet aut prohiberet; ita efficere nequit ullo suæ voluntatis actu ut irreverentia sibi licitè exhibeatur.

*Denique*, Eo ipso quo aliquid fieret jubente Deo, non fieret ipsi irreverentia; siquidem non irrogatur irreverentia Principi, dum ejus præceptis, & mandatis fit satis: Ergo implicat ut Deus possit concedere facultatem irrogandi sibi irreverentiam.

*Dices*: Ex præcedenti conclusione liquet, dispensari posse divinitus in præceptis negativis secundæ tabulæ quæ spectant ad proximi dilectionem: Ergo pariratione dispensari poterit in præceptis primæ tabulæ quæ Dei dilectionem, & cultum concernunt. Pater antecedens ex dictis: *Consequencia probatur*, Omnia præcepta secundæ tabulæ fundantur in dilectione proximi, & ad ipsam tamquam ad caput unicè revocantur: sed proximi dilectio necessariò sequitur ex præcepto diligendi Deum: Igitur si hæc Dei dilectio dispensationem non admittat, nec pariter admittet dispensationem dilectio proximi. Major constat; Nam inquit Apost. ad Rom. 3. *Non adulterabis, non occides, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Unde concludit ibidem Apost.

*Qui diligit proximum, Legem implevit*. Quod utique probatur autoritate Christi Salvatoris Matth. 22. ubi sermonem faciens de præceptis diligendi Deum, & proximum, ait; *In his tota lex pendet, & Prophetæ*: Igitur in isto præcepto, *Diliges proximum tuum*; includuntur necessariò omnia præcepta secundæ tabulæ. Probatur minor, quòd dilectio proximi sequatur necessariò ex præcepto diligendi Deum. Dilectio Dei, quæ est de jure nature, est dilectio perfecta, & non deordinata: sed dilectio ordinata non tendit in Deum sibi soli appropriandum, quasi diligens Deum nollet ab aliis diligi; quia amor boni communis, ut appropriati soli diligenti est inordinatus; amor etiam alicujus nolentis dilectum ab aliis similiter diligi, est imperfectus: Ergo cum præceptum de diligendo Deo tendat in amorem perfectum, & or-

dinatum, etiam intendit quòd Deum diligens velit ipsum pariter ab aliis diligi; proindeque amans Deum debet velle quòd etiam proximus Deum diligat: sed talis voluntas est actus perfectissimus dilectionis proximi: Ergo dilectio proximi necessariò sequitur ex præcepto dilectionis Dei.

*Respondet Doctor* tribus modis. *Primò* quidem negari posse majorem: Non enim est certum quòd diligere Deum sit strictissime de jure nature, in quantum præceptum illud est affirmativum, sed tantum in quantum est negativum, scilicet quatenus prohibet odium Dei: Hinc cum præmississet rationem pro tuenda parte affirmante, nempe quòd præceptum de diligendo Deo aliquando obliget de jure nature, aliàs sequeretur hominem per totam vitam non teneri ad aliquem actum amoris Dei eliciendum, quod repugnare videtur rectæ rationis dictamini: Postmodum partem negantem sic probat *ibidem nu. 7*. Non est certum esse præceptum juris nature stricti quòd aliquis homo Deum amet hodie positivè: Ergo nec cras, nec ullo alio tempore, quia non est potior ratio cur aliquis aliquo tempore determinato obligaretur ad Deum positivè amandum quàm hodie, *Et ideo*, inquit, *strictè loquendo non videtur quomodo possit concludi quando aliquis teneatur tunc vel nunc exhibere cultum Deo; & pariratione nec aliquando indistinctè, quia ad nullum actum tenetur aliquis pro aliquo tempore indeterminato ad quem non tenetur pro aliquo tempore signato, aliquibus opportunitatibus concurrentibus*. Hoc est, non potest aliquis teneri ad aliquem actum pro tempore determinato eliciendum, quin teneatur pro aliquo tempore determinato, quòd posset determinari per occurrentes opportunitates, & particulares circumstantias aliquando concurrentes. Quocirca ratione utrinque librata, indiscussum relinquit Doctor amare, & colere Deum positivè, sit præceptum strictissimi juris nature.

*Respondet 2.* Negando minorem, nempe quòd *dilectio proximi sequatur necessariò ex amore Dei*. Ad cujus minoris rationem dicit, quòd etsi perfectus Dei amor, qui præciperetur per jus nature strictum, non sit amor quo vellet quis appropriare sibi Deum, quasi nollet ipsum ab aliis positivè diligi: tamen non posset esse amor quo necessariò velit positivè Deum ab aliis positivè diligi, sed sufficit quòd sit amor ipsius Dei secundum se, abstrahendo ab eo quòd quis

quis velit, aut nolit Deum ab aliis diligi. Ratio autem cur Deum amans perfecte, posset non teneri ut vellet positivè ipsum ab aliis diligi, vel possideri, est quia fortè non placeret ipsi Deo se communicare aliis hominibus sicut se communicat homini diligenti; Aut quia non esset notum diligentibus quòd Deo placeret aliis se communicare sicut & sibi. Sicut enim licèt Deus de facto velit communicare illis, quos prædestinat, & ut sic ab eis amore perfectissimo diligi, tamen non vult sese communicare eis, quos non prædestinat, aut ab iis taliter diligi: Ita mirum non est, quòd qui Deum diligit, posset non velle positivè ipsum ab aliis non diligi, quia non constaret naturali cognitione talem amorem ab aliis hominibus elicitum Deo fore acceptum: atque adeò præceptum quo quis diligit Deum, non potest ipsum obligare naturaliter, ut velit ipsum ab aliis diligi.

*Respondet 3.* Quòd etsi Deus esset diligendus ex strictissimo, & indispensabili legis naturæ præcepto, & quamvis virtute ejusdem vel alterius præcepti similis diligendus esset proximus ea dilectione qua teneremur velle ipsum efficaciter diligere Deum, & pervenire ad beatitudinem; tamen exinde non sequeretur præcepta secundæ tabulæ esse naturali jure observanda, quia eatenus ex præcepto de habenda hujusmodi dilectione proximi sequeretur necessariò observanda præcepta secundæ tabulæ, quatenus sine tali observatione non posset proximus tali dilectione diligi: Sed ita non est; nulla enim repugnantia est quòd quis vellet Deum diligere proximum, & ipsum pervenire ad ultimam beatitudinem, & simul vellet eum interficere, & bonis suis eum expoliare. Imò posset judicare, licèt erroneè, quòd illa interfecitio, & illa bonorum expoliatio conducirerit ipsum ad beatitudinem assequendam; nempe si judicaret se esse in statu gratiæ; in quo si moreretur, haud dubiè salvus esset: similiter judicare posset quòd possessio bonorum temporalium foret proximo nociva ad beatitudinem obtinendam: adeòque quòd expoliatio bonorum illorum conducirerit proximum ad beatitudinem assequendam, & consequenter licèt quis ex præcepto de diligendo Deo, positivè teneretur velle etiam Deum à proximo suo diligi, non tamen inde sequeretur quòd pari ratione teneretur ad observanda præcepta secundæ tabulæ.

*Ad auctoritates* autem quibus suadebatur proximi dilectionem necessariò sequi ex dilectione Dei, quæ est præceptum legis naturæ, *Respondet* Doctor n. 12. Primò quòd illa, ad quæ sese extendit dilectio proximi, sequuntur quidem ex principiis legis naturæ, non tamen sunt reverà de stricta lege naturæ, sed solùm reductivè; ideòque per se non sunt indispensabilia; quamvis enim præcepta secundæ tabulæ sequantur ex dilectione Dei naturaliter, non tamen inde inferre licet quòd illa sint indispensabilia, sed tantùm concluditur, quòd qui Deum diligit, etiam tenetur, & proximum diligere, & ipsi non dare occasionem offendendi Deum; nec ullam ei inferre injuriam ejus bona auferendo: quamvis hæc non ita necessariò sequantur, quin pro libito possit Deus hic, & nunc dispensare cum aliquo in illa prohibitione de auferendis proximi bonis, & inferendis ipsi injuriis.

*Dices secundò;* Quæ sunt contra præcepta secundæ tabulæ, directè militant in ipsam naturæ legem, subindeque per se & ex se mala sunt & illicita; etiam independentè à lege positiva; sed in iis, quæ per se mala sunt, Deus dispensare nequit: alioquin efficeret, ut malum licitè fieri posset, quod implicat: malum enim ut malum, est illicitum: Ergo in iis, quæ per præcepta secundæ tabulæ prohibentur, Deus dispensare nequit.

*Distinguo majorem.* Militant in ipsam naturæ legem directè, & per se, nego: ex consequenti & illativè, concedo: hoc est, non sunt de lege naturæ strictissima ac indispensabili; quippe cum nec sint principia, nec conclusiones talis legis; sed tantùm consequenter ex talis legis conclusionibus inferuntur, subindeque censeri non debent indispensabilia: *Vel aliter dico;* Præcepta secundæ tabulæ esse quidem prohibita, aut præcepta à voluntate Dei, ut Authoris naturæ, non tamen præcepta, aut prohibita sub pena inferni, aut privationis vitæ eternæ. Aliquid enim potest esse prohibitum, aut præceptum dupliciter: uno modo sub aliqua pena in genere, & indeterminatè, aut sub pena determinata ordinis quasi naturalis, scilicet mortis temporalis, aut incarcerationis, vel jacturæ bonorum. Alio modo posset aliquid esse præceptum, vel prohibitum, sub pena inferni, & privationis beatitudinis, itaut qui transgrediretur præceptum, meritò judicaretur dignus esse inferno, aut beatitudinis privatione, Non est autem



nibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac honorum omnium operum exemplo, pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo neque vigilant, neque assistunt; sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio, ac veritate pascant ac regant. Quibus verbis solum significatur residentiam pastorum censi posse, non quidem de jure naturali, sed de jure divino positivo: nam ex illis non potest haberi quod residentia sit de alio jure, quam ex quo pastores obligantur ad præstanda munia, quæ absentes exequi non possent: at Concilium significat quod ad ea præstanda teneantur, non ex jure naturæ, sed ex præcepto divino, subindeque residentia pastorum posset non censi esse de jure naturæ.

*Respondeo 2.* Distinguendo majorem; summus Pontifex dispensat de residentia pastorum dispensatione propriè dicta, quæ fiat proprio jure, & propria authoritate, quæ solvat residendi obligationem absque externa gravi causa concurrente: Nego, dispensatione impropiè dicta quæ sit tantum declaratio pastores in eo casu non teneri ad residendum, propter graves causas, & eorum presentiam alibi exigentes, & eos aliò evocantes, Concedo: Igitur summus Pontifex propriè non dispensat de residentia pastorum cum eis licentiam concedit aliò migrandi: sed tantum declarat in aliquo particulari casu pastores non teneri ad residentiam: enim verò solum Pastores residere debent cum plebe sibi commissa; quando publici boni necessitas, vel utilitas eos aliò non vocat, quod utique prudenter declaratum est, & statutum in Concilio Tridentino loco laudato, ubi cum declarasset omnes Pastores; *Etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel diocesi residentiam, ubi injuncto sibi officio desungi teneantur, neque abesse posse nisi certis de causis: subdit, Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ uti-*

*litas aliquos nonnunquam abesse postulent, Igitur exigant: decernit Sacrosancta Synodus has legitime absentie causas à beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitanò, vel eo absente suffraganeo Episcopo Antiquiori residente, qui ejusdem Metropolitanì absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas. Non potest ergo summus Pontifex, de facto dispensare cum Episcopis, ut non resideant pro eo tempore quo est obligatio juris, aut naturæ, aut divini ad residendum, nisi ob gravissimam causam, talemque ob quam meritò existimare possit, nec Deum nec naturam ea causa posita ad residentiam obligare. Quando autem ob leves causas Pastores à residentia dispensat summus Pontifex, si tamen id faciat aliquando, id solum præstat cum Pastoris præsentia non ita videtur gregi necessaria, aut utilis, quin prudenter existimari possit in eo casu, nec Deum, nec naturam talem residentiam præcipere.*

*Adsecundum:* Dico eodem modo, quo ad primum; etenim summus Pontifex propriè non dispensat in ullo voto aut juramento, nec etiam in patrimonio rato; sed tantum declarat propter graves concurrentes causas, eos qui votum emisissent, non teneri ad id implendum in tali casu particulari ex lege naturæ; nam est quidem de jure naturæ, ut qui vovit, remanentibus omnino iisdem circumstantiis reddat Domino quod vovit; non est autem de jure naturæ ut votum persolvatur in aliquibus circumstantiis, & casibus concurrentibus, nempe si materia voti reddatur moraliter impossibilis: v.g. si quis vovisset dare centum aureos Ecclesiæ infra annum, post mensem autem omnibus bonis spoliaretur, & in extremam necessitatem redigeretur, tunc ad solvendum votum non teneretur lege naturæ, quia voti materia est ipsi moraliter impossibilis; vel si observatio voti minoris sit perfectionis, & meriti apud Deum: ut si v.g. quis vovisset dare Ecclesiæ cericum, haud dubiè voto satisfaceret si loco cerei daret aureum calicem, quia lex naturæ nunquam obligat necessariò ad omittendum majus bonum pro solvendo minori bono. Idem dicendum quando occurrit periculum jacturæ majoris boni, puta si quis vovit castitatem voto simplici, & postmodum gravissimis ustulatus concupiscentiæ stimulis versaretur in periculo non solum votum infringendi, sed etiam peccandi peccato fornicationis, aut adul-

adulterii, aut aliquo alio deteriori, à quo periculo liberaretur, si à voto solutus licite ducere posset uxorem: hoc inquam in casu, legitime declarat summus Pontifex ipsum non teneri lege naturæ ad permanendum in voto. Tum quia ipse vovens moraliter censendus est non habuisse voluntatem extendendi votum suum ad istum casum moraliter impossibilem: Tum quia lex naturalis non censetur obligare ad aliquid præstandum, unde tam grave damnus sequitur, quanta est incontinentiæ feditas: Tum denique quia ipsa ratio naturalis dicitur quòd quando occurrit iactura necessariò faciendâ duorum bonorum diversâ rationis, & æstimationis, potius esse faciendam iacturam minoris, quàm majoris boni: præstat enim pati abscissionem brachii, aut alterius partis corporis, quàm mortem ipsam, quia corporis integratio minus est bonum, quàm exterminatio vitæ.

Unde cum status virginalis pudicitie quantumlibet excellens, minus sit bonum, quàm status gratiæ sanctificantis, cujus iacturam facere periclitatur is, qui vovit: in eo casu declarat summus Pontifex illum à voto absolvi, subindeque summus Pontifex non dispensat, nec dispensare potest in ullo voto perfecta dispensatione, sicut dispensare potest in legibus Ecclesiasticis à se conditis pleno jure, & absque ulla causa.

*Dices:* Illa causa quam exigeret summus Pontifex ut dispensaret legitime, vel solvit obligationem juris naturalis, vel non; si non solvat: ergo censetur reverà summus Pontifex pleno jure dispensare: si solvat, ergo frustra recurritur ad summum Pontificem pro obtinenda dispensatione illius obligationis, quæ jam nulla est.

*Respondeo,* equidem causam illam gravem occurrentem reverà solvere obligationem legis naturæ, nec minus propterea recurrendum esse ad summum Pontificem, non quidem ut alligationem talem solvat, sed ut solutam declaret, tanquam Ecclesiæ supremum caput. Quemadmodum enim licet aliquis reverà certus esset quòd res quam proximus detinet, ad se pertineat, non posset tamen licite aliquando ipsam sibi vindicare propria autoritate, sed ad id esset expectanda, & postulanda sententia iudicis: Ita pariter licet aliquis esset certus se habere sufficientem causam cur censetur solutus ab obligatione voti persolvendi, non tamen deberet votum infringere donec ex-

*Frasen Theol. Tom. VI.*

posita causa coram summo Pontifice, ejus declarationem haberet, qua nempe, & sibi & Ecclesiæ constaret ipsum amplius non teneri ad voti solutionem.

*Instabis:* Non solum summus Pontifex declarat nullam amplius urgere voti obligationem, sed etiam reverà veventem ab ea solvit: ergo propriè dispensat. *Pater antecedens,* quia æquè utitur verbo dispensandi dum solvit ab obligatione voti, ac quando dispensat de lege à se posita, sed dum hoc verbo utitur in solvenda lege à se posita, reverà propriè, & pleno jure dispensat; ergo pariratione dispensat dum solvit à voto.

*Nego antecedens,* Et ad ejus probationem dico, quòd etsi summus Pontifex in illis declarationibus utatur verbo dispensandi, non inde sequitur quòd reverà in illis dispenset: verbum enim *dispensò* est æquivocum, & significat aliquando quemcumque actum superioris, quo aliquid fit, aut cognoscitur esse licitum, quod aliàs illicitum esset, aut licitum esse non cognosceretur, sive interim ille actus sit propria dispensatio, sive sola declaratio. Nec refert quòd simpliciter utatur isto verbo in solvenda obligatione votorum ac in solvendis legibus à se positis: Nam diversitas significationis in eo casu non est petenda ex verbis, sed ex natura rei subjectæ. Hinc quia materia juris Pontificii subjecta est absolute summo Pontifici, ita ut absque ulla causa antecedente suam volutionem possit concedere licentiam alicui id, quod præcipitur, non exequi, idcirco dum hanc licentiam concedit, propriè censetur dispensare: quia vera materia juris naturalis absolute non subicitur ulli authoritati humanæ; ideo non potest in ea dispensare summus Pontifex pleno jure, & nisi concurrat aliqua gravis causa. Unde tunc verbum *dispensò* ab eo usurpatum, non habet veram, & propriam significationem: utitur nihilominus rectè ipso modo loquendi; tum quia perinde est quantum ad praxim & usum communem fidelium: tum quia non parum conducit ad timoræ conscientie simplicium scrupulos removendos.

*Urgebis:* Summus Pontifex facultatem habet solvendi quodcumque vinculum in terris, ut constat ex illis verbis Matth. 18. *Quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cælis;* Ergo potest quodlibet vinculum voti, juramenti, & matrimonii rati pleno jure solvere.

E

Di-

*Distinguo antecedens* : Habet hanc supremam auctoritatem respectu materiæ determinatæ, & sibi subiectæ, Concedo. Respectu cujuslibet materiæ, Nego. Aliàs enim summus Pontifex dispensare posset in obligatione veritatis dicendæ, eliciendi amoris divini, servandæ vitæ innocentis : sicque efficere ut mendacium, odium Dei, & perjurium forent licita. Unde licet summus Pontifex in Ecclesia supremam habeat potestatem, tamen non censetur posse solvere quamlibet hominis dispensationem; aliàs cum etiam Imperator habeat supremam potestatem in rebus temporalibus posset etiam solvere naturalem obligationem subditorum in promissis pactis &c. quod tamen damnatur in Clementina *pastoralis de re jud.* in fine ubi habet quòd Imperatori non liceat tollere, que juris naturalis sunt.

Quæres an lex naturalis admittere possit explicationem, & declarationem.

**A**firmo : cum enim omnia quæ sunt juris naturalis non sint æquæ nota, & ad intelligendum facilia, cumque graves aliquando occurrere possint circumstantiæ, in quibus duo pugnantia naturæ præcepta servanda concurrere videntur, necessariò opus est declaratione, & explicatione, qua constat quidnam in illis circumstantiis sit faciendum. Sic v. g. licet lex naturalis præcipiat alienum esse restituendum, cum tamen præcipiat esse servandam vitam, & famam, inde fit quòd non sit restituendus gladius furioso dum periculum adest ne vel ipsum, vel restituentem, aut alios occidat.

*Hæc tamen declaratio propriè non est dicenda Epixeia* : cum enim hæc dicatur ab Arist. 5. Ethicorum cap. 10. *Emendatio legis, ex ea parte qua deficit propter universale* : hæc cadere nequit in legem naturæ, quia hæc non prohibet, nec præcipit universaliter, & absolutè, sed tantum in iis casibus, in quibus actus præceptus est necessarius ex natura rei, & actus prohibitus est malus, & necessariò fugiendus.

## DISPUTATIO TERTIA.

### De Lege Divina.

**D**eum esse legum Conditorum, legislatorumque Principem nemo sanæ mentis negare potest; ejus enim est universam mundi machinam, & maxime homines terræ incolas, legibus instruere qui cuncta condidit, ut ad præscriptum sibi finem recto tramite collineent. Quocirca non satis ei visum fuit naturæ legem hominum cordibus inscribere, sed, inquit S. August. in Psalm. 50. *Ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est & in tabulis, quod & in cordibus non legebant : non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant : Appositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus adnota voce Dei ad interiora sua homo compulsus est.* Hanc autem divinam suam vocem, & legem promulgavit Deus, tum Judæis, tum Christianis; illam quidem per Moysen; hanc verò per Christum: illam veterem quæ pene oblivione deletam legem naturalem, in memoriam hominum, usumque revocaret; alteram verò gratiæ, quæ veterem imperfectam perficeret, & vacuam impleret. Quoniam autem hæc utraque lex ab æterno in Dei voluntate constituta simul, & sancita fuerat, ideo triplicem divinam legem solitò congruè distinguunt Theologi. Quarum primam, quæ ceterarum caput est, Æternam appellant, secundam autem Mosaycam, tertiam verò Evangelicam, de quibus erit sermo in tribus sequentibus Articulis.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### De Lege Divina Æterna.

**L**egem æternam appellat S. Aug. l. 1. de libero arbitrio cap. 5. & 6. *Summam rationem in Deo existentem, cui semper est obtemperandum, vel summam rationem qua iustum est ut omnia sint ordinatissima, vel ut inquit lib. 22. contra Faust. cap. 27. Lex æterna est ratio vel voluntas Dei ordinem naturæ servari præcipiens, & dissipari vetans.* De hac autem lege nonnulla hic sunt delibanda, sequentibus in quæstionibus. Quarum Prima aperiet, an & quid sit divina lex

æter-

æterna: *Secunda*, quotuplex & qualis. *Tertia*; quanam habeat subiecta.

### QUÆSTIO PRIM A.

*An & quid sit lex Æterna.*

**N**otandum *primò*: Rationem divinam, in qua maximè æterna lex statuitur, tribus modis posse considerari. *Primò* quidem, quatenus est cognitio omnium effectuum, tam actualium, quàm possibilium: Deus enim novit, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, inquit Apost. ad Rom. 4. *Secundò*, prout est operativa creaturarum, aperiendo scilicet divinæ voluntati, eique demonstrando creaturas possibile, quibus existentiam per divinum suum decretum concedere potest: quocirca apud Psalm. dicitur fecisse celos in intellectu. *Tertiò* denique, divina cognitio spectari potest, quatenus est directiva, & gubernativa omnium creaturarum in suos fines. In hac autem postrema divinæ cognitionis acceptione maximè videtur esse constituenda æterna Dei lex.

*Notandum secundò*: Quòd etsi divina lex æterna cum divina providentia in eo conveniat, quòd utraque videatur directio, & ordinatio rerum quarumlibet in fines sibi convenientes, tamen lex æterna à Providentia divina distinguenda videtur in multis. *Primò* quidem, in eo quòd illa contineat regulas maximè generales, quibus res creatæ suos in fines ordinantur: Unde per se primò respicit bonum Universi: Providentia autem divina complectitur solum privatas, & speciales regulas quibus unaquæque res suum in finem dirigitur, & bonum singulare cujusque rei respicit. *Secundò*, Lex æterna importat vim obligandi; Providentia verò nullam obligationem infert. *Tertiò*, Providentia comparatur ad legem æternam, ut conclusio particularis ad principium universale; sicut enim lex positiva tradit in generali regulas; v.g. Deum esse colendum, juxta quas prudentia colligit hic, & nunc esse operandum: ita lex æterna in Deo tradit regulas generales, quibus Deus intendit universum dirigi; putà lapidem moveri deorsum, ignem verò sursum: bonum esse sectandum, malum fugiendum: Providentia verò de motibus creaturarum disponit in particulari juxta speciale cujusque bonum: & ideo Provi-

dentia ad legem æternam tanquam ad principium reducitur.

*Notandum tertiò*: Legem æternam à cæteris legibus in eo distingui, quòd lex æterna non sit lex data, sed ferens, non impressa, sed exprimens: non participatio legis alicujus, sed origo, & fons omnium aliarum: ab ea namque leges omnes temporales derivantur, quæ idcirco dicuntur leges impressæ, & participatæ. Insuper lex æterna est incommutabilis: cæteræ verò leges mutabiles sunt: Unde S. August. *lib. de vera relig. c. 17.* ait: Ut ars medicinæ cum eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina Providentia (quam pro æterna lege hic usurpat) cum sit omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subvenit, & pro diversitate morborum, alia alii jubet aut vetat utilia: unde non incipit ut ab ipsa morte ad naturam suam, ea quæ deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat, & firmet. Hinc idem S. August. *lib. 1. de liber. arbit. cum interrogasset,* Cum ergo hæc sit una lex, ex qua aliæ omnes temporales ad homines regendos variantur? Non ideo ipsa variari nullo potest modo? Respondet Evodius: Intellico non posse omninò; neque enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima, & quæcumque à lege æterna promanant, quantumvis variabilia, non desinunt tamen esse ab ea tanquam invariabili. *Tertiò* denique, distinguuntur lex æterna, & temporalis, quòd huic subjiciantur homines mortales, & adhuc miseri; illi verò beatitudine donati, & Deo fruente, ut egregiè apud eundem August. *ibidem c. 15.* aperit Evodius dicens, Beatos ob amorem ipsorum æternorum sub æterna lege agere existimo; miseris verò temporalis imponitur.

His ita præmissis, duo hic breviter supersunt aperienda. *Primum*, an ista sit admitenda æterna Dei lex à cæteris legibus distincta. *Secundum*, quæ sit ejus genuina definitio.

### CONCLUSIO PRIM A.

**R**everà admitenda est æterna Dei lex quam scilicet Deus ab æterno ordinat, quæ rationali creaturæ faciendæ sint aut cavenda, quo finem sibi præscriptum assequatur.

Ita communiter Theologi cum nostro Alensi 3. part. qu. 26. memb. 1. quod utique firmatur primò authoritatibus S. August. in primo notabili laudatis.

Firmari potest etiam ipso Philosophorum sapientissimorum consensu; nam inquit Cicero libro 2. de Legibus. *Video sapientissimorum fuisse sententiam, ut legem neque hominum ingenii excogitatum, neque scitum aliquid esse populorum, sed æternum quiddam quod universum mundum regit, & imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam, & ultimam, mentem dicebant esse omnia ratione, aut cogentis, idest præcipientis, aut vetantis Dei; ex qua illa lex quam dii humano generi dederunt rectè est la: data.*

Probat conclusionem Alensis loco laudato tribus rationibus. Primò: Nullum malum debet esse impunitum; adeòque omne malum puniri debet per ordinationem alicujus legis: at omne malum non punitur per legem temporalem; nam inquit S. Augustinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. *Videtur lex ista que regendis civitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, que per divinam Providentiam vindicantur: Ergo debet admitti lex æterna, cujus illa divina Providentia est applicatio, per quam illa peccata puniantur.*

Secundò plurimè sunt leges temporales invicem contrariæ, subindeque conciliari debent in aliqua ratione justitiæ: sed ita conciliari nequeunt nisi per legem contrarium non habentem, qualis est æterna; adeòque est admittenda. Major constat ex S. August. lib. 1. de libero arb. c. 6. *Due leges ita sibi videntur contrariæ, ut una earum honorem dandi populo tribuat potestatem: alia non, ut nullo modo in una civitate possent esse simul, nunquid dicemus aliquam illarum injustam esse, & ferri minimè debuisse?*

Denique, Necessè est in Deo esse aliquam legem: sed hæc non potest esse nisi æterna: ergo necessè est aliquam esse legem æternam: Minor constat, Deus enim est immutabilis, subindeque nihil ipsi de novo potest accidere: Major similiter patet: cum enim Deus habeat Providentiam, necessariò in eo supponitur ratio quædam practica totius gubernationis Universi, juxta illud Boetii 3. de consolatione, *qui perpetua mundum ratione gubernas*, quocirca idem 1. 4. Prosa 6. ait: *Providentia est divina ratio à summo Principe constituta, qua cuncta disponit: Er-*

go illa ratio Dei æterna habet veram rationem legis; nam inquit S. Isidorus 2. Ethymologiarum, si ratione lex constat, lex erit omne quod ratione constituitur.

*Dices 1.* Lex necessariò requirit aliquem cui possit præscribi; Sed ab æterno nullus extitit cui lex præscriberetur: Ergo nulla lex æterna esse potuit. Major patet, lex enim est actus imperii; repugnat autem esse imperium, nisi existat subditus cui imperetur. Minor pariter constat, siquidem ab æterno solus Deus extitit, cui lex, & imperium præscribi non potest.

*Distinguo minorem.* Non fuit aliquis subditus ab æterno existens realiter, & de facto, cui lex præscriberetur pro ipsa æternitatis duratione implenda, Concedo: non fuit existens in idea, & decreto divino pro certa temporis differentia à quo lex illa tunc esset implenda, Nego. Similiter probationem minoris distinguo: Imperium non potest esse æternum de facto, & actu intimatum subdito, Concedo: non potest ab æterno esse conceptum in voluntate divina, cuncta ab æterno decernente quæ pro diversa temporis differentia executioni mandabuntur, Nego.

*Dices 2.* De ratione legis est quòd promulgetur; siquidem lex est ordinatio facta à superiore auctoritatem in communitatem habente, subditis intimata, & promulgata: Sed ab æterno non potuit esse ulla legis promulgatio, quippe cum nullæ ab æterno fuerint creaturæ, quibus lex promulgari posset: Ergo nec ulla lex potuit esse ab æterno.

*Respondet* Alensis quòd lex considerari potest, quatenus derivatur vel à legendo, vel à ligando. *Priori modo*, certum est ipsam esse æternam, quia in mente Dei legebatur ac manifestabatur, & quasi narrabatur, sic autem promulgatione non egebat. Secundum autem posteriorem derivationem, nempe quatenus lex ligat, potest iterum bifariam spectari, nempe activè vel passivè; scilicet vel ex parte Dei, vel ex parte creature per legem ligatæ, vel obligatæ ad aliquid faciendum, vel omittendum. *Priori modo* æterna dici potest, si non secundum actum, saltem secundum habitum; Eodem enim modo, inquit, distinguendum est de lege ligante in Deo, sicut de dominio divino; dominium autem divinum dicitur, vel secundum habitum, vel secundum actum. Sicut ergo dominium dicitur in habitu de Deo ab æterno, dominium in actu ex tempore: Ita lex, si non importet habitum ligandi, sic



ab aeterno est in dispositione ad ligandum, & hoc modo dicitur lex aeterna: sed si importet actum ligandi, non ita. Unde in summa respondet, ad rationem legis satis esse quod de se vim habeat ligandi licet nondum actu liget, quia nondum est applicata, & promulgata.

*Respondeo 2.* Promulgationem legis posse considerari, vel ex parte Legislatoris promulgantis, vel ex parte Subditi cui promulgatur. Priori modo lex prius est in legislatore promulgante quam in subdito cui promulgatur: Unde in forma respondeo distinguendo minorem: Nulla lex potuit ab aeterno promulgari, promulgatione se tenente ex parte creaturarum, Concedo: Promulgatione se tenente ex parte Dei supremi legislatoris, Nego: Quare autem haec promulgatio ex parte Dei legislatoris sufficiat, non autem ea promulgatio sufficiat ex parte hominis legislatoris, sed necessario humanae leges exigant manifestari subditis per promulgationem; ratio est aperta, quia nempe cum lex aeterna sit Dei decretum immutabile, omnino invariabilis est: Unde sine ulla sui mutatione ab aeterno lata obligabit in tempore: Decretum autem hominis mutabile est; hinc quamdiu non promulgatur per modum legis, semper se habet potius per modum propositi ferendi legem, quod potest revocari, quam per modum legis firmiter stabilitae, & latae. Unde in lege aeterna nulla alia promulgatio publica requiritur, ut actu obliget, sed solum quod veniat in notitiam subditi. Quare si per internam revelationem nobis innotesceret divinae voluntatis decretum, hoc sufficeret ad obligandum.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**T**riplicem aeternae legis definitionem profert S. August. Primam quidem lib. de libero arb. c.6. dicens, *Ut breviter legis aeternae nomen explicem: Ea est, quae iustum est, ut omnia sint ordinatissima.* Secundam vero profert lib. de vera Religione cap. 31. *Lex aeterna est incommutabilis veritas, quae est lex omnium artium, & lex omnipotentis Artificis.* Tertiam denique eodem libro, & cap. de libero arbitrio, dum dicit quod *Lex aeterna est summa ratio cui semper obtemperandum est: per quam mali miseram, boni bonam vitam mereantur: per quam illa, quae temporalis est recte fertur recteque mutatur.*

*Frasen Theol. Tom. VI.*

Hanc autem triplicem definitionem expendit Alensis *ibidem*: Lex aeterna, inquit, potest considerari secundum respectum ad bona, vel mala: vel secundum quod respicit bona tantum. Et hoc dupliciter, quia potest considerari secundum quod respicit bona generaliter, vel bona specialiter, quae sunt bona rationalis creaturae tantum. Quantum ergo ad primam rationem, convenit ei haec ratio: Lex aeterna est, quae iustum est, ut omnia sint ordinatissima: lex enim aeterna, secundum quod est jus ordinandi, respicit bona, & mala: quia Deus bona facit, & ordinat: malum autem non facit sed ordinat: Unde sicut ordinare est actus communis ipsius legis respectu bonorum, & malorum: ita est notio ipsius prout respicit bona, & mala. Secundum autem quod respicit bona generaliter, sive sint bona rationalis creaturae, sive irrationalis, convenit ei ista ratio: Lex aeterna est lex omnium artium, & lex omnipotentis Artificis. In quantum enim est ars omnipotentis Artificis, respicit causam divinam, quae est ars, & causa omnium bonorum. Secundum autem quod respicit bona rationalis creaturae tantum, convenit ei ista definitio: Lex aeterna est summa ratio cui semper obtemperandum est, &c. Rationalis enim creatura ordinanda est per leges, unde lex temporalis fertur ab homine, & super homines: & ita cum ei conveniat ferre leges temporales ut dicitur in definitione; constat quod hoc est respectu rationalis creaturae. Similiter quod dicit; Cui semper obtemperandum est, convenit ei respectu creaturae rationalis, quia solum rationali creaturae convenit ille actus qui est obtemperare.

*Advertendum est* autem trium illarum definitionum seu descriptionum postremam videri magis congruam: duae namque priores potius ad providentiam quam ad legem aeternam spectant. Tertia vero ipsam legem aeternam luculentius explicat.

Posset tamen brevius, & clarius definiri, dicendo quod *Lex aeterna est ipsa divinae sapientiae ratio, aut ipse divinae voluntatis actus, quo Deus ab aeterno decrevit creaturam rationalem teneri in tempore ad hoc, vel illud faciendum, vel cavendum.*

Dices: Legi aeternae ex S. Augustino mox laudato, semper est obtemperandum: sed divinae voluntati non est semper parendum;

dum, nam ex eodem S. Augustino in Enchiridio, potest bonus filius bona voluntate velle Patrem vivere, quem Deus vult mori: Ergo lex æterna non rectè dicitur Dei voluntas.

Respondet ad minorem Alensis loco laudato, quòd rectitudo voluntatis nostræ non semper attenditur in conformatione ejus ad divinam voluntatem respectu voliti, sed respectu volentis. Motus enim voluntatis comparatur ad volentem, & ad volitum: Conformatio ergo voluntatis mæ ad divinam semper debet esse quantum ad volentem, sed non semper ad volitum: Unde debeo me sic conformare ei, ut ego velim quod Deus vult me velle, non autem ut velim quod vult semper. Unde super illud *Rectos decet collaudatio*, dicit Glossa: *Convenit ut quodcumque vult Deus te velle, velis Intu*: Non dicit ut velis quodcumque vult Deus; & sic bonus filius volens Patrem vivere, quem Deus vult mori, conformat voluntatem suam, & obtemperat divinæ: quia ipse vult ipsum velle, scilicet Patrem vivere. *Et hoc*, dicit Augustinus, *Vult quòd ipse filius velit Patrem vivere ex naturali pietate, quem vult mori ex suo judicio*.

### QUÆSTIO SECUNDA.

*Qualis, & quotuplex sit lex æterna.*

**T**Ria maximè veniunt hac in quæstione resolvenda. *Primum*, an lex æterna sit omnino invariabilis, & immutabilis. *Secundum*, an revera sit fons, & origo omnium aliarum legum, tam naturalis quàm positivarum. *Tertium*, an unica sit vel multiplex.

*Notandum* 1. Ex nostro Alensi loco laudato memb. 2. legem æternam à nulla prorsus creatura, sed à solo Deo comprensivè cognosci posse: cum enim hæc nihil aliud sit quàm prima veritas incommutabilis seu Deus ipse; certum est quòd sicut solus Deus se ipsum comprensivè cognoscit, ita solus legem æternam comprehendere potest, & nosse infinitam illius præcellentiam omnesque ipsius dotes. Quocirca S. August. l. 3. conf. c. 3. ait, *Ignorabam, & non noveram justitiam veram interiorum ex justissima lege Dei omnipotentis, qua formarentur regionum mores: cum ipsa ubique esset*. Hinc lib. de vera re-

lig. c. 31. ait, *Est lex secundum quam Deus judicat omnia, de qua nullus judicare potest*. Nihilominus hæc æterna Dei lex cognosci potest à creaturis, non solum intuitivè à Beatis, sed etiam discursivè à Viatoribus; videlicet in effectibus, qui aliquam referunt illius similitudinem, & irradiationem seu participationem, majorem vel minorem: Tum quia omnis cognitio veritatis est quædam irradiatio legis æternæ: nulla autem est à creaturis intellectualibus, quæ veritatem non cognoscat, subindeque nulla est quæ aliquam æternæ legis notitiam non habeat: Tum quia omnes creaturæ rationales impressam habent legem naturalem, quæ nihil aliud est quàm quædam participatio, & scintilla legis æternæ: Tum denique, quia nulla est creatura rationis compos, quæ non possit ex ordinatissima hujus Universi administratione judicare res omnes ita stabiliter, & invariatiè consistere per divinam, & supremam divini Administratoris gubernationem. Hinc S. Augustinus lib. de vera relig. cap. 30. ait, *Æternæ legis notio nobis impressa est: ea enim est qua justum est ut omnia sint ordinatissima. Licet ergo æternam illam legem comprehendere non possimus, nihilominus ipsam per varios suos effectus possumus cognoscere, sicut aliquis non videns Solem in sua substantia, ipsum per irradiationem, & diffusum lumen deprehendit*.

*Notandum* 2. Duplicem legis æternæ causalitatem erga cæteras leges posse distingui: Alia enim est in genere causæ efficientis, quatenus videlicet Deus concurrendo cum intellectuali natura per rationis lumen, quod proximum censetur legis creatæ principium, & applicando intellectum Principis ad judicium præceptivum, dicitur esse causa universalis omnium legum. Cum enim in omnibus moventibus ordinatis, virtus secundi moventis derivetur à primo movente: cumque Deus sit causa universalis influens esse in omnes effectus, hinc per legem æternam, quæ est in ipso supremæ ratio gubernationis, & administrationis, censetur ad aliarum legum constitutionem concurrere: ipsa namque lex æterna est veluti causa quædam universalis vim influens in omnes leges. Altera verò causalitas pertinet ad genus causæ exemplaris, quia omnis lex creatæ eatenus censeferi potest habere vim dirigendi, & regulandi actus humanos, quatenus conformatur legi æternæ, ut supremo ac perfectissimo suo exemplari in regulando.

*Notandum 3.* In qualibet lege distingui posse triplicem statum. *Primum* quidem quem habet in interna dispositione Legislatoris, quatenus in ejus mente jam illa lex censetur esse descripta, & ejus absolute decreto ac firma voluntate stabilita. *Secundus* verò status est quem habet lex exterius constituta, & proposita subditis à quibus est implenda. *Tertium* denique respectu rerum, quæ per eam legem præcipiuntur. Priori modo spectata æterna lex est internus Dei actus, quonempe decernit ab eterno, quæ à creaturis implenda sint in tempore: Posterioribus autem modis censetur esse quid externum. Quoniam autem ex illis modis censetur invariabilis, & multiplicabilis, hic erit determinandum.

## CONCLUSIO PRIMA.

**L**ex æterna, respectivè ad Legislatorem, est immutabilis: mutabilis autem per respectum ad subjectum cui imperat, & ad materiam circa quam versatur. Hæc conclusio tres partes complectitur, quas tradit, & confirmat S. Augustinus. Primam quidem lib.3. Confessionum cap.7. ubi ait, *Ignorabam justitiam veram interiorem non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum, & dierum pro regionibus, & diebus; cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia nec alias aliter.* Quod autem est tale, inquit Alensis membro 5. est simpliciter immutabile: Ergo lex æterna est simpliciter immutabilis. Confirmat id ipsum idem S. Augustinus libro de vera religione ubi sermonem faciens de ea lege æterna; ait, *Quis dubitat istam legem intervallis locorum, & temporum, nec maiorem esse, nec minorem, cum potentia superet omnia? Hæc est lex omnium artium, cum sit omninò immutabilis.*

Tres autem Conclusionis partes simul explicat, & probat lib.1. de libero arbitrio cap. 6. ubi ait, *Lex illa, quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est: per quam mali miseram, boni bonam vitam mereantur; per quam denique illa quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, rectèque mutatur; potest ne cupiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri?* Quasi diceret: Lex æterna, quæ est summa ratio rerum agendarum à Deo, est omnino immutabilis secundum se; licet effectus ejus sint mutabiles, quia sunt temporales.

*Probatur pariter conclusio ratione Theologica.* Omnis actus internus divini intellectus, & divinæ voluntatis, est omninò invariabilis secundum se; variabilis autem penes diversa objecta intrinseca ad quæ terminatur; sed ipsa æterna Dei lex est actus, tum intellectus tum voluntatis; siquidem est summa ratio, absolutumque Dei decretum quo Deus ab æterno statuit, & ordinavit, quæ à creaturis in tempore sunt implenda &c. Major constat ex iis quæ diximus de immutabilitate divinæ voluntatis. Minor pariter patet ex supradictis.

*Dices:* Omnis lex præcipiens contraria, est mutabilis; variatur enim lex juxta mutationem præceptorum: sed lex æterna contraria præcipit, ut indicat S. Augustinus in libris confessionum dicens, *Domine si modò imperas quod aliquando vetasti, quis dubitat hoc esse faciendum?*

*Distinguit majorem Alensis:* Omnis lex præcipiens contraria secundum rationes contrarias, est mutabilis, concedit; secus, negat. Similiter distincta minore, negat consequentiam: lex enim æterna nunquam diversa præcipit, secundum rationes contrarias, sed secundum rationem unam, & immutabilem, nempe secundum id quod judicat congruere sapienti rerum ordinationi juxta temporum varietatem. Unde tota mutatio in res ipsas temporales, non autem in legem æternam, est refundenda. Sicut enim, inquit Alensis, ars medicinæ cum eadem maneat, nec ullo pacto mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina Providentia, cum sit omninò incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subvenit pro diversitate morborum; aliis alia jubet aut vetat: unde varietas est in effectu temporali.

*Dices 2.* Omnis sententia quæ fertur sub conditione, & non absolute, mutabilis est, & maximè illa quæ dependet cum hoc à libero arbitrio: sed sententia legis æternæ fertur sub conditione, & non absolute, & maximè dependet à libero arbitrio: Ergo sententia legis æternæ est mutabilis; subindeque etiam illa lex est mutabilis. Minor patet: quoniam lex æterna nusquam judicavit nec dixit absolute, iste damnabitur: sed semper sub conditione hac; si fuerit malus finaliter: similiter non dixit absolute, iste salvabitur; sed sub hac conditione, si fuerit finaliter bonus: sed hæc utraque conditio bonitatis, aut malitiæ finalis pendet à libero ar-

bitrio, subindeque sententia æternæ legis ab ea bonitate, & malitia finali pendens, est mutabilis.

*Respondeo* cum Alensi distinguendo majorem: Illa sententia mutabilis est secundum actum quo fertur, & subjectum in quod fertur, Concedo: secundum rationem ob quam fertur, Nego: Et similiter distincta minore, neganda est consequentia. Verum quidem est quod licet contingens sit hunc finaliter in malitia, vel bonitate finali permanfurum; tamen non est contingens quod si permaneat in malitia finali punietur; nec pariter contingens est quod si perseveret finaliter in bonitate, & statu gratiæ, præmiabitur. Nam, inquit Alensis, æterna Dei lex, & ratio quæ dicit quod si permaneat in malo finaliter, punietis; & si permaneat in bono finali, præmiaberis: hæc inquam ratio omnino immutabilis est, & absoluta: nec dependet ullatenus à libero arbitrio hominis in gratia vel peccato perseverantis; sicut ab alterutra perseverantia dependet pænæ irrogatio vel præmii donatio. *Aliter* hanc distinctionem explicat Alensis dicendo legem æternam esse mutabilem secundum sententiam, non autem secundum consilium, juxta illud S. Greg. *Deus non mutat consilium: sed sententiam*: Consilium autem, inquit, est ratio divina secundum quam Deus dicit, & disponit omnia: Sententia verò appellatur ipse temporalis effectus, qui sequitur ex consilio, & ordinatione Dei. Si ergo inquit, loquamur de lege secundum rationem consilii, ipsa immutabilis est; si secundum rationem sententiæ, sic est mutabilis, quia ipse temporalis effectus sequens ex ipsa mutatur quotidie; sed ipsa ratio secundum quam judicat, & disponit, & ex qua effectus derivatur, manet immutabilis. Itaque secundum primum modum lex æterna dicitur, nempe quatenus accipitur pro consilio vel ratione, sed secundum quod accipitur secundum sententiam, non dicitur æterna, sed temporalis.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**O**Mnes leges justæ, & propriè dictæ ab æterna lege derivantur.

*Probat. 1.* Ex Scriptura sacra, nam Proverb. 8. Divina sapientia testatur: *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa discernunt.* Hinc Joannis 19. Christus Pilatum

alloquens aiebat: *Non haberes potestatem ad verum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Quapropter Apostolus Rom. 13. merito affirmat quod *non est potestas nisi à Deo: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quod ad eò verum est, ut etiam ipsa Tyrannorum potestas derivetur ab ipso Deo, qui eis regnum, & principatum tribuit, propter vindicanda populi peccata: quamvis enim iniqua sint illorum judicia, justum tamen est populi peccata puniri per iniqua judicia: hæc autem ratio justæ vindictæ ab æterna lege derivatur.

Quam utique veritatem luculenter explicat S. August. 1. 1. de libero arb. c. 6. ubi scribit: *In lege temporalis nihil justum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivaverint.* Et 1. 5. de civit. Dei c. 21. *Non tribuamus, inquit, dandi regni imperique potestatem nisi Deo vero qui dat felicitatem regni celorum piis; regnum verò terrenum, & piis, & impiis, sicut ei placet cui nihil injuste placet.* Et paulò infra: *Qui dedit Mario, ipse Caio Casari: qui Augusto, ipse, & Neroni; qui Vespasiani, vel Patri, vel Filio, suavissimis Imperatoribus, ipse, & Diocletiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse, & Apostata Juliano.*

*Probat. 2.* Conclusio inductione facta per omnes leges; siquidem lex ipsa naturalis ab ipsa lege æterna derivatur: Omnis namque bonitas est universaliter à bonitate æterna; subindeque lex naturalis, quæ quod bonum est nobis instillat, est ab ipsa æterna lege, estque ejus participatio quædam mentibus nostris indita atque impressa, juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Lex divina positiva est etiam illius æternæ legis derivatio quædam, quippe cum Deus nihil homini præscribat in tempore, cujus ab æterno non habuerit in seipso rationem. Denique omnes leges humanæ, quæ vel per discursum humanum, vel ex lumine, & ratione naturali, vel ex ratione revelata colliguntur, & statuuntur, etiam ab ipsa æterna Dei lege deducuntur: cum enim lex naturalis, & divina ex quibus humanæ leges inferuntur, ab ipsa Dei æterna lege originem ducant, pari ratione ab ipsa deductæ ceteri debent omnes illæ humanæ leges. Unde S. August. 1. 1. de libero arb. c. 5. *In temporalis lege nihil est justum atque legitimum, quod non ex æterna homines sibi derivaverint.* Quod utique firmatur juxta illud Jaco-

bi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum apud quem nec est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Dices 1. Illæ leges ab æterna Dei lege non possunt derivari, quæ ipsi opponuntur, & contraria statuunt: sed humanæ leges interdum sunt huiusmodi: lex enim humana impunitum relinquit, quod justum, est puniri; nam inquit S. August. mox, laudatus lib. 1. de libero arbitr. cap. 5. ex illa quæ regendis civitatibus fertur, multa concedit, atque impunita relinquit, quæ per divinam Providentiam vindicantur: Ergo aliquæ leges humanæ æternæ Dei legi non concordant. Insuper, lex humana liberos, & exemptos à pœna judicat, quos ipsa æterna Dei lex cruciatibus addicit, ut ibidem confirmat S. August. exemplo illorum, qui occidunt ne occidantur, vel ne res temporales amittant, *Quomodo enim, inquit, apud eam, scilicet legem æternam, sunt isti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Denique lex humana concedit aliqua mala fieri, nec non affectu libidinis, & inordinatæ voluntatis, quæ utique lex æterna Dei vetat, putà hominem occidere pro facultatibus servandis: unde S. August. ibidem, *Quomodo possum arbitrari istos carere libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas possunt inviti amittere? aut si non possunt, quid opus est pro his rebus usque ad hominis necem progredi?* Cùm ergo humanæ leges plerumque æternæ Dei legi adversentur, non videntur ab ipsa derivari.

Distinguo majorem: Leges humanæ non derivantur ab æterna Dei lege, quæ ipsi contrariæ adversantur positivè, & secundum rationem injustitiæ, & perfectæ contrarietate, Concedo: quæ solum adversantur negativè, & ratione minus perfectæ conformationis, Nego: & similiter distinguenda est minor. Unde ad auctoritates S. August. dicendum est. Primò quidem, quòd lex temporalis ea solum punire debeat, quæ contrariantur suo fini, qui est conciliatio pacis inter homines: unde ipsa non assumit vindicanda mala, quæ turbant pacem hominis cum Deo; hæc enim relinquit æternæ legi Dei vindicanda, quod utique explicat idem August. ibidem dicens, *Videntur mihi legem istam, quæ populo regendo scribitur, rectè permittere, & per divinam Provi-*

*dentiam vindicari; ea enim vindicanda sibi assumit, quæ satis sint conciliandæ paci hominibus imperitis.* Similiter, licet lex temporalis eos à pœna eximat, quos æterna cruciatibus adjudicat, invicem tamen pugnare non videntur; lex enim humana eatenus punit mala quæ suo fini, nempe paci conciliandæ inter homines adversari deprehendit, lex autem æterna cùm non solum respiciat pacem conciliandam inter homines, sed etiam cum ipso Deo, inde fit quòd eos interdum reos censeat, quos humana lex absolvit: Unde ibidem S. Augustinus ait, *Laudo, & probo istam scilicet legem temporalem, quamvis inchoatam, minusque perfectam, videtur enim multa relinquare impunita, quæ tamen per divinam Providentiam vindicantur, & rectè.* Denique ad tertium reponit implet August. quòd nusquam temporalis lex jubeat aliquid fieri ex libidine, nam ex hypothesis quòd aliquis vim vi repellat, aut id justè facit, & ordinatè, puta causa civium tuendorum; sicut miles vel Judex, qui est minister legis; aut id inordinatè prestat; si primum, obtemperare debet legi sine libidine quæ id præcipit, si secundum, non id lex præcipit, sed relinquit in ejus potestate: liberum enim est ei hominem occidere pro his rebus quas invius potest amittere.

Dices 2. Si omnes leges humanæ derivarentur à lege æterna, non essent inter se contrariæ: Constat autem quòd leges humanæ etiam justæ sunt interdum etiam contrariæ: Ergo &c.

Nego sequelam; Nam idcirco contrariæ sunt, quia lex æterna talem inter eas contrarietatem postulat: cùm enim lex æterna sit ordinatissima, exigit juxta varias circumstantias quæ in subditis occurrunt, ut mutatio fiat in lege; aliàs inordinatio esset si iisdem legibus dirigerentur qui variè sunt affecti. Unde S. August. lib. de vera Religione cap. 17. *Sicut ars Medicina cùm eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina Providentia cùm sit ipsa incommutabilis mutabilitati creaturæ variè subvenit, & pro diversitate membrorum aliis alia jubet, aut vetat.*

Dices 3. Leges humanæ non derivantur ab æterna, neque tamquam conclusiones, quia non necessariò sequitur lex humana ex principiis æternæ legis; neque tamquam determinationes ejusdem legis æternæ, quia homines legum Conditores ignorant quid

fuerit ab æterno ordinatum circa leges quas statuunt: Ergo &c.

*Respondeo*, humanas leges ab æterna lege derivari mediante lege naturali, à qua procedunt, vel per modum conclusionis ex principiis, sicut v. gr. *non est occidendum*, colligitur conclusio ex eo præcepto naturali; faciendum non est malum: Aliquæ verò derivantur per modum determinationis, sicut lex naturæ v. gr. quòd qui peccat puniri debet: sed quòd puniendus sit tali vel tali pœna, hoc determinatur à lege humana. Quæ sunt primi modi, vigorem habent non solum à lege humana, sed etiam à lege naturali: quæ verò secundo modo statuuntur, ex sola lege humana vim obtinent: Unde licet qui legem condit ignoret quid fuerit ab æterno ordinatum circa legem quam statuit: tamen non ignorat legem naturalem quæ est primaria æternæ legis derivatio, & per præsentiam iudicat quid in illis circumstantiis statuendum sit conformiter ad legem naturæ.

*Dices 4.* Si leges humanæ derivarentur ab æterna, obligarent ad sui observantiam jure divino; sed falsum consequens: Ergo & antecedens.

*Nego sequelam* majoris, quia non obligant jure divino nisi ea quæ sunt à Deo tamquam à Legislatore immediatè; tales autem non sunt leges humanæ, quæ solum mediante hominum prudentia de lege naturali ab æterna lege derivantur.

*Dices 5.* Concupiscentia, quam legem carnis, seu fomitis appellat Apostolus, est vera lex; sed illa lex non derivatur à lege æterna: Ergo &c. Patet major ex illo Apostoli ad Romanos 7. *Video aliam legem in membris meis captivantem me in lege peccati*; Unde Glossa: Fomes peccati rectè dicitur lex; quia legitimè factum est, ut qui non obediit suo superiori, ei non serviat suum inferius, scilicet caro. Minor pariter est evidens, illa enim lex fomitis est mala, nam ut ait Glossa super hæc verba Pauli ad Romanos 8. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me*: duæ leges bonæ sunt; lex Spiritus quæ peccatum tollit: lex Moylis quæ peccatum ostendit: Lex peccati mala quæ reos facit, quod autem per se malum est non potest ab æterna Dei lege derivari: unde Apostolus ad Romanos 8. *Prudentia carnis legi Dei non potest esse subiecta*.

*Respondet Alensis*, num. 6. art. 2. Fomitem in nobis esse pœnam irrogatam propter pec-

catum Adæ; sed, inquit, est duplex pœna, scilicet feditatis, & passibilitatis. In quantum fomes est pœna feditatis: sic non est à Deo: quia actus suus est deformis: quia actus feditationis non potest esse à Deo, ut à principio, sed à Diabolo. Secundum verò quod ipsa est pœna passibilitatis, & afflictionis, eo scilicet, quòd affligit animam, sic ipsa est à Deo: afflictio enim ista temporalis est, & ad bonum ut homo coactus redeat, & convertatur ad Deum: Ex hoc enim, quòd anima videt se ita dejectam, & tantæ vilitati, & corruptioni subjectam: citius convertitur ad Deum. Et sic fomes in quantum est pœna passibilitatis, à Deo est; & ordinat ad Deum: est enim à divina iustitia. Lex ergo fomitis uno modo potest appellari lex passibilitatis: alio modo lex feditatis. Primo modo est ut affligens: & hoc modo appellat eam Apostolus *legem membrorum*: Hoc modo ipsa est, & derivatur ab æterna lege: Ipsa enim dicitur lex passibilitatis, id est, secundum quod homo per eam habet legem, ut affligatur ex illa, & convertatur ad Deum: Hoc enim modo respicit ordinem divinæ iustitiæ. Secundum autem quòd lex fomitis dicitur lex feditatis, sic ipsa appellatur ab Apostolo *Lex peccati*: & sic lex ista non est à lege æterna, sed à Diabolo, vel peccato, quia lex ista mala est.

### CONCLUSIO TERTIA.

**L**EX æterna secundum se spectata est unica: Secundum verò diversam connotationem ad res externas quæ ipsi subiciuntur, censeri potest multiplex. Hæc est Alensis memb. 6. ubi primam partem probat. Primò quidem auctoritate S. Augustini, dicentis lib. Conf. *Sicut ars Medicinæ una est, & tamen habet differentiam præceptorum, ita lex æterna ad leges temporales, sicut ars medicinæ ad sua præcepta*. Censet ergo S. Augustinus, quòd lex æterna secundum se spectata sit unica nec pluralitatem admittat.

*Probat secundò*, si æterna Dei lex sit censenda multiplex, maximè propter diversitatem respectuum quos dicit ad res subjectas: sed ita non est; pluralitas namque in divinis non admittitur propter diversitatem respectuum ad extra; alias cum nomen hoc Creator v. gr. plures involvat respectus ad res creatas sequeretur quòd dici possent plures Creatores, quod utique est absurdum: Ergo similiter diversitas respectuum legis

æternæ ad temporales leges, necnon ad res temporales quæ sibi subjiçuntur, non infert diversitatem in ipsa lege æterna.

*Addit* tamen Alensis, legem æternam considerari posse, vel ut est ars, & causa exemplaris legum temporalium, vel ut est ratio singulas res in ordine debito constituens, & ad finem specialem sibi congruum perducens, juxta dignitatem, & utilitatem sibi peculiarem. Unde infert quòd lex æterna spectata ut est ars æterna boni, & veri, dicitur esse unica: similiter ut est ratio ordinans res ad finem divinum, & ultimum, est pariter unica, quia nempe est una sola ratio qua Deus res cunctas à se conditas propter seipsum etiam ad sui gloriam ordinat, & disponit: ut verò res spectant fines sibi peculiare, possunt dici plures in Deo rationes particulares per respectum ad diversa connotata, quia nempe res diversimodè ordinantur invicem ratione suæ dignitatis, & utilitatis.

Quæres, *An ipsa Lex æterna divine Essentia, vel alicui Personæ approprietur.*

**R**espondet idem Alensis membr. 4. Legem æternam essentia divina immediate esse tribuendam: siquidem est absoluta Dei perfectio tribus divinis Personis communis. Ipsi tamen adorandis Personis potest appropriari diversimodè: etenim ad legem quamlibet tria concurrunt, scilicet auctoritas, veritas, & bonitas, quæ concurrunt ad hoc quòd sit lex, scilicet principium legis, forma legis, & finis: nam ratione principii ei debetur auctoritas, quia non potest esse principium legis, nisi qui auctoritatem habet: Ratione verò formæ debetur ei veritas, quia lex numquam fertur sine recta ratione: Item ratione finis debetur ei bonitas, quia lex non est nisi ad bonum: Unde dicitur lex sanctio sancta, jubens honestum prohibensque contrarium: Si ergo respiciamus in lege æterna auctoritatem, dicitur in Deo secundum rationem vel intentionem potestatis: & sic appropriatur personæ Patris. Si autem respiciamus veritatem, secundum rationem formalem, sic appropriatur Sapientia, & ita convenit personæ Filii. Respicitur autem bonitatem quæ debetur ratione finis, sic appropriatur Spiritui sancto.

*Ex his patet* qualiter legis effectus, & actus nempe imperare, vetare, consulere, & per-

mittere, punire, & premiari convenient æternæ legi; nam actus imperandi, & vetandi ipsi conveniunt ratione auctoritatis; isti autem duo actus consulendi, & permittendi, ipsi tribuuntur ratione veritatis; isti autem duo actus puniendi, & premiandi ad eam spectant ratione bonitatis. Sciendum enim est quòd in lege inveniri debet ratio potentia ut præcipiat vel prohibeat: item ratio veritatis vel sapientia, ut possit permittere vel consulere; Denique ratio bonitatis, ut puniat malefacta, & compenset benefacta, hoc enim ad bonitatem pertinet, & sic secundum diversas rationes lex comprehendit potentiam, sapientiam, & bonitatem.

*Insuper:* Prædicti actus legis distribui possunt juxta diversas animi vires, & facultates, nam consulere, & permittere respiciunt rationalem, sunt enim actus legis ratione veritatis, & sapientia, & hoc pertinet ad rationalem: imperare autem, & vetare pertinent ad irascibilem; sed punire, & præmium tribuere pertinent ad concupiscibilem, & sic apparet qualiter æterna lex secundum diversas intentiones, & diversos actus tribus adorandis Personis approprietur.

### QUÆSTIO TERTIA.

*Quenam æternæ Dei Legi subjiçiantur.*

**N**otandum 1. Præsentem quæstionem moveri maxime de triplici entium ordine; nempe divino, rationali, & irrationali. Tres enim sunt ordines seu genera actuum, de quibus dubitari potest an per æternam Dei legem mensurentur. *Primum* quidem supremum genus est aliquorum interiorum ipsiusmet Dei. *Secundum*, & infimum genus est actionum inferiorum agentium naturalium, & ratione carentium. *Tertium* denique est actuum liberorum creaturarum intellectualium. Sciendum insuper, quòd actus Dei distingui possunt triplicis generis; nam alii dicuntur *Naturales*, & necessarii: puta generatio Verbi, processio Spiritus sancti; alii *Morales* liberi, puta amor Dei quo creaturas diligit; alii denique vocari possunt *Artificiosi*, quatenus nempe sese extendunt ad creaturas producendas, & regendas. Quæritur autem an hi omnes actus divini æternæ Legi subjiçiantur.

*Notandum 2.* Certum esse, & extra controversiam, actus naturales divini intellectus, divinaque voluntatis quatenus spectan-

Etantur ad intra; ab ipsa æterna Dei lege non pendere, quia sunt omnino necessarii, nec procedunt ex directione, aut motione quæ procedat per dictamen rationis; subindeque nulli legi possunt subijci; quia lex non est de rebus per se, & ab intrinseco necessariis, quæ non indigent regula: sed tantum spectat ad eos actus, qui omnino liberi sunt, & possunt dirigi ac ordinari. Hinc generatio æterna Filii Dei, & productio Spiritus sancti nullatenus cadunt sub lege, quia sunt actus omnino naturales, & necessarii. Quapropter restaret inquirendum an actus liberi qui in Deo sunt, qui prout sunt liberi, Morales appellentur: quatenus verò sunt operaturi ad extra dicuntur Artificiosi, an, inquam, illi actus æternæ Dei legi aliquatenus subijciantur, & per illam dirigantur.

*Notandum* 3. Legem æternam dupliciter cogitari posse esse mensuram, seu regulam actuum liberorum Dei: Primò quidem quatenus illi actus morales, & honesti sunt: Secundò verò prout ordinantur ad aliquid producendum, vel dirigendum. Priori modo spectati divini actus liberi, certum est quod regulantur per divinam rationem: quia Deus semper secundum rationem operatur, non quidem secundum rationem alienam; ergo secundum propriam; subindeque mensura rectitudinis liberorum actuum voluntatis divinæ est iudicium divini intellectus quod ordine operationis ipsam divinæ voluntatis operationem antecedit. Id etiam constat declaratione, & exemplo, etenim si Deus loquitur, verum dicit, quia iudicat mendacium esse malum: si promittit, implet; quia iudicat fidelitatem esse honestam, & consentaneam naturæ suæ. Posteriori modo spectati divini actus liberi cogitari possunt habere legem, quatenus Deus ut Opifex rerum sibi modum certum operandi censetur præscribere secundum quem opera sua facit, & ordinat, cum possit ea aliter facere, & ordinare. An autem alterutro an utroque modo Deus reverà sibi legem præscribat, hic est determinandum.

### CONCLUSIO PRIMA.

**D**ivina voluntas in operando liberè, & honestè Legi non subijcitur. Hæc est Alensis memb. 8. art. 5. cui subscribunt S. Thomas 1. 2. qu. 94. art. 4. ad primum, & Recentiores

cum Suare *lib. 2. cap. 2.* Probat hanc veritatem Alensis: *Primò* quidem auctoritate S. August. dicitur in libro 83. qq. *Qui querit causam voluntatis divinæ, querit majus voluntate divinæ: sed si divina voluntas alicui legi subijceretur, aliquam haberet causam sui directivam; subindeque haberet aliquid majus: Hoc autem est impossibile; adeoque etiam repugnat divinam ipsam voluntatem alicui legi subijci. Deinde, lex æterna non potest sibi subijci: sed ipsa divina voluntas est lex æterna: nam inquit S. Augustinus. *Tantum differt in ratione intelligentiæ: cum dicitur lex, & cum dicitur voluntas; quia dicitur voluntas respectu boni, in quantum acceptat quod bonum est, & eadem voluntas dicitur lex, in quantum ordinat quod bonum est.* Denique hoc ipsum confirmat S. Anselmus *lib. 1. Cur Deus homo cap. 12.* dicens: Cum Deus liber sit, nulli legi, nulliusque iudicio subiacet; ut nihil decens, nihil rectum sit, nisi quod vult, & ideo quod vult, iustum, & conveniens est, id autem quod est iniustum & indecens non cadere in ejus voluntatem: Non propter aliquam legem; sed quia non pertinet ad ejus libertatem.*

*Probatur similiter ratione, si divina voluntas alicui legi subijceretur, illa esset vel positiva, vel naturalis: sed neutrum dici potest.* Non quidem primum, quia lex positiva illa est, quæ ponitur per liberam voluntatem alicujus potentis præcipere, & suo præcepto, seu voluntate obligare eum cui lex imponitur: sed Deus non habet superiorum, neque seipsum per modum præcepti, & legis obligare potest, quia non est sibi superior: Ergo nullo modo est capax positivæ legis. Non etiam Secundum; licet enim in intellectu divino præcedant iudicia, & dictamina practica, quibus Deus iudicat quid suam bonitatem, misericordiam, justitiam, aut sapientiam deceat, putà non esse mentium, vindicanda esse peccata; promissa esse implenda, &c. Ipsa tamen non possunt habere rationem legis respectu divinæ voluntatis, tum quia non proponunt præceptum aliquod nec voluntatem alicujus intiment; sed tantum ostendunt indicando quid rei natura habeat: lex autem est præceptum, & inclinatio voluntatis alicujus superioris Legislatoris: tum quia illa Dei iudicia practica non fiunt per modum imperantis; sed solum dirigentis; adeoque non possunt habere rationem legis.

CON-



## CONCLUSIO SECUNDA.

**A**ternæ Dei legi subjiciuntur omnia entia irrationalia. Patet Conclusio, Primò quidem auctoritate Scripturæ sacræ; illis videlicet omnibus locis quibus Deus dicitur clementis cœlestibus, & aliis rebus ratione expertibus legem præscripsisse. Sic Proverb. 8. *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Quod utique luculenter Job declaravit c. 38. ubi verba Dei referens ait; *Dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & ibi confringes iumentes suctus tuos.* Sic pariter Psal. 44. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Idipsum constat Matth. 6. Luc. 12. & I. Cor. 15.

Probatur 2. auctoritate S. August. lib. de Civit. Dei cap. 11. ubi de Deo scribit, *A quo est omnis motus, omnis species, omnis ordo, à quo est mensura, numerus, pondus; à quo est quidquid naturaliter est cùjuscumque generis, & cùjuscumque estimationis est; à quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum, atque formarum:* quibus indicat omnes prorsus creaturas etiam rationis expertes, non solum à Deo tamquam à supremo omnium Opifice derivari, sed etiam ab eo dirigi, & administrari tamquam ab æterno rerum Administratore, & Moderatore. Eamdẽ veritatem explicat libro de libero arbitrio c. 5. & 6. ubi ait: *Legem æternam esse rationem in mente Dei existentem, qua res omnes per consentanea media in suos fines diriguntur:* Et lib. 83. qu. 3. circa finem ait, *Lex incommutabilis omnia mutabilia pulcherrima moderatur gubernatione.*

Probatur pariter hæc veritas ratione. Illa æternæ Dei legi subjiciuntur, à quo habent principium agendi, & regulantur ad suos fines: atqui Deus ab æterno fancivit, destinavitque singulis creaturis tale principium sibi peculiare, quo & virtutem suam possunt exercere ad hoc, ut in fines sibi congruos perveniant; Ergo &c. *Insuper*, sicut nostra voluntas membris nostri corporis imperat, & suo imperio illis imponit non solum necessitatem operandi, sed etiam illa dirigit, & ordinat ad operationes suis facultatibus convenientes: ita & divina voluntas rebus omnibus creatis imperat, & illis imponit necessitatem,

& regulam agendi; juxta divinum suum præscriptum. Quod utique Job declaravit dum scripsit creaturas Deo obedire in diem belli: *Necnon & Sapiens cap. 5. dum affirmat quòd pro Dei gloria pugnabit orbis terrarum contra insensatos.*

*Dices:* Illa divinæ legi tantum possunt subjici, quibus lex significari potest, & promulgari; sed creaturis ratione destitutis nulla lex promulgari potest, nec significari: Ergo &c.

*Distinguo minorem*, lex non potest significari nec promulgari creaturis irrationalibus, promulgatione propriè dicta, quæ scilicet Legislatoris mentem exprimat, eamque subditis notificet, quatenus superioris voluntatem intelligentes eam executioni mandent, Concedo; Promulgatione improprie dicta, videlicet per quamdam impressionem virtutis, quæ sit principium agendi juxta voluntatem rerum administratoris, Nego. Sicut enim se habet promulgatio legis quantum ad homines, quia per legis promulgationem ipsis imprimitur quoddam directivum humanorum actuum, ita impressio activi principii se habet ad res naturales quæ ratione suæ dependentiæ à Deo omnium moderatore, & opifice ad ejus nutum operantur.

*Dices 2.* Creaturæ irrationales non sunt capaces præcepti: Ergò nec legis; subindeque non possunt æternæ Dei legi subjici.

*Distinguo antecedens*, non sunt capaces præcepti moralis, quod est regula operationum moralium creaturæ rationalis, Concedo: Non sunt capaces præcepti naturalis quod fit per impressionem principii motivi in ordine ad finem obtinendum, Nego: Deus enim creaturis omnibus agendi necessitatem & regulam præscribit pro cuiusque captu, juxta illud Psal. 148. *Præceptum posuit, & non præteribit.*

*Dices 3.* Ea solum legi subjiciuntur, quæ præmii, vel penæ capacia sunt propter legis observantiam, aut transgressionem: sed creaturæ irrationales cum cognitionis, & libertatis sint expertes, nec præmii, nec penæ dignæ sunt: Ergo &c.

*Respondet* Alenfis noster membr. 8. art. 3. duplicem esse subjectionem legi æternæ: Est, inquit, subjectio legi æternæ naturalis, & sine judicio, & hoc modo irrationalia ipsi subjiciuntur prima subjectione; nam inquit S. Anselm. lib. 1. Cur Deus homo,

*Unaquæque creatura cum sibi præceptum ordinem naturaliter, aut rationaliter servat, Deo obedire dicitur, maxime rationalis, cui datum est intelligere quid debeat.*

*Dices 4. Quod lege & ratione geritur, fortuitum, & casuale esse non potest: sed inter res rationis expertes plura sunt fortuita, & à casu; Ergo nulli legi censetur subjici.*

*Distinguo minorem: Multa sunt fortuita, & à casu, si referantur ad causas particulares extra quarum ordinem fiunt, Concedo; si referantur ad divinam ordinationem, & gubernationem, Nego; Siquidem respectu Dei cuncta prospicientis, & ordinantis in pondere, numero, & mensura nihil potest esse casuale, quamvis aliqua sint à casu, quatenus accidunt præter ordinem causarum particularium.*

### CONCLUSIO TERTIA.

**T**AM *justi, quam mali, & reprobi Dei ordinationi subsunt; illi quidem perfecta subiectione: hi verò imperfecta.*

*Probatur prima pars, nempe quòd justi perfectè æternæ Dei legi subjiciantur. Ut quis perfectè legi Dei subjiciatur, debet ipsam divinam legem participare duobus modis. Primò quidem per modum cognitionis: Secundò, per interioris principii motivum; sed homo respectu bonarum actionum dirigitur, & illuminatur, non tantum per cognitionem naturalem, sed etiam per cognitionem fidei, & sapientiæ, & supra inclinationem naturalem ad bonum superadditur ipsi interiori motivum gratiæ & virtutis: Ergo perfectè legi æternæ Dei homo justus subjicitur.*

*Probatur secunda pars, nempe quòd etiam mali, & reprobi divinæ legi subjiciantur. Primò quidem auctoritate S. Augustini. lib. de catechizandis Rudibus: Novit Deus ordinare deserentes se animas, & ex earum justa miseria partes inferiores creaturæ suæ convenientissimis, & congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare: Ergo censet animas reproborum, qui Deum deserunt, divino ordini subjici: sed ille divinus ordo est ipsa Dei æterna lex, qua justum est ut omnia sint ordinatissima: Ergo &c. Hanc veritatem luculenter explicat S. Ansel. lib. 1. cur Deus homo: Sicut ea, inquit, quæ Cali ambitu continentur, non esse sub Cælo, aut elongari à Cælo nulla-*

*tenus possunt; nec fugere Cælum nisi appropinquando, ita licet nullus Angelus vel homo divinæ voluntati subjacere velit, tamen eam fugere non valet, quia si vult fugere de voluntate præcipiente, fugit sub voluntatem punientem. Idipsum eleganter explicat Boetius libro 4. de Consol. prosa 6. Ordo, inquit, cuncta complectitur, ut si quis ab assignato ordine recesserit, in alium ordinem relabatur. Ipsa enim lex æterna sicut circulus est; qui enim fugit unam partem, appropinquat alteri; & ita licet mali ab ea recesserint quantum ad præceptionem; sunt tamen sub ea tamquam ad punitionem.*

*Dices 1. Ex Apost. 1. ad Timoth. 1. Justo non est lex posita, sed injustis, & subditis: unde Glossa, posita, non imposita, ut supra illum fit, & ei dominetur, in illa enim potius est & cum ipsa, quia amicus justitiæ est.*

*Respondet Alensis art. 2. cap. 1. quòd esse sub lege accipitur duobus modis; scilicet vel necessitate coactionis, vel voluntate obediendi: aliter enim filius est sub patre, & aliter servus, quia servus est sub patre necessitate timoris coactus, filius autem voluntate obediendi: Unde distinguenda est consequentia, Justi non sunt sub lege necessitate, & subiectione coactionis, Concedo: subiectione voluntariæ obediendi, Nego: Nam inquit Glossa in Psal. 1. exponens illa verba, in lege Domini voluntas ejus, aliud est in lege esse, aliud sub lege; qui in lege est, secundum legem agit, qui sub ea est; necessatur timore coactus; Hoc autem modo justi non sunt sub lege, sed primo modo.*

*Dices 2. Ex Apost. ad Rom. 8. Sapiencia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subiecta: sed mali, & reprobi dicuntur sapiencia carnis; Ergo æternæ legi non subjiciuntur.*

*Distinguo majorem, non subjicitur legi ipsi voluntariè parendo ut per obedientiam præmia consequatur, Concedo: Non subjicitur legi necessitate vindictæ; quatenus nimirum propter suam deordinationem, & pugnam cum æterna Dei lege promeritum supplicium sibi conciliat, Nego: Nam, ut diximus, qui non subjiciuntur legi quantum ad præceptionem, ipsi subjici debent quantum ad punitionem.*

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De Lege Positiva, & Scripta, quam Veterem, & Mosaycam appellamus.*

**T**emporaneam Dei legem hominibus impositam, & præscriptam jam supra notavimus duplicem distingui: unam quidem Veterem appellatam: quæ Moyfi per Angelum à Deo tradita, & Israelitis indicta Veteri Testamento continetur, & à Moyfi tempore ad Christi passionem, & mortem apud Judæos vixit: Posteriores autem Novam dictam, quæ in novo Testamento exaratur, & à Christo Domino data, & instituta, usque ad sæculi consummationem perseverabit: Prioris mentio fit apud Joannem 7. *Nonne Moyse dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit legem?* Posterioris verò Jerem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam:* Utriusque verò Joan. 1. *Lex per Moysen data est, lex verò, & gratia per Jesum Christum facta est.*

Hæc autem Mosayca Lex jure merito *Lex Vetus* appellatur: ejus namque præcepta Decalogi hominum cordibus ab ipso mundi primordio Deus exaravit, ut luculenter demonstrat Tertullianus libro adversus Judæos cap. 2. Cur, inquit, Deus universarum Gentium fator, legem per Moysen uni populo dedisse credatur, & non omnibus Gentibus attribuisse dicitur? Nisi enim omnibus eam dedisset, nullo pacto ad eam etiam profelyto ex Gentibus accessum habere permetteret; sed ut congruit bonitati Dei, & æquitati ipsius, utpote Plasmatoris generis humani, omnibus Gentibus eam dedit legem, quam certis & statutis temporibus observari præcepit; quando voluit, & per quos voluit, & sicut voluit; Nam in principio mundi ipsi Adæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio Paradisi ederet: quòd si contra fecisset, morte moreretur, quæ lex eis sufficeret, si esset custodita; In hac enim lege data omnia præcepta recondita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen, idest, Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex tota anima tua: & diliges proximum tibi tamquam te, & non occides, & non mechaberis, non fraudaberis, falsum testimonium non di-

ces: honora patrem tuum, & matrem; alienum non concupisces. Primordialis lex data fuit Adæ, & Evæ in Paradiso quasi matrix omnium præceptorum Dei: etenim si Dominum Deum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent; si proximum diligerent, idest, semetipfos serpentis persuasioni non credidissent, atque ita in semetipfos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum; à furto quoque abstinuissent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestissent, nec falsum asseveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei quòd similes Deo essent futuri; atque ita nec Deum offendissent ut Patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat; si alienum non concupiissent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali, & primordiali Dei lege quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita fuerunt: ejusdem est enim postea docere legem, qui ante præmiserat præceptum, quoniam & ipsius est erudire postea, qui ante justos formare instituerat. Quid enim mirum si is auget disciplinam, qui instituit? si is perfecit, qui cœpit?

Denique, ante Legem Moysis scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur: Nam unde Noè justus inventus, si non illum naturalis legis justitia præcedebat? Unde Abraham amicus Dei Deputatus, si non de æquitate, & justitia legis naturalis? Unde Melchisedech Sacerdos Dei nuncupatus, si non ante Leviticæ legis Sacerdotium, Levitæ fuerunt, qui sacrificia Deo offerebant? Sic enim post supradictos Patriarchas data lex est Moyli... Unde intelligimus Dei legem etiam ante Moysen, nec in Ore tantum, & in Sina, aut in eremo, sed antiquiorem primum in Paradiso, post Patriarchis, atque ita & Judæis certis temporibus reformatam, ut non jam Moyfi legem attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequenter, quam certo tempore Deus, & Gentibus exhibuit, & re-

pro-

promissam per Prophetas in melius reformavit, & præmonuit futuram: ut sicuti certo tempore data est lex per Moysen, ita temporaliter observata, & custodita credatur: Nec adimamus hanc Dei potestatem pro temporum conditione legis præcepta reformantem in hominis salutem; Ita Tertul.

Quibus patet Legem Moysi à Deo per Angelos traditam, merito Veterem appellari; quippe cum apud homines viguerit ab ipso eorum formationis exordio; nempe per ipsam naturæ legem, cujus Mosayca, maximè quantum ad Decalogi præcepta, explicativa est.

Licet autem plura de hac lege discutienda occurrant, præcipuas tamen generales de ipsa formari solitas quæstiones hic explicandas usurpamus; inquirentes: *Primo*, quas Mosayca lex habuerit causas: *Secundo*, quæ, & qualis fuerit: *Tertio*, quot, & qualia præcepta complexa fuerit: *Quarto*, quam vim habuerit: *Quinto*, quamdiu viguerit, quove tempore vigere desierit,

#### QUÆSTIO PRIMA.

*Quasnam Vetus Lex habuerit causas.*

**P**Ræsens quæstio movetur maximè de triplici causa Legis Mosaycæ, nempe de *Efficiente, Ministeriali, & Declarativa*, seu *Promulgativa*. An videlicet vetus lex Deum habuerit institutorem, Angelos ministratores, & significatores, Moysen verò promulgatorem.

*Notandum 1.* Ante Moysi præscriptam veterem Legem, nullam aliam fuisse à Deo datam positivam legem plura præcepta continentem, per quam homines, vel aliqua hominum congregatio in peculiari statu à Deo instituta, & speciali modo ad aliquem finem ordinata fuerit. Quæ utique veritas constat, tam ex eo quòd divina lex positiva ab omnibus sanctis Patribus, & Theologis distribuitur in veterem legem, & novam; priorem in toto Veteri Testamento contentam, propter quòd Testamentum illud nomine legis designari solet; quapropter Isidorus *lib. 1. Sent. c. 28.* Legem divinam in tres partes distribuit, in *Historiam, Præcepta, & Prophetias*, quòd utique significasse videtur Christus Luca 24. dicens; *Hæc verba quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Alteram verò legem per

varios Prophetas repromissam, & in alio Testamento exaratam. Præter has autem duas leges nulla alia legitur à Deo hominibus posita, & præscripta per sensibilem intimationem ac promulgationem; Subindeque lex Mosayca merito censetur esse legum à Deo positarum prima. Quòd utique etiam ratione demonstratur: Lex enim positiva divina significat jus quoddam integrum ab ipso Deo hominibus positum, in quo homines sub peculiaribus signis, seu sacramentis in ordine ad divinum cultum in unum corpus mysticum congregantur: Hoc autem modo homines ante Moysen ita incertum non instituebantur, nec præscriptas habebant peculiare leges communes de Sacrificiis aut Sacramentis frequentandis. Idem dicendum de aliis ritibus, aut moribus instituendis; quapropter totum illud primum tempus appellatur *tempus legis naturæ*; quia toto illo tempore sola vigeat lex naturalis hominum cordibus inscripta cum adstipulante sibi divinitus gratia, & naturam ipsam ad ordinem supernaturalem promovente. Unde licet verum sit dicere cum Tertulliano supra laudato, plurima præcepta diversis hominibus à Deo ante præscriptam Moysi legem indita fuisse, eis tamen non est posita aliqua lex quæ ipsos homines ad divinum cultum, & perfectam invicem concordiam incundam adunaret.

*Notandum 2.* Ante exaratam legem Mosaycam, triplicis generis præcepta hominibus à Deo fuisse indita, quibus deviantem naturam restitueret, & reformaret, ut luculenter docet & explicat *Alensis qu. 28. memb. 1. art. 3.* dicens: Quòd triplex est inordinatio naturæ, quia est inordinatio ipsius concupiscibilis, ipsius irascibilis, ipsius rationalis; 1. enim ante diluvium viguit inordinatio concupiscibilis maximè, & ad hanc restringendam, & ordinandam fuit addita lex quædam, in qua vixit homo ante diluvium, *Gen. 3. Sub te erit appetitus tuus*, scilicet ratione: hac autem lege rupta, post diluvium fuit magna inordinatio irascibilis, scilicet quando filii Noë voluerunt ædificare turrim usque ad Cælos; propter quòd data est lex ad ordinandam irascibilem erga proximum; quæ fuit, *Carnem cum sanguine non comedetis*, & ratio fuit ad horrorem sanguinis, & detestationem homicidii, ut horreret homo fundere sanguinem humanum. Postea verò secuta est inordinatio Rationalis

tem-

tempore Abrahæ; quia omnes erant idolatrarum: Contra hanc inordinationem data fuit Abrahæ lex Circumcisionis in signum revocationis ipsius populi ad Deum adorandum, & in signum fœderis inter populum fidelem, & Deum, Genesios 17. *Ut sit signum inter me, & vos.* Prima inordinatio erat hominis ad se: Secunda hominis ad proximum: Tertia, hominis ad Deum: quia propter idola cultum dimittebant divinum; Sic ergo fuit aliqua lex addita homini ante diluvium, & post in tempore Abrahæ. Hæc Alensis, quibus nomine legis, non legem pluribus præceptis constantem intelligit, sed specialia præcepta hominibus præscripta.

*Notandum 3.* Non abs re legem positivam ad Moysis usque tempora differri debuisse, ut *ibidem* explicat Alensis; cum enim ipsa sit jus hominum viventium sub uno jure; prius necesse fuit, quod esset populus unitus, quam daretur lex, à tempore autem Circumcisionis cepit esse populi unitas, & discretio; Unde dicit Hugo, quod extunc cepit unitas populi Dei, & unitas conversationis fidelis, quæ primum figurata est per Sacramentum Circumcisionis; postea significatur per Sacramentum Baptismatis, & ideo ante non debuit dari lex; Imò lex Circumcisionis fuit signum gratiæ futuræ, & ideo debuit præcedere. Præterea prius oportuit quod esset fundamentum legis, quam daretur lex. Erant autem fundamenta ista quatuor, scilicet fides unius Dei, & fides incarnationis, probatio fidei, & fidei firmitas. Prius enim quam daretur, oportuit esse attestacionem fidei unius Dei, & hæc præcessit in signo circumcisionis, quæ posita est in signum fœderis inter Deum, & populum. Attestatio autem fidei Incarnationis facta est, quando facta est promissio Abrahæ de Christo, *In semine tuo, &c.* sed quia non sufficit testimonium in ore illius, imò in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; ideo posterius facta est ista promissio etiam Isaac, & Jacob, ut repetita cuilibet *In semine tuo, &c.* quam daretur lex. Sed nec statim debuit dari, imo prius oportuit quod esset fides probata: probata autem fuit in Ægypto per adversitates; ut scilicet nulla adversitas posset eos avertere à fide, quibus danda erat lex ducens in Deum; etiam incarnatum: Oportuit

*Frasen Theol. Tom. VI.*

etiam quod esset firmata, ne posset populus seducialiqua fallacia: Firmata autem fuit in multis signis, & mirabilibus: quæ Dominus fecit, & ostendit in exitu de Ægypto, & per desertum. His autem factis, & impletis debuit dari ipsa lex Moysi; quæ ducit in Christum: hoc autem fuit completum in quarta ætate.

Alteram hujusce dilationis causam ac procrastinationis in promulganda lege veteri ad Moysis usque tempora profert S. Thom. nempe quod illa lex duobus hominum generibus fuerit præscripta. *Primò*, duris, & superbis qui per legem compefcuntur ac refrænantur: *Secundò*, bonis qui per legem instructi adjuvantur, & diriguntur in implendis quæ intendunt: Utroqueque autem respectu convenienter data fuit vetus lex. De prioris generis hominibus constat quia de duobus homines superbiebant, scilicet de scientia, & de potentia: de scientia quidem, quasi ratio naturalis ipsis sufficiat ad salutem consequendam; quem errorem ut deponeret homo superbus, diuturno tempore permitti debuit regimini rationis absque adminiculo legis scriptæ, experturus suum defectum ex hoc, quod usque ad idololatriam, & certissima vitia prolapsus sit circa tempora Abrahæ, post quam necessum fuit dari legem in remedium humanæ ignorantie; quia nempe lex peccatum prius agnitum demonstravit. Ubi autem homo per legem convictus fuit de priori sua ignorantia, etiam de sua infirmitate convictus est, dum agnovit se non posse implere quod rectum esse noverat. Idem probatur de probis ac justis, quibus auxilium gratiæ fuit necessarium quando per exuberantiam peccatorum lex naturalis jam offuscari ac obtenebrari incipiebat: oportebat enim hujusmodi auxilium ordine quodam subministrari, ut per imperfecta ad perfectionem manuducerentur: quapropter inter legem naturæ, & legem gratiæ debuit lex vetus interponi.

His ita prælusoriè notatis, tria hic occurrunt determinanda: *Primum*, an lex vetus bona sit, & à vero Deo condita. *Secundum*, an per veros Angelos, aut per Dei Filium, qui ab Hæia *magni consilii Angelus* dicitur, fuerit intimata. *Tertium*, an Moyses illius promulgator dumtaxat fuerit, an ve aliqua ex parte eam instituerit, & compleverit.

F

CON-

## CONCLUSIO PRIMA.

**V**etus lex reverà fuit à vero Deo, & Patre Domini nostri Jesu tanquam à Legislatore condita. Hæc est de fide contra varios hereticos. Primò namque Cerdonianistæ, teste S. August. lib. de Heresibus num. 21. Putabant Deum legis ac Prophetarum, nec bonum Deum esse, nec Patrem Christi Domini, sed illum Deum quem justum appellabant. Hunc autem errorem innovaverunt ac propagaverunt Manichæi, Marcionistæ, & Valentiniani, qui vetus Testamentum spernebant, affirmantes ore sacrilego Deum qui legem per Moysen dedit, & Hebræis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Quibus erroribus faciem prætulit Simon Magus, duos esse Deos affirmans, unum bonum, alterum malum, ut refert Clemens Romanus lib. Constit. cap. 19. Contra quas pestes varii è SS. Patribus depugnarunt, maximè verò Ireneus lib. 1. cap. 10. & 27. Epiphanius Heresi 21. & 66. Tertul. lib. adversus Valentinianos, & quatuor libris contra Marcionem. Aug. in libris contra Faustum, & contra Adimantum Manicheum, & contra Adversarium legis, & Prophetarum, maximè verò in libris de Spiritu, & littera.

Probatur 1. Conclusio auctoritatibus Scripture sacræ, quibus Christus legem veterem approbat, eamque implet; etenim ipse profitetur, non veni solvere legem, sed implere; quapropter ut legis præcepta servaret, circumcisus fuit, in Templum à parentibus deportatus, & oblatum, ut faceret secundum consuetudinem legis pro eo. Similiter ad Templum diebus festis ascendebat, ut cum cæteris adoraret; Agnum Paschalem comedebat cum Discipulis, juxta legis præscripta. Insuper Matib. 15. Christus Dominus veterem legem mandatum Dei appellat, dicens Judæis, Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras: Lucæ 1. Zacharias testatur eundem esse Deum Israel qui fecit redemptionem plebis sue, ac qui locutus est per os Sanctorum qui à seculo sunt Prophetarum ejus: & ibidem beatissima Virgo testatur in Cantico suo, dicens, Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordie sue, sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, &c.

Confirmatur testimonio Apostolorum; narr. S. Petrus Act. 3. sic loquitur, Deus qui præ-

nuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum filium suum, & implevit. S. Paulus Epist. ad Rom. sic orditur, Paulus vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis de Filio suo, &c. Et Epist. ad Hebræos sic pariter incipit Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Ergo cum vetus lex Dei sit mandatum, cumque eam Christus probaverit, & impleverit, ac servandam ab aliis toties in suis concionibus, & colloquiis suaserit: Insuper, cum idem Deus qui Novum Testamentum instituit, nobisque per Filium præscripsit; etiam locutus sit per Prophetas, & Patres, legemque præscripserit; necessum est ut aut hæretici etiam novum Testamentum explodant; aut fateantur vetus Testamentum etiam à verò, & unico Deo fuisse conditum.

His adde, quòd in novo Testamento Moisaica lex probatur ac ut bona laudatur; nam S. Paulus ad Rom. 7. ait, Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum: & 1. ad Timot. 1. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: ad Galatas 3. Lex Pedagógus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur; at ubi venit fides (per Christum) jam non sumus sub Pedagogo: Cum ergo lex tanquam Pedagógus nos ad fidem Christi perduxerit, certè bona non potuit non esse; utpote ad tam perfectum scopum, & finem dirigens ac perducens.

Quapropter meritò Conc. Tolet. in confessione fidei ita decrevit: Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse prisce legis, alterum Evangeliorum, anathema sit; quod utique Decretum innovavit Conc. Trid. sess. 4. initio ubi de Canonicis Scripturis sermonem faciens statuit ac decernit: Omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... Pari pietatis affectu ac reverentia suscipit, ac veneratur sacrosancta Synodus.

Firmari potest etiam hæc nostra assertio ratione. Primò namque falsum est, & efficacissimis rationibus ac demonstrationibus explosum hæreticorum fundamentum in primo nostræ Theologiæ Tractatu, questione de unitate Dei, ubi probavimus impossibile esse quòd sint duo aut plures Dii. Deinde, etsi per impossibile plures essent; non sequeretur inde quòd lex vetus ad Deum

malum esset referenda; quia Deus iste, si quis esset, ut fingunt hæretici, foret hostis infensissimus Christi Domini, & ipsius Patris, nempe Dei boni; subindeque non esset illi malo Deo adscribenda ea lex quæ de Christo testimonium perhibet, quæque ad Christum manuducit; non enim legem sanxisset qua ipsius Regnum destrueretur penitus; siquidem contendebant Manichæi, & alii hæretici, veterem legem, & regnum Principis mundi, quem Deum justum, seu malum, appellabant, per Christum Dominum fuisse profuseversum; juxta illud ejusdem Christi Domini Oraculum; *Princeps mundi ejicietur foras*: atqui lex vetus testimonium perhibet de Christo; juxta illud Lucæ ultimo *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & in Psalmis, & in Prophetis de me*: Et Joan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*; Præmiserat autem: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Denique, Eiusdem est proponere finem, & disponere media ad consequendum: sed lex Evangelica est finis legis Mosaicæ quæ veluti Pædagogus ad Christum deduxit tamquam ad finem: juxta illud ad Rom. 10. *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti*. Ego idem Deus qui est author legis Evangelicæ, est etiam author legis Mosaicæ.

*Objicies* 1. illud Ezech. cap. 20. Deus de lege veteri sermonem faciens, *Dedi enim legem non bonam, & præcepta in quibus non vivent*: Ergo reverà lex vetus non erat bona, proindeque nec à bono Deo, nec vero qui non potest esse author alicujus mali.

*Respondeo* SS. Patres ad præfatum contextum varia reponere. *Primò* namque S. Hier. ad istum locum ait, *Sermonem hic non institui de lege veteri, sed de legibus iniquis tyrannicis, & impiis gentium quibus Judæi dispersi ac vagabundi propter suas iniquitates justo Dei judicio premebantur, & puniebantur*. Quòd utique confirmatur; nam in eodem capite Dominus prius dixerat versu 11. *Dedi eis præcepta mea, & judicia mea, ostendi eis quæ faciens homo vivet in eis*. Igitur in priori textu Deus loquitur de alio genere præceptorum quàm de divinis: Hæc autem aliud esse non possunt præter præcepta Gentium quibus Judæi gravabantur.

*Ex hypothesis* autem quòd præfatus textus

intelligendus sit de lege veteri: *Respondeo* cum S. Greg. lib. 28. *Moral. c. 27.* præcepta veteris legis dici non bona comparatè, non absolutè; quia nimirum comparata ad præcepta novæ legis, quæ meliora sunt, bonitatem eam non habent; nam bonum absolutum comparatè ac respectu melioris boni, habet rationem non boni. Dicitur verò quòd *in illis homines non vivent*; quia non sunt sufficientia ad homines dirigendos in vitam æternam, nec tribuunt animæ sanctitatem, *Hos pannos, inquit, infantie, quos inchoantibus dedit ipse per Prophetam Dominus reprehendit dicens: Ego dedi eis præcepta non bona; mala enim, quasi mala esse desinunt ratione peiorum, & bona, quasi non bona sunt comparatione meliorum; nam sicut Deus delinquenti Judææ de Sodomâ atque Samaria, ait, Justificasti forores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es: Ita melioribus novi Testamenti præceptis subsequenter, præcepta bona, quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur*.

*Respondeo* 3. Legem veterem esse non bonam *occasionaliter*; nam teste Apostolo Rom. 7. *Peccatum occasione accepta per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*: & cap. 4. *Lex iram operatur: & ubi non est lex nec prævaricatio*; Cap. 5. *Lex subintravit ut abundaret delictum*. 1. Cor. c. 15. *Virtus peccati lex*. 2. Cor. 3. *Littera occidit, & est ministratio mortis, & damnationis*. Et *concludit Scriptura omnia sub peccato*. Galat. 3. *propter transgressiones lex posita est*: sed tamen per se bona est absolutè; nam Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum justum, & bonum*. Gal. 3. *Lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur*: 1. ad Tim. 1. *Bona est lex si quis ea legitime utitur, &c.*

*Objicitur* 2. Illud Apostoli ad Hebræos 8. ubi de veteri, & novo Testamento sermonem faciens, ait, *Si illud prius culpa vacasset; non utique secundi locus inquireretur*: Sed lex quæ culpa non vacat, non est bona; bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu; proindeque censet Apostolus legem veterem non fuisse bonam.

*Respondeo* distinguendo majorem: Vetus Testamentum culpa non caruit, quasi fuerit ad culpam inductio, Nego; quia erat culpæ occasio, culpamque prius ignotam demonstrabat, Concedo. Hinc S. Thomas ad hunc locum appositè dixit quòd aliquid potest convenire legi dupliciter: *vel secundum*

dum se, & sic erat bona: *vel* ratione illorum quibus data est, & sic dicitur culpam habere propter duo. *Primò*, quia non dabat virtutem ad purganda commissa, ut indicat idem Apost. infra c. 10. *Impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Secundò*, quia non dabat gratiam ad iustitiam ad vitanda peccata, sed tantum ad ea cognoscenda; & sic erat occasio peccati, juxta illud Romanorum 7. *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret; non concupisceas;* & sic dicitur non vacasse à culpa, quia homines in ipsa culpa relinquebat.

*Instabis*: Ex Apostolo ad Rom. 7. *Lex subintravit ut abundaret delictum;* Ergo lex est revera inductiva ad peccatum. Similiter ex eodem Apostolo ad Galatas 3. *Quaecumque sunt sub operibus legis, sub maledictio sunt;* quod autem sub maledictio est, malum est: Ergo revera opera Legis veteris mala erant.

*Respondet ad primum* Alensis noster qu. 28. art. 5. quòd aliquid potest conferre ad augmentum peccati dupliciter, scilicet vel per occasionem, vel per causam: Lex autem subintravit ut abundaret delictum, non per causam, quati esset ad peccatum inductiva, sed per occasionem; nam ut ibidem ait Apostolus, *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.*

*Ad secundum* verò respondet idem ibidem quòd duplex est maledictum: aliud *pene*, aliud *culpe*: priori modo quæ erant sub lege, erant etiam sub maledictio, propter observantias gravantes; non autem erant sub maledictio *culpe*, quatenus erant sub operibus legis, prout erant opera legis; sed tantum quatenus de illis operibus præsumebant, de se confidentes.

*Objicies* 3. In Lege veteri, ut constat ex cap. 21. *Exodi*, inter præcepta judicialia poena Talionis locum habet, *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente*: Sed hoc legis præceptum improbatum est à Christo Domino *Matthæi* 15. his verbis, *Audistis quia dictum est Antiquis: Oculum pro oculo, &c. Ego autem dico vobis non resistere malo.* Ergo lex vetus aliquid improbandum præcipiebat; adeoque nec erat bona, nec à bono, & vero Deo condita.

*Respondet*, Legem hanc Talionis non reprobari à Christo Domino tamquam malam: erat enim optima pro eo tempore, pro quo lata fuit: sed his verbis; *Ego autem dico*

*vobis, &c.* meliorem, & perfectiorem instituit Christus, ut disertè explicat S. Augustinus libro de Sermone Domini in monte; *Phariseorum*, inquit, *justitia minor est, non excedere vindictæ modum, ne plus rependas quisque quàm accepit, & magnus hic gradus est: Nemo enim facile invenitur qui pugno accepto pugnum reddere velit, & uno convitiantem verbo audito, unum, & quod tantumdem valeat referre contentus sit: sed sine ira perturbatus immoderatiùs vindicat: sine quia justum putat eum qui læserit prior, gravius lædiùs quàm læsus est qui non læserat. Talem animum magna ex parte refrenavit lex in qua scriptum est; Oculum pro oculo, dentem pro dente; quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta non transeat, & hæc est pacis inchoatio. Perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam; Qui ergo tantum reddit quantum accepit, jam donat aliquid: non tantam enim penam meretur necens, quantum ille qui ab eo læsus innocens passus est. Et lib. 19. contra Faustum cap. 25. *Non fomes, sed limes furoris est; non ut id quod sopitum erat, hinc accenderetur: sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur.**

*Dices* 4. Sacrificia veteris Legis erant Deo ingrata, & invisa: Ergo lex quæ talia sacrificia instituebat, bona non erat. Probatum antecedens ex Psalm. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* *Isaïæ* 1. *Quòd mihi multitudo victimarum vestrarum? plenus sum: incensum abominatio est mihi. Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea, laboravi sustinens. Sed Apostolus Hebræorum 7. explicans illud Psalmi 29 *Sacrificium, & oblationem noluit, ait, Oblationes, & sacrificia, & holocaustomata pro peccato noluit, nec tibi complacita sunt, quæ secundum legem offerebantur:* Ergo lex ea sacrificia imperans, non erat Deo accepta, nec proinde ab ipso instituta; liquidem nihil odivit eorum quæ fecit.*

*Respondet* 1. Quòd in verbis citatis Prophetarum prædicatur sacrificia illa cessatura tempore legis Evangelicæ: Ex hoc verò consequens non est quòd mala fuerint, lege Mosaica vigente. *Secundò*, Prophetæ non improbant in illis verbis sacrificia ipsa, sed perversam mentem offerentium, qui cum in gravissimis peccatis essent, putabant tamen per sacrificia in voluntate peccati mortalis oblata Deum placare: Unde *Isaias* 1. *Cum multiplicaveritis orationes vestras non*



*audiam eas, manus enim vestre sanguine plene sunt. Tertio, Prophetæ significant hac loquendi ratione, sacrificia hæc esse imperfecta, quod ultrò fatemur: sicut dicemus infra, legem veterem quoque licet bonam, tamen imperfectam.*

*Objicies 5. Veri Dei opera sunt perfecta, ut dicitur Deuteronomii 32. at Mosai- ca lex non erat perfecta: quocirca inquit Apostolus Hebræorum 7. Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem: Ergo Deus non est author illius. Insuper Ecclesiastici cap. 3. Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus perseverent in æternum; Sed Mosai- ca lex in æternum permanere non debuit; siquidem adveniente nova lege, reprobanda erat: Denique, quæ sunt à Deo bona, sufficiunt ad salutem; sed lex vetus ad salutem erat insufficientis: Ergo non est censenda fuisse à vero Deo condita.*

*Respondeo ad primum; Aliquid posse dici perfectum, vel simpliciter, & absolute. vel secundum quid, & comparative ad eos quibus convenit. Fateor autem veterem legem non fuisse perfectam simpliciter, & absolute: sed tantum respectivè, & comparative ad eos quibus erat danda, & ad tempus quo danda erat: Judæi namque adhuc rudes & velut pueri erant, quibus necessarius erat Pædagogus, quo metu pœnarum erudirentur: Tempus verò non advenit in quo daretur Lex gratiæ, quæ absolute, & simpliciter perfecta est: nam nonnisi in plenitudine temporis dari debebat. Et quemadmodum præcepta quæ dantur pueris, sunt perfecta, habita ratione illorum; licet non sint absolute, & simpliciter perfecta: sic & lex vetus perfecta fuit habita ratione Judæorum qui erudiendi erant: etiam perfecta fuit ratione temporis, neque enim perfectiorem postulabat tempus, quod prævium esse debebat ad legem perfectam simpliciter.*

*Ad secundum: Dico ea opera Dei esse æterna, quæ Deus fecit perfecta simpliciter, & absolute, Concedo: quæ fecit perfecta tantum comparatè, & pro aliquo tempore, Nego: nam cum illa ad aliud referantur, & sint à Deo facta in ordine ad aliud, adveniente eo ad quod referuntur, cessare debent. Unde Apostolus Galat. 3. Ubi venit fides, iam non sumus sub Pædago.*

*Ad tertium: Dico quòd quæ sunt à Deo bono una cum auxilio gratiæ, reverà suf-*

*ficiunt ad salutem, Concedo: nisi gratiæ auxilium annexum habeant, Nego. Hoc autem auxilium Deus etiam Judæis subministravit, sicut & cunctis gentibus subministrat sufficiens ad salutem; licet abundantiori scenore uberiorique misericordia in Christi fideles sub Evangelica lege de- gentes largitus fuerit.*

*Objicies sextò: Lex ea non est à Deo, quæ æternæ Dei legi non concordat; sed lex vetus æternæ Dei legi non concordat; Lex enim æterna, inquit S. August. in libris de libero arbitrio, jubet amorem avertere à temporalibus, & emundatum ad æterna convertere; Lex autem vetus convertit animam ad temporalia; siquidem bona temporalia ejus observatoribus tantum promittit in mercedem, ut constat ex pluribus textibus Exodi, necnon & Deuteronomii, maxime verò cap. 28. ubi Moyses populum Israeliticum alloquens, ait, Si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis ejus... abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, & fructu jumentorum tuorum, fructu terre tue, quam juravit Dominus Patribus tuis ut daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum.*

*Respondet Alenfis, quòd duplex est conversio ad temporalia, una quidem propter sola temporalia, ut ibi fiat status, qualiter Mosai- ca lex ad temporalia non convertēbat; altera conversio fit ad temporalia, non propter ipsa, sed propter æterna bona, & hoc modo lex Moysis convertit ad temporalia bona, ut per hæc alliciatur homo ad æterna, scilicet ut ex dono moveat hominem ad amorem ipsius donantis, nempe Dei. Unde Deuteronomii 11. Moyses vice Dei Israelitas alloquens ait, Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & serviatu ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra; dabit pluviam terræ vestræ temporaneam, & serotinam, ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fenumque ex agris ad pascenda jumenta, & ut ipsi comedatis ac saturemini.*

## CONCLUSIO SECUNDA.

**L**ex vetus Moysi à Deo tradita est ministerio Angelorum.

Probatur 1. ex Scriptura Act. 7. ubi de Moyse sic ait: *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Et ad Galat. 3. Apostolus dicit: *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, & ordinata per Angelos in manu mediatoris; Moyfis scilicet, qui de seipso ait Deuter. 5. Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Et ad Heb. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo &c.* ubi per sermonem illum, legem Mosaicam intelligit, ut ex verbis sequentibus constat: comparat enim illam cum lege Evangelica, & significat hanc esse differentiam inter veterem legem, & novam, quod lex vetus tamquam lex servitutis tradita fuerit Judæis per Angelos; lex autem nova, quia est lex gratiæ, nobis præscripta sit per Dei filium.

Hoc ipsum docent communiter sancti Patres; imprimis verò S. Dionysius lib. de Cœlesti Hierarchia cap. 4. ubi cum dixisset Cœlestes intelligentias Angelorum præcipuè nomine appellari, Propterea quod primum in eis insit divina illustratio, ac per eas ad nos illæ transportentur quæ naturam nostram superant, patefactiones, subdit, *sic enim lex, ut divina scriptura testatur, per Angelos nobis data est.* Deinde aperiens qualiter Angeli omnes Patriarchas, & Prophetas ad divinitatis noticiam perduxerint, concludit, *An non etiam sacram illam legislationem ab ipso quidem Deo Moyse datam esse divina scripta tradiderunt; ut nos verè eam divine, ac sacræ simulacrum esse doceant? Sed hoc etiam eadem Theologia nos docet, eam Angelorum ad nos opere pervenisse, quasi ille ordo divine legis sanciat ea, quæ secundum locum obtinent, ab eis, quæ primum, ad Divinitatem excitari.*

Suadet hoc ipsum ratio. Congruentissimum enim fuit, ut cum lex perfecta dari debuerit, per ipsum Deum incarnatum, imperfecta lex quæ ad perfectam disponebat, non per ipsum Deum; sed Angelorum ministerio hominibus traderetur.

Dices: Ille qui loquebatur Moyse veterem legem ipsi præscribendo, se Deum & Dominum appellavit. Exodi 20. dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Ergo non erat Angelus, sed Verbum divinum; quod cum Deus sit, magni consilii Angelus appellatur ab Isaia.

Respondeo tale nomen sibi vindicasse: Angelum legislatorem, non quod Deus videri vellet; sed quia nomine Dei loquebatur, eumque referebat, ac representabat: unde S. Gregorius Magnus, in præfatione libri Job cap. 2. *Angelus, inquit, qui Moyse apparuisse scribitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur; Angelus propter hoc, quod exterius loquendo serviebat; Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus appellatur.*

### CONCLUSIO TERTIA.

**M**oyse veteris legis dumtaxat promulgator fuit: nullatenus autem institutor.

Probatur: Primò quidem ex cap. 20: Exodi ubi Deus solus asserit omnia legis veteris præcepta, quæ postmodum sequuntur, condidisse, & ordinasse his verbis, *Locutusque est Dominus sermones hos; Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi de terra Ægypti, de domo servitutis, non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculpitile &c.* Postmodum verò traduntur sub eodem tenore verborum omnia legis illius præcepta, sive moralia, & ad Decalogum pertinentia, sive cæremonialia, sive judicialia; subindeque consequens est omnia istius legis præcepta à Deo mandante, & ordinante esse condita, & per Moysem promulgata.

Probatur 2. Si quæ præcepta legis veteris à Moyse fuissent condita, maximè vel cæremonialia vel judicialia, ut voluit aliqui; sed hæc etiam Deum ipsum habent authorem, ut constat ex Scriptura sacra, quæ quoties de talibus præceptis sermonem instituit, sæpius repetit, & inculcat hæc verba, *Locutus est Dominus ad Moysem. Hæc dices filiis Israel: vel ista apponit, Locutus est Moyse ad filios Israel, omnia quæ præceperat Dominus.* De judicialibus autem Exodi 21. ubi hæc tradi incipiunt, *Deus Moysem sic alloquitur. Hæc sunt judicia quæ propones eis: si emeris servum Hebræum sex annis serviet tibi &c.* Pariter capite 25. in quo de præceptis cæremonialibus agitur, legitur: *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Loquere filiis Israel, ut tollant tibi primitias &c.* Quibus loquendi modis inde stat, nihil penitus à Moyse, nisi nomine Dei legislatoris fuisse derivatum, & pro-

promulgatum. Denique, lex vetus simpliciter dicitur *lex Domini*; quod indicium est eam à Domino fuisse conditam. Unde consultò Joan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Nam ut observat Clemens Alexand. libro 1. Pædagogi cap. 7. *Lex per Moysen, fem data est, Non à Moysse, sed à Verbo, & de lege quidem, data est tantum, inquit, Scriptura à Moysse; veritas autem, & gratia non dicitur tantum dari per Christum, sed, quod amplius est, fieri.*

*Dices 1.* Lex vetus plerumque vocatur, *lex Moysi*; maximè Malachiz 4. & Lucæ 2. Unde à Clemente Romano Pontifice, & nonnullis aliis Moyses illis legis non solum promulgator, sed etiam legislator appellatur; Ergo aliqua illius præcepta à Moysse propria auctoritate instituta fuere.

*Nego consequentiam*: Nam iisdem locis quibus lex vetus, Moyses lex appellatur; etiam vocatur *lex Domini*, ut significetur à Domino fuisse tradita; nam eodem capite 4. *Malachiz 4.* Deus sic loquitur: *Memento legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb, ad omnem Israel præcepta, & iudicia*: Lucæ autem 2. sic dicitur, *Postquam impleti sunt dies purgationis illius, Mariæ, secundum legem Moysi; tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quibus significatur eandem legem & Domini, & Moysi appellatam; Domini autem ut auctoris, Moysi ut promulgatoris.*

*Dices 2.* Præceptum de libello repudii non à Deo, sed à Moysse datum est, juxta illud Christi Domini. *Matth. 19.* ubi cum dixisset, *Non licere homini dimittere uxorem, quia quod Deus conjunxit, homo non separet*, inquirentibus Discipulis; *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* ait illis: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic*: Ergo aliqua præcepta legis veteris Moyses instituit.

*Nego antecedens*: Si enim Moyses ipse libellum repudii instituisset, consequens esset quòd ipse propria auctoritate facultatem dedisset dissolvendi legitimum matrimonium: at nullus hominum propria auctoritate potest dare talem facultatem, *Quod enim Deus conjunxit homo non separet*, ait Christus; subindeque præceptum de li-

bello repudii non à Moysse, sed à Deo concessum est. Nec vis ulla facienda est in illis verbis: *Moyses mandavit, & permisit*; nam si inde inferre liceret Moyssem hujus mandati esse authorem, etiam liceret inferre esse authorem Decalogi; nam Marci 11. Christus Judæos arguens, quòd propter suas traditiones servandas irritum facerent Dei præceptum, ait, *Moyses enim dixit: Honora Patrem, & Matrem tuam*. Nec pariter ulla vis est facienda in his verbis, *ab initio autem non fuit sic*; nam licet ab initio Deus hanc facultatem non fecerit hominibus, ut cum vellent impunè dimittere uxores suas, libellum darent eis quas dimitterent; tamen ex eo non est consequens quòd non potuerit Deus postmodum hanc facultatem concedere ad duritiam cordis; Nam, inquit Aletius *membr. 1. art. 2. ad quinimum*, *Data est lex duris in flagellum; ut eos puniret infligendo pœnas, & subtrahendo delectabilia, & quantum ad hoc dedit lex libellum repudii, quod est in lege per permissionem, ut ipsos duos scilicet & perverfos à malo subtraheret, quia proni erant ad interficiendum uxores suas; idcirco ut flagellaret eos in hoc, ordinavit quòd non liceret eis iterum assumere uxores postquam libellum repudii eis dedissent.*

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Qualis & quem ob finem lex Moysi lata fuerit.*

**N**otandum 1. Varios fuisse hæreticos, qui veterem legem saluti adversantem, utpotè malam, & à perverso principio institutam assererent, quod maximè de Cajanis, Marcionitis, & Manichæis affirmant SS. Epiphanius & August. lib. de Hæresibus; idque suadere nitentur ex eo quòd vetus lex plerumque in Novo Testamento dicatur imperfecta, & infirma. Verum sciendum est quòd aliquid perfectum dici potest duobus modis, nempe vel absolute, & positive: vel negative, & comparative. Priori modo illud perfectum dicitur, quod ex se non ordinatur ad aliud tamquam sui complementum, sed suis omnibus præcellentis constat, & perfectionibus integratur. Posteriori verò modo dicitur aliquid perfectum,

cum scilicet ex se habens omnia, quæ pro statu suo sibi conveniunt, nihilominus dum comparatur cum altero, dicitur imperfectum seu minus perfectum: Quocirca ad illud ordinatur tamquam ad id quod præstantius est, & quo præstantiori adveniente, & radiante perfectum esse definit; sic Aurora lux licet in se perfecta, tamen comparativè ad solem dici potest negativè perfecta, quia lumine solis minor est, & ea irradiante definit.

*Notandum 2.* Legem Moysis considerari posse per respectum ad tres leges, quas distinguit Apostolus; nempe legem naturæ, legem concupiscentiæ seu fomitis: & legem Evangelii, seu gratiæ; juxta quos respectus Mosaica lex considerari potest involvere triplicem necessitatem, & dispensationem: siquidem data videtur in adjutorium legis naturæ ex Dei misericordia, in correctionem, & emendationem legis peccati, vel fomitis ex ordinatione divinæ justitiæ; in designationem legis gratiæ, & præparationem, & manducationem ad ipsam ex præscripto & consilio divinæ sapientiæ.

*Notandum 3.* Aliquid dici conducere ad salutem duobus modis: nempe quatenus est inductivum ad bonum, & revocativum à malo, quod vel per sevel occasionaliter hominem removeret ab eis præstandis, quæ necessaria forent ad salutem consequendam. Hoc autem utroque modo certum est veterem legem ad salutem hominum fuisse ordinatam; siquidem inductiva erat ad bonum quod præcipit, & revocativa à malo quod prohibet; quapropter Apostolus ad Rom. ait, *Lex sancta & bona, & mandatum sanctum, & justum & bonum.* Quæ verba glossa sic expendit: *Lex est ad vitam, & jubet bona, & mala prohibet, & facit peccatum cognoscere, unde dicitur Sancta, id est, sanè docens: Mandatum justum, id est, justificans peccatorem: & bonum, id est, utilem vitam acquirens.*

Restat ergo tantum hic determinandum: *Primò*, an revera lex vetus positivè, & absolutè: vel negativè, & respectivè dicenda sit imperfecta: *Secundò*, quos ob fines fuerit instituta.

### CONCLUSIO PRIMA.

**L**ex Vetus imperfecta erat, non absolutè, sed respectivè.

Hæc Conclusio duas partes complectitur,

quarum *prima* sufficienter probata fuit in priori conclusione præcedentis quæstionis. *Probat*ur autem posterior, nempe quòd lex Mosaica imperfecta fuerit, non positivè, sed comparativè ad legem Evangelicam. *Probat*ur, inquam. Illa lex dicenda est imperfecta comparativè, quæ gratiam justificantem, in qua perfectio, & efficacia ad æternam salutem consequendam consistit, non conferebat: sed talis erat lex vetus, subindeque erat negativè, & comparativè imperfecta: Major constat.

Minor verò *probat*ur. *Primò* ex Scriptura sacra, nam Joan. dicitur, *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Jesum facta est.* Unde Apostolus ad Rom. 8. ait, *Quòd impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleteretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Quapropter ad Hebræos 7. affirmat, *Quòd reprobatio sit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & utilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Hinc sapius ait justitiam non esse ex lege, sed per Christum, sic ad Galatas 2. *Si ex lege justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

*Probat*ur 2. Hæc eadem minor ex sanctis Patribus: *Primò* quidem ex S. Augustino lib. 4. ad Bonifacium qui sic de Christo loquitur: *Scriptum est, Proverbiorum 3. juxta septuaginta Interpretes: Legem & misericordiam in lingua portat: Legem qua terreat, misericordiam qua subveniat: Legem per servum, misericordiam per seipsum: Legem tamquam in baculo, quem misit Eliseus ad filium viduæ suscitandum, & non resurrexit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia: Misericordiam verò tamquam in ipso Eliseo, qui figuram Christi gerens mortuo vivificando, magni Sacramenti, velut Novi Testamenti significatione conjunctus est. Similia habet Sermone II. de verbis Apostoli cap. 8. & 9. necnon & pluribus aliis in locis.*

Ipsi subscribunt S. Fulgentius lib. II. de veritate prædestinationis c. 19. *Lex sine gratia ostendere potest ægritudinem, non sanare: vulnera monstrat, medicamina non ministrat, ut autem legis impleatur præceptum, gratia ministrat auxilium, ac sic lex revelat culpam, gratia confert indulgentiam. Legis est igitur, quòd peccata cognoscimus: gratiæ, quòd vitam.*

mus. Addit lib. I. cap. 7. *Hæc igitur inter litteram iubentem, & spiritum vivificantem, idest, inter legem, gratiamque distantia est, quia lex convenit, gratia convertit hominis voluntatem. Ut bonum velimus, illa clamat, hæc donat: illic voluptati hominis incutit justitia divina terrorem: hic infundit misericordia charitatem; Per illam accepit voluntas spiritum servitutis in timore; per istam accepit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.*

Adstipulatur S. Prosper sententia 32. dicens, *Qui dedit legem, ipse dedit & gratiam: sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit: ut quia lex ostendit peccata, non tollit, volentes legem suis viribus exequi, nec valentes, coguntur ad gratiam, que impossibilitatis morbum, & inobedientie auferre reatum.*

Dices: Patriarchæ, & Prophætæ, alique quam plurimi in statu veteris legis fuerunt justi, & perfectissimi: Ergo in lege veteri erat perfecta justitia. Subindeque hac ratione lex vetus non est dicenda imperfecta.

Respondeo: Primò quidem, paucos admodum in veteri lege justos fuisse, ac perfectissimos, ut docet S. Augustinus lib. de catechizandis Rudibus c. 22. & lib. contra Adimantum cap. 17.

Dico secundò. Quòd si homines aliqui justi fuerunt in Veteri Testamento, non ad illud vetus Testamentum, sed ad legem Gratiæ, & Evangelii pertinuerunt, ut docet S. Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 25. & 26. & lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. dicens, *Tunc homines Dei secundum distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispensatores, & gestatores, sed novi demonstrantur hæc, & redes. An verò illum ad Testamentum novum negabimus pertinere, qui dicit, Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis? aut illum qui dicit, Posuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum Canticum novum Hymnum Deo nostro? Vel illum ante Testamentum vetus, quod est à monte Sina, Patrem fidelium de quo dicit Apostolus: Fratres secundum hominem dico, tamen hominis Testamentum nemo irritum facit, &c. Satis ostendit ad fidem nostram pertinere, quæ novi utique est Testamenti, quod per promissionem donavit Deus Abraham. Hinc concludit S. Augustinus. Sive igitur Abraham, sive ante illum justus, sive post eum*

usque ad ipsum Moysen, per quem datum est Testamentum, à monte Sina in servitutem generans, sive cæteri Prophætæ post eum & sancti homines Dei usque ad Joannem Baptistam, filii sunt promissionis, & gratiæ; secundum Isaac filium liberæ, non ex lege, sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim ut Noe justus, & prioris temporis justos, & quicumque ab illo usque ad Abraham justus esse potuerunt vel conspicui, vel occulti, negemus ad supernam Jerusalem, quæ Mater nostra est, pertinere. Quamvis anteriore tempore inveniantur esse, quam Sara, quæ ipsius liberæ matris prophetiam, figuramque gestabat. Quantò evidentius ergo post Abraham? nam cui sic declarata est ipsa promissio, ut pater multarum gentium diceretur, quicumque Deo placuerunt, hi filii promissionis habendi sunt; Non enim est Abraham, & deinceps justorum generatio verior, sed prophetia manifestior reperitur. Ad testamentum autem vetus quod est à monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cum acceperint legem justam, sanctam, & bonam; putant sibi ad vitam litteram posse sufficere. Et ideo quo fiant factores legis, divinam misericordiam non quærunt, sed ignorantes Dei justitiam, & suam justitiam volentes constituere, Justitiæ Dei non sunt subjecti. Et postea; Hac planè magna distantia; quòd faciant ista sub lege positi, quòd littera occidit terrenam felicitatem, vel cupiditate adipiscendi, vel timore avertendi, & ideo non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas qua peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur. Sic ad vetus pertinet testamentum, quòd in servitutem generat; quia facit eos carnalis timor, & cupiditas servos, sed Evangelica fides, spes, & charitas liberos. Sub gratia verò positi, quos vivificat Spiritus, & fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in spe bonorum, non carnalium, sed spiritualium: non temporalium, sed æternorum; præcipuè credentes in mediatorem, per quem sibi non dubitant, & spiritum gratiæ subministrari, ut bene ista faciant ignosci posse cum peccant. Hi pertinent ad Testamentum Novum filii promissionis, & regenera-

nerationis, à Deo Patre, & libera matre, cujus generis fuerunt antiqui omnes justī, & ipse Moyſes Testamenti miniſter Veteris, hæres Novi: quia ex fide, qua nos vivimus, una, eadēque vixerunt, incarnationem, paſſionem, reſurrectionemque Chriſti credentes futuram, quam nos credimus factam &c.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**E**tiamſi imperfecta fuerit Moſaica lex, nihilominus varios ob fines ſapienter à Deo fuit ordinata, & præſcripta.

Primò quidem, ut ſuam homini notam faceret infirmitatem, quatenus ea cognita quæreretur Salvatorem; nam inquit Apoſtolus Rom. 7. *Peccatum non cognovi niſi per legem.* Quam utique cauſam præſcribendæ legis eleganter declarat S. Auguſt. plurib; maximè verò ſermone 13. de verbis Apoſtoli c. 2. *Data eſt lex, inquit, non ut morbus ſanaretur, ſed ut prævaricationis morbo creſcente medicus quæreretur. Et quis eſt iſte medicus niſi qui dixit Matth. 9. Non eſt opus fanis medicus, ſed malè habentibus? Qui ergo non conſuetur Creatorem, negat ſuperbus egritudinem. Qui autem negat egritudinem ſuam, ſuperſuum judicat Salvatorem. Ergo & in natura noſtra Creatorem laudemus, & propter vitium, quod nobis inſiximus, Salvatorem quæramus. Et quomodo quærimus Salvatorem? Ut det legem? Parum eſt. Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, omnino eſſet ex lege juſtitia. Si ergo non eſt data lex, quæ poſſet vivificare, quare data eſt? ſequitur, & oſtendit quare ſit data; quia etiam ſic in adiutorium data eſt, ne te ſanum putares. Vel ut ait Epistoſa 44. *Lex docendo, & jubendo quod ſine gratia impleri non poteſt, homini demonſtrat ſuam infirmitatem, ut quærat demonſtrata infirmitas Salvatorem, à quo ſanata voluntas poſſit, quod infirma non poſſet: Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, & diffundit Spiritum charitatem, implet charitas legem. Ideo lex Pædagogus vocatur, ſub cujus minaciſſima ſeveritate, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?**

Licet autem homo abſque lege veteri cognoscere potuerit plura habere rationem inhoneſti, per legem nempe naturalem, & rationis dictamen, tamen per legem divinam poſitivam manifeſtatur homini, quòd quæ

ratio naturalis inhoneſta judicat, etiam peccata ſunt, & offenſa Dei, qui illa prohibet, ac ſeveriſſimè animadvertit in peccatores: *Adde quòd cum lex naturalis per originale peccatum in nobis maximè vitata fuerit, ita ut plura non videantur jam nobis habere rationem peccati, quæ tamen reverà peccata ſunt, idcirco opus fuit altera lege, quæ perſpicuè peccati fœditatem, & gravitatem explicaret.*

*Secundò, data fuit lex propter frangendam ac retundendam hominis ſuperbiam; quatenus nempe cognoceret homo ſe proſus eſſe imparē, & inſufficientem propriis viribus ad peccata declinandam. Quod utique ſic declarat S. Auguſt. Epistoſa 157. Danda itaque fuerat lex, inquit, quæ maniſteſtius ſibi ipſum oſtenderet hominem, ne ſuperbus animus humanus à ſeipſo ſe poſſe eſſe juſtū putaret, & ignorans Dei juſtitiam, ideſt, quæ homini ex Deo eſt, & ſuam volens conſtituere, ideſt, quaſi ſuis viribus pariam, juſtitie Dei ſubjectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato, cujus vox eſt, non concupiſces, ſuperbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratie medicina non ſanata per legem, ſed convicta infirmitas quæreretur. Vel ut ait ſerm. 13. de verbis Apoſtoli cap. 4. *Lex prævaricationis gratia poſita eſt, unde humiliaretur cervix multum ſibi tribuentium, voluntati ſue tantum arrogantium, ut ſibi liberum arbitrium poſſe putarent ad juſtitiam ſufficere, quæ tunc quando erat integra libertate, ideſt, in Paradifo, oſtendit vires ſuas, oſtendit quantum poſſent, ſed ad ruendum, non ad ſurgendum.**

Qualiter autem legis præſcriptio hominis ſuperbiam fregerit, docet idem S. Aug. plurib; nempe quòd lex poſita motivum fuerit, & occaſio cur concupiſcentia irritaretur magis, & adverſus ſibi repugnantem legem acrius inſurgeret; nam, inquit Apoſtolus ad Rom. 7. *Peccatum occaſione accepta per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Ubi nomine peccati concupiſcentiam intelligit, quæ idcirco peccatum appellatur, quia eſt à peccato, in peccatum inclinat, & ipſa ſit peccatum ſi ipſi conſentiat. Hinc S. Auguſt. libro tertio ad Bonifacium cap. 2. exponens hæc Apoſtoli verba ad Corint. 13. *Littera occidit; aculeus enim mortis eſt peccatum, virtus autem peccati lex,* ait, *Auguet quippe prohibendo peccati deſideria, & inde occidit, niſi ſubveniēdo vivificet*



gratia. Et libro de Spiritu, & littera cap. 4. Ubi sanctus non audiat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, echaritatem diffundens in cordibus nostris: profecto illa lex, quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset vehementior sit obice positio, cuius molem cum emisserit, majore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur. Nescio quo enim modo hoc ipsum quod concupiscitur fit jucundius, dum vetatur, juxta illud Poetæ, Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Tertio, data fuit lex vetus, ut populum Judaicum alioqui rudem, & imperfectum metu poenarum à malo deterreret: ac sic adhuc ostenderet sibi ad auxilium divinæ gratiæ confugiendum esse, ut docet Apostolus ad Galat. 3. scribens, Lex Pædagogus noster fuit in Christo: Nam Pædagogus ille est sub cuius ferula, & virgis puer datur erudiendus. Hunc locum expendens S. Thomas, ait, Per legem Judæi, tamquam imbecilles pueri, per timorem poenæ retraherentur à malo, & promovebantur amore, & promissione temporalium ad bonum. Hanc utique doctrinam hauserat à S. Augustino Epist. 144. Supracitata lex Pædagogus vocatur, sub cuius minacissima servitute, qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Lib. de natura, & gratia cap. 1. Hanc justitiam Dei non in præcepto legis, quo timor incutitur: sed in adiutorio gratiæ Christi ad quam solam utiliter legis velut Pædagogi timor ducit, constitutam esse qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus. Lib. 4. ad Bonif. c. 3. Ad quam gratiam lex de prævaricatione terrendo tamquam Pædagogus perducit, ut sic conferretur homini quod conferre ipsa non potuit. Lib. de perfectione justitiæ cap. 3. Lex ista præcepit ut cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum Pædagogi perducit officio. Et cap. 19. ait, Timore legis humilem factum tamquam Pædagogo ad fidem, gratiamque hominem perducere.

Ne verò existimet nos initium aliquod salutis naturæ tribuere, dum statuimus ad hoc Legem Veterem datam fuisse, ut ostendat homini suam infirmitatem, qua agnita quærat medicum, ut frangat superbiam; quandoquidem ejus occasione augetur concupiscentia, & numero, & gravitate: ut convincat illum de gravitate morbi, ne contemnat tamquam le-

viorem: ut denique terreat, metuque poenarum abducatur à malo, sic volumus per legem cognosci peccatum, ut sentiamus per gratiam medicum inquiri. Frangi verò per legem superbiam eatenus dicimus, quatenus peccator imparem se sentit legi quam novit sibi impostam custodiendæ, nisi juvetur per gratiam, cum tantum absit ut tollat peccatum, quin potius occasionaliter aucta concupiscentia auget illud, & numero, & gravitate: Videt ergo sibi non sufficere legem cognoscere, quia cognita lege peccatum non tollitur, non minuitur, sed augetur: sic videt se imparem legi servandæ. At vana est ad salutem ejusmodi contractio superbiæ, nisi quando per gratiam peccator coram Deo humiliatur.

Idem docet S. Hieronymus in illud ad Galatas 3. Lex Pædagogus noster fuit in Christo. Pædagogus, inquit, parvulis assignatur, ut lascivior refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera in studiis eruditur infantia, & ad majores disciplinas metu poenæ coercita præparatur. Itaque & lascivientibus lex Moysis ad instar Pædagogi severioris apposta est, ut custodiret eos, & future fidei præpararet.

Triplicem aliam legis veteris utilitatem profert Alensis mem. i. art. i. per respectum ad triplicem legem; nempe naturæ, concupiscentiæ, & Evangelii. Datur enim, inquit in adiutorium legis naturæ; & secundum hoc decurrit secundum misericordiam. Datur etiam in correctionem legis peccati vel fomitis, & secundum hoc decurrit secundum rationem justitiæ: Item datur in signum, & significationem legis gratiæ, & directionem ad ipsam, & secundum hoc decurrit secundum sapientiæ rationem. De primo habetur: Super illud: Lex subintravit, dicit glossa. Data erat lex in adiutorium humane naturæ: ut quia ipsi naturæ quodammodo incerta sunt justitiæ semina; adderetur lex, cuius auctoritate, & magisterio ingenium naturale proficeret ad fructum justitiæ faciendum: Et hæc est prima utilitas lationis legis.

Secunda autem ejus utilitas est ad correctionem legis peccati vel fomitis: Et de hac habetur: Lex propter transgressores &c. glossa Lex posita est propter transgressionem cohibendam, id est, ut saltem timore cessarent homines transgredi, ut quandoque etiam facerent voluntate. Data est ergo, ut populum Dei erudiret sub timore Dei,

Dei, ut dignus fieret accipere promissionem, quæ est Christus. *Tertia utilitas* fuit ad figurandam legem gratiæ vel Evangelii: & directionem ad ipsam: Unde Psalm. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas*. Glossa, *Convertens animas, idest, sua distinctione corrigens, & ad Christi gratiam mittens*. Et sic patet, quod est ad coercenda peccata, & ad directionem, & figurationem legis gratiæ. Secundum hoc dicitur Rom. 5. *Lex intravit &c.* Glossa. *Erant in illo populo tria genera hominum, scilicet duri, incipientes, & perfecti, iis omnibus data est lex: sed duris datur in flagellum, incipientibus in Pædagogum, data est iustis in signum, scilicet futura gratiæ per Christum*. Et ad Galat. 3. *Propter transgressores, &c.* Glossa. *Data est lex in signum futurorum, ut futura figuris attestarentur*. Et secundum hoc tria erant in lege: scilicet moralia, quæ erant ad dilucidandam legem naturæ: & quantum ad hoc erat ad instruendum incipientes: Item habuit lex judicialia ad coercendam legem concupiscentiæ vel fomitis: & quantum ad hoc erat duris in flagellum. Item habuit figuralia, seu cæremonialia, ad figurandam legem gratiæ; quia figuræ erant figuræ futurorum: & quantum ad hoc fuit iustis in signum.

### QUESTIO TERTIA.

Quot, & quæ fuerint præcepta Veteris Legis.

**N**otandum 1. Tot ac tanta fuisse legis Mosaicæ præcepta, ut non immeritò S. August. ipsam esse *sarcinam innumerabilium præceptorum* dixerit. Quocirca etiam S. Petrus vetus testamentum appellat Act. 7. *jugum insupportabile*, dicens, *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque Patres nostri portare potuimus?* Nec immeritò quidem; si enim fides detur Genebrardo sub finem Chronologiæ, & Guillelmo Parisiensi, libro de legibus cap. 1. circa medium, Præcepta cæremonialia erant ad minus sexcenta, & tredecim; ex quibus 248. erant affirmativa; tot scilicet quot sunt membra in homine, & ossa: & 365. negativa, quot in anno dies numerari solent.

Notandum 2. ex eodem Guillelmo Parisiensi *ibidem*, triplicem fuisse causam

cur tot præcepta Judæis præscriberentur. *Prima* fuit ruditas, & ineruditio ipsius populi, propter quam generalibus præceptis solum erudiri, & institui non potuit, & ideo pro partes particularium mandatorum erudiendum illum ac instituendum decrevit Deus, quasi parvulum magis fractionibus panum, atque micis quàm panibus integris nutriendum. *Secunda causa*, execrabilis idololatria multiplex, in cujus eliminationem pro parte magna intendit lex, & hoc potissimum in omnibus mandatis, quæ absurda videntur, & nullam utilitatem asserre servantibus. *Tertia causa*, quia librum legis voluit Deus esse sufficientem pro tempore illo, vel pro parte maxima puerili. Voluit ergo legem continere ea omnia, quæ dirigere, moderari, ac decorare sufficerent vitam hujus populi, dans eis in hoc multam materiam meditationis, vel exercitationis in lege illa, pro captu ruditatis eorum, & imperitiæ; ne librorum paucitas, & parvitas mandatorum simul essent eis occasio evagandi ad libros humanarum traditionum, & inde credulitates novas, & errores impietatis, legique Dei contrarias superstitiones haurirent: & hac multa vigilantia, ac distinctione observatum est apud Hebræos multis temporibus, videlicet ut sapientia legis contenti, libros aliarum gentium declinarent. Unde nec Philosophiæ operam dare illis temporibus ausi sunt, donec commixti inter gentes, videlicet Caldæos, disciplinas, & studia maximè proveherent, & adhuc ampliare, & provehere non desistant; quamque Ægyptii incæperint, & Græci sint studiosissimè atque magnificè profecuti. Hoc ipsum voluit lex Deuter. 4. ubi dicit, *Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus*. Similiter, & Isaïæ 8. *Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viris, ac mortuis, ad legem magis, & ad testimonium?* Et Psalm. 1. *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte, & multa hujusmodi*. Deinde ita arctavit eos ipsa lex ad sui jugum, meditationem, & observantiam, ut alias ei cogitare, & in aliis studere, nullo modo vacaret; sicut legitur Deuter. 6. *Meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens* etque



atque consurgens &c. Postquam autem Chaldaei sive Babylonii, & genti Arabum commixti sunt, & miscuerunt se studiis eorum, & Philosophiæ, & secuti sunt opiniones Philosophorum, nescientes legis suæ credulitates, & Abrahæ fidem, contra disputationes eorum, & rationes defendere; hinc est quòd facti sunt in lege erronei, & in fide ipsius Abrahæ hæretici; maxime postquam Regnum Saracenorum diffusum est super habitationem eorum, exinde enim æternitatem mundi, & alios Aristotelis errores secuti sunt multi eorum.

*Notandum* 3. omnem hanc ingentem præceptorum multitudinem ad tres classes posse revocari; quarum *Prima* contineat moralia; *Secunda* complectatur ceremonialia; *Tertia* includat judicialia. Ita colligitur ex Deuter. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias atque judicia.* Deuter. 6. *Hæc sunt præcepta, ceremoniæ atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos:*

Ratio etiam suffragatur, finis enim legis Mosæicæ erat dirigere populum Judaicum, & convenienter ordinare, tum in iis quæ spectant ad rectitudinem naturalem rationis humanæ; tum etiam in his quæ ad cultum divinum, & ad justam politiam pertinent. Ad primum data erant præcepta moralia; ad secundum, ceremonialia; ad tertium, judicialia. Et per hæc tria simul sumpta, homo convenienter ordinabatur, circa seipsum, circa Deum, & circa proximum; ac per ea, si bene observarentur, res publica Judæorum in sælici, & florenti statu conservanda erat, ut Deus illis promiserat Deuter. 28.

*Moralia* sunt quæ dirigunt hominem ad faciendum actiones per se bonas, & à malis per se abstinendum, quatenus est privatus homo: seu quæ dirigunt hominem ad faciendas actiones à quibus vir bonus dicitur, & ad abstinendum ab his à quibus malus denominatur. Eiusmodi extant præcepta in veteri lege patet: nam in hac habetur, *Non occides, non furum facies*: habentur & omnia legis naturæ præcepta.

*Ceremonialia* sunt, quæ præscribunt quomodo sit Deus colendus, & determinant opera quædam exteriora quibus homo proficitur servituti suam, & exhibet honorem externum soli Deo debitum. Talia dari patet exitu sacrificiorum, & aliorum. Distingui verò à moralibus patet, quia et si de lege

naturæ sit Deum colere, non est tamen de lege naturæ talibus sacrificiis, & muneribus illi cultum supremum exhibere: secundum hoc est determinatio præcepti moralis, & quemadmodum determinationes legis naturæ, quæ sunt per legem humanam, non dicuntur esse de lege naturæ, sed de jure positivo; ita determinationes præceptorum legis naturæ, quæ sunt per legem divinam, distinguuntur à præceptis moralibus legis naturæ.

*Judicialia* denique sunt ea, quibus diriguntur homines ad societatem fovendam, & justitiam inter se servandam. Eiusmodi dari patet ex Deuter. 1. Distingui verò à moralibus patet, quia sunt determinationes legis naturalis factæ per legem divinam.

### CONCLUSIO PRIMA.

**P**ræcepta moralia veteris legis aliqua in Decalogo, alia verò extra Decalogum continentur, & exprimuntur.

Decalogus autem dicitur quasi *decem verba* seu *decem mandata*, quæ Deus Angeli ministerio, buccinante tuba, & Israelitico populo circumdante montem Sinai, in ejus vertice apparens promulgavit, ut legimus Exodi 20. demum duabus tabulis lapideis descripsit, & exaravit proprio digito.

Qualiter autem ordinata fuerint illa decem præcepta, non invicem conveniunt auctores; nam, inquit S. Bonaventura, in *Centiloquio* 3. parte *Sect.* 33. Josephus l. 3. *Antiquitatum* c. 4. assignat quinque præcepta in prima tabula: & quinque in secunda. Origenes autem contendit quatuor esse præcepta primæ tabulæ, quæ ad Deum spectant. Dividit enim primum in duo; quorum alterum sit de non habendis diis alienis: alterum verò de non faciendo sculptili. In quorum primo prohibetur adoratio statuæ, nihil habentis simile in natura. In secundo verò prohibetur adoratio statuæ habentis similitudinem cum aliqua creatura. Ut verò sex tantum enumeret in secunda tabula, duo ultima præcepta non distinguit, reputans idem esse præceptum vetans concupiscentiam uxoris proximi, & honorum ipsius.

Verum S. Augustinus q. 71. in *Exodum*, hanc sententiam Origenis reprobatur, neque enim videtur confundenda utraque concupiscentia, ut unius dumtaxat præcepti locum habeat, quia concupiscentia uxoris spe-

spectat ad concupiscentiam carnis, & concupiscentia bonorum pertinet ad concupiscentiam oculorum, quæ duo distincta sunt, ut patet ex prima Epistola Joannis. Rectè verò hæc duo præcepta, *non habebis deos alienos, & non facies tibi sculptile*, in unum facile præceptum coeunt; quia non facere sculptile vel similitudinem, ea dumtaxat ratione est prohibitum, quatenus scilicet non est ullum sculptile colendum pro Deo, aliàs enim sculptilis fabrica non est verita; nam in tabernaculo Deus præcepit fieri imaginem Seraphim, iidem etiam erant in templo Salomonis.

Quapropter cum S. August. & aliis SS. Patribus, censemus tria esse tantum præcepta primæ tabulæ; quorum *Primum* est de non habendis diis alienis, nec faciendo sculptili quod adoretur; nam verba ista, *Ego sum Dominus Deus tuus &c.* habent rationem non præcepti, sed proemii, quibus dignitas, & autoritas legislatoris commendatur. *Secundum* est de non assumendo nomine Dei in vanum. *Tertium* de die Sabbati sanctificando. Sunt autem septem præcepta secundæ tabulæ, quæ respiciunt proximum; quorum *Primum* est de honorandis parentibus; *Secundum* de non occidendo; *Tertium* de non mœchando; *Quartum* de non furando; *Quintum* de non loquendo testimonium falsum contra proximum; *Sextum* de non concupiscenda uxore proximi; *Septimum* denique de non concupiscendis bonis illius.

Rationem autem hujusce legitimæ distributionis hanc profert S. Bonaventura loco *supracitato*. In prima tabula tria fuerunt præcepta ordinantia ad Deum, quorum sufficientia potest sumi penes subjectum, quod est triplex in nobis; scilicet potentia irascibilis quæ ordinatur per præceptum de protestatione veritatis: potentia concupiscibilis quæ ordinatur per præceptum de Sabbatificatione mentis: potentia rationalis quæ ordinatur per præceptum de ordinatione majestatis. Potest etiam sumi penes objectum quod est triplex in divinis, scilicet summa majestas reverenda, respectu cujus est primum; summa veritas profitenda, respectu cujus est secundum: summa bonitas diligenda, respectu cujus est tertium. Potest sumi nihilominus penes actum intermedium, qui est triplex; scilicet actus operis, qui exercetur in primo mandato per

actualem adorationem; actus oris, qui exercetur in secundo per sermocinalem prolationem; actus cordis, qui exercetur in tertio per affectualem dilectionem. Non potest bene Sabbatum, idest, quietem mentis celebrare, qui per quietem continuam non studet omne peccatum mortale declinare.

In 2. tabula septem fuerunt præcepta ad proximum ordinantia, quorum sufficientia sic accipitur ad proximum habemus dupliciter ordinari, scilicet per beneficentiam, & sic est primum, scilicet, honora Patrem, & matrem tuam: per innocentiam, & sic possumus nocere proximo tripliciter, actu operis, actu oris, & actu cordis. Actu operis, tribus modis, scilicet in propria persona, & sic dicitur: non occides. In persona conjuncta, & sic dicitur: non mœchaberis. In possessione sua, & sic dicitur: non furaberis. In actu oris possumus nocere proximo falsum testificando, & sic dicitur: non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum. In actu cordis possumus nocere ei dupliciter: scilicet affectu carnalitatis, & sic dicitur: non concupisces uxorem proximi tui: & affectu cupiditatis, & sic dicitur: non desiderabis rem ejus. Decem præcepta per ordinem his verbis continentur.

*Sperne deos, fugito perjuriam, Sabbata serva.*

*Sit tibi Patris honor, sit tibi matris amor. Non sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus.*

*Vicinique iborum, resque caveto suas.*

Paulò aliter ejusdem distributionis rationem proferunt alii authores cum S. Thoma; nempe quòd tot præcepta requirantur ut statuatur id quod necessarium est homini respectu Dei, & respectu proximi sui: siquidem Deo ut principi nostro tria debemus: nempe fidelitatem, reverentiam, & famulatum: *Fidelitas* præcipitur primo præcepto, quo cavetur, ne honorem principatus ad alium transferamus. *Reverentia* secundo injungitur, cum ne nomen ejusdem in vanum assumi posse absque peccato pronuncietur. *Famulatus* edicitur tertio cum sanctificatio Sabbati mandatur.

Respectu verò proximi, ut erga eum ratione debita se gerat homo, septem alia præcepta sanciri debent; nam bene se habere debet

bet ad proximum aliquis dupliciter: generaliter, & specialiter, *specialiter* prout est aliorum debitor, & ad hoc ordinatur per *primum* præceptum de honorandis parentibus, *generaliter* verò ut nulli inferatur nocumentum, opere, ore, & corde: opere quantum ad personam, & ad hoc ordinatur istud: *Non occides*: quantum ad personam conjunctam propter propagationem prolis: & ad hoc ordinatur istud: *Non mæchaberis*: ac denique quantum ad bona: propter quod istud: *Non furtum facies*. Ore: & ad hoc ordinatur per præceptum: *Non loqueris contra proximum falsum testimonium*: ac denique corde: idque cum prohibetur, & concupiscentia carnis, seu uxoris, & concupiscentia oculorum seu bonorum.

Non fit verò prohibitio concupiscentiæ homicidii, neque falsi testimonii tamquam duorum præceptorum distinctorum, licet fiat mentio concupiscentiæ uxoris alienæ, & bonorum alienorum: quia, inquit S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5. *ad quintum*, delectatio adulterii, & utilitas divitiarum sunt propter appetibilia, in quantum habent rationem boni delectabilis, vel utilis, & propter hoc oportuit in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscentiam: Homicidium autem, & falsitas sunt secundum se horribilia; quia proximus, & veritas naturaliter amantur, & non desiderantur nisi propter aliud: & ideo non oportuit circa peccatum homicidii & falsi testimonii prohibere peccatum cordis, sed solum operis.

Neque etiam specialibus præceptis prohibita est inordinatio irascibilis, quemadmodum specialibus præceptis vetita est inordinatio concupisibilis: quia omnes passionis irascibilis derivantur à passionibus concupisibilis: & ideo sufficiebat mentionem facere in Decalogo inordinationis concupisibilis, utpote in quo prima dumtaxat elementa legis descripta continentur:

Denique mentio ibi non facta est evidentissimorum legis naturæ principiorum, quale, verbi gratia, est istud: *Bonum est sectandum, & malum fugiendum*. Ratio est quia non necesse fuit ea scribi, utpote, & remanentia sufficienter scripta in animis hominum, & contenta in iis quæ scripta sunt tamquam principia in conclusionibus suis.

Præter autem assignata decem præcepta Decalogi, alia etiam sunt, quantum in Exodo, tum in Levitico, & Deuterone. referuntur quæ conducunt ad evidentiorum, & fa-

ciliorem Decalogi præceptorum intelligentiam; Nam ut observat S. Thom. q. 100. art. 2. præcepta moralia sunt in triplici differentia; etenim quædam, inquit, sunt communissima, & adeò manifesta quòd sunt quasi fines præceptorum; unde in eis nullus potest errare secundum judicium rationis: quædam verò sunt magis determinata, quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre; & tamen quia in potioribus circa hujusmodi contingit judicium humanum perverti, hujusmodi editione indigent; & hæc sunt præcepta Decalogi; quædam verò sunt, quorum ratio non est adeò cuilibet manifesta, sed solum sapientibus, & ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo, tradita à Deo populo per Moysen, & Aaron. Sed quia ea quæ sunt manifesta, sunt principia cognoscendi ea quæ non sunt manifesta, alia præcepta moralia superaddita Decalogo, reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa: nam in primo præcepto Decalogi prohibetur cultus alienorum deorum, cui superadduntur alia præcepta prohibitiva eorum quæ ordinantur in cultum idolorum, sicut habetur Deuter. 18. *Non inveniatur in te qui lustrat filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem, nec sit maleficus, neque incantator; nec Pythones consulat: neque divinos, nec querat a mortuis veritatem*. Secundum autem præceptum prohibet perjurium: superadditur autem ei prohibitio blasphemæ, Lev. 14. & prohibitio falsæ doctrinæ, Deut. 13. Tertio verò præcepto superadduntur omnia ceremonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honorificatione senum, secundum illud Levit. 19. *Coram cano capite conjurge, & honora personam Senis*; & universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad beneficia exhibenda, vel æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto quod est de prohibitione homicidii additur prohibitio odii, & cujuslibet molitionis contra Proximum, sicut illud Levit. 19. *Non stabis contra sanguinem proximi tui*; & etiam prohibitio odii fratris, secundum illud, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*. Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterii, superadditur præceptum de prohibitione meretricii, secundum illud Deuterone. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*. Et iterum prohibitio vitii contra naturam, secun-

secundum illud Levit. 18. *Cum masculo non commisceberis, cum omni pecore non coibis.* Septimo autem de prohibitionem furti adjungitur præceptum de prohibitionem usuræ, secundum illud Deuteron. 18. *Non feneraberis fratri tuo ad usuram;* & prohibitio fraudis, secundum illud Deut. 13. *Non habebis in sacco diversa pondera;* & universaliter omnia, quæ ad prohibitionem calumniæ, & rapinæ pertinent. Octavo verò præcepto, quod est de prohibitionem falsi testimonii, additur prohibitio falsi iudicii, secundum illud Exodi 23. *Nec in iudicium plurimorum acquiescentiæ, ut à veritate devies,* & prohibitio mendacii sicut ibi subditur, *mendacium fugies;* & prohibitio detractionis, secundum illud Levit. 19. *Non eris criminator, & susurro in populis.* Aliis autem documentis, puta præcepto de non concupiscenda uxore alterius ad concundum, & præcepto de non concupiscenda re qualibet, vel qualicumque possessione alterius ad possidendum illegitimè præter consensum ejus, & voluntatem, nulla alia adjunguntur; quia per ea universaliter omnis mala concupiscentia prohibetur. Hæc Sanctus Thomas.

#### CONCLUSIO SECUNDA.

**P**Ræcepta Ceremonialia dicuntur ea quæ ad cultum Dei ordinantur, sive immediatè, sive preparatoriè; Sicut enim præcepta judicialia determinant moralia in ordine ad proximum, ita ceremonialia determinant moralia in ordine ad Deum.

Hæc, inquit Alenus, dividuntur in *Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Observantias.* Ratio divisionis est, quia in cultu Dei considerari possunt ipse cultus, colentes, & instrumenta colendi. Cultus ipse specialiter consistit in sacrificiis quæ offeruntur in reverentiam Dei. Instrumenta colendi pertinent ad sacra, quale est tabernaculum, & vasa, & alia hujusmodi. Ex parte autem colentium duo possunt considerari, scilicet eorum institutio quod fit per quamdam consecrationem populi vel ministrorum, atque ad hoc pertinent sacramenta: & eorum singularis conversatio, per quam distinguuntur ab his qui Deum non colunt, & ad hoc pertinent observantiæ, puta in cibis, & vestimentis, aliaque ejusmodi.

*Sacrificia* instituta sunt in veteri lege tum ut hæc ratione Judæi proclives a liocui admo-

dum ad idololatriam, ab ea retraherentur immolando Deo vero, & non diis: Unde sacrificia hæc non fuerunt instituta à Deo nisi postquam in idololatriam declinaverunt constantes sibi vitulum adorandum; tum maximè ut per illam homines protestarentur se cognoscere Deum tanquam supremum dominum vitæ, & necis, atque rerum omnium Creatorem, sed, & ut figurarent sacrificium Christi Domini tamquam imperfecta perfectum, ille quippe una oblatione explevit variorum differentiam sacrificiorum.

Sacrificia autem veteris legis erant in triplici differentia, ratione triplicis sacrificandi finis. *Primò holocausta*, quæ specialiter instituta erant ad protestationem supremi domini Dei in res omnes: ideoque comburebantur omnino talium sacrificiorum victimæ; ut sic ostenderetur quàm summo jure Dominus mortificat, & vivificat, & quòd sicut in iis totum animal resolutum in vaporem sursum ascendeat, ita etiam significaretur totum hominem, & omnia quæ hominis sunt, Dei dominio esse subdita, & esse ei offerenda. Habes præcepta Levit. 6. & ritus Levitici 1.

*Secundò sacrificia pro peccato*, quæ instituta fuerunt à Deo, ad excitandam peccati detestationem ejusque expiationem propugnandam per poenitentiam. Ex illis sacrificiis alia erant pro delicto, & alia pro peccato, Delictum, & peccatum in Scripturis aliquando eadem sunt, sed in Levitic. distinguuntur, ut observat S. Augustinus, qu. 5. in Leviticum; & videtur probabilior sententia quæ vult illud esse delictum, quod imprudenter, id est, ignoranter: illud peccatum, quòd à sciente committitur. Sacrificii pro peccato pars una comburebatur, altera verò cedebat in usum sacerdotum: ad significandum quòd expiatio peccatorum sit à Deo per ministerium sacerdotum: nisi quando sacrificium offerebatur pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis: tunc enim totum comburebatur, quia non debebant in usum sacerdotum venire ea quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret, & quia hoc non esset satisfactio pro peccato: si enim esset in usum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerrentur. Horum sacrificiorum præceptum habes Levitici 7. ritus, Levitici 4. & 6.

*Tertiò* denique erant *sacrificia pacifica* quæ offe-

offerebantur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium ex debito beneficii vel accipiendi, vel accepti. Et in tres partes dividebantur: una pars incendebatur ad honorem Dei, secunda cedebat in usum sacerdotum, tertia denique in usum offerentium, ad significandum quod salus hominis procedit à Deo, dirigentibus ministris Dei, cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur. Habes præceptum hujus sacrificii Levit. 7. ritus autem Levit. 3.

Quoniam autem in peragendis sacrificiis varii erant ex præcepto observandis, placet hic nonnullos referre, & explicare sub quæstionibus, & responsionibus sequentibus.

Censent autem aliqui apud Alensem *Paragraphe* 3. hoc triplex sacrificiorum genus institutum fuisse juxta triplicem hominum statum. Quidam enim sunt incipientes, alii proficientes, alii perfecti; hostia autem, inquit, pro peccato pertinebat ad incipientes, sive ad statum penitentiae; hostia pacificorum ad proficientes spectabat, sive ad statum justitiæ in implatione mandatorum: holocaustum ad perfectos, sive ad statum supererogationis in implatione consiliorum.

Aliter veteris legis testamenta distinguit Hugo Victorinus: Tria, inquit, genera sacramentorum inveniuntur fuisse scripta sub lege, quædam specialiter ad remedium, quædam ad obsequium: quædam ad cultum divinum. Prima pertinent ad peccatorum remissionem, secunda ad exercendam devotionem, tertia ad colendam pietatem. Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatem, ut in eis homo sanctificaretur; qualis fuit circumcisio, & hostiæ pro peccato, & pro delicto, & cetera quædam, quæ specialiter ad emundationem, & remissionem instituta fuerunt. Secunda autem quasi ad exercitationem fuerunt proposita, ut in eis devotio fidelium exerceretur, & meritum augetur: quales fuerunt hostiæ pacificorum, quæ offerebantur à fidelibus ad reconciliandam sibi gratiam divinam. Tertia instituta fuerunt quasi ad præparationem quamdam; ut quasi instrumenta quædam essent ad cetera sacramenta tractanda, & sanctificanda, quale fuit tabernaculum, & atrium, & omnia utensilia quæ continebantur in eis.

Petes 1. Quare ex animalibus quæ sibi of-

ferri mandavit Deus, solum ex quadrupedibus designata sint *boves, oves, & capræ*; ex volatilibus verò tantum *turtur, & columba*.

*Respondet Alensis noster qu. 50. hujusce rei assignari posse multiplicem rationem. Quia, inquit, ista sunt, quæ totum, quod vivunt, & sunt, necessitati hoministri- buunt: hoc est, victui, & vestitui. Si igitur rectè humana necessitas respiciatur, sola ista de animalibus necessaria sunt hominibus in victum, & vestitum: cetera verò superflua sunt, quantum ad necessitatem vitæ, ut porcus, canis, & equus. Eo ergo ipso quod noluit alia sibi offerri in sacrificiis, abstulit eis occasionem quærendi non necessaria, dum eis non voluit honorari. Amplius, quia de quadrupedibus ista mundissima sunt; quia ex mundissimis vivunt partibus: & eorum immunditiæ etiam mundæ sunt. Præterea inter omnia quadrupedia ista mansuetissima sunt, & minori rebellionis sustinent mortem: & ideo minori periculo immolantur. Insuper, quia istis animalibus maximè utebantur, & in his erat largior beneficentia Conditoris erga eos: conveniebat igitur de his animalibus Conditori regratiationem, & honorificentiam pro beneficentia exhibere.*

Quare verò elegerit de avibus *turtur, & columbam*; quas & præcepit Abrahamæ, ut sibi offerret in sacrificium, *Genes. 15.* dicendum est, inquit, quod hæc præcipue electa sunt ad sacrificium, quia inter omnes aves ista munda, & mansuetæ, & utilia usibus humanis sunt: & etiam castitas quasi conjugalis in columbis, & quasi vidualis in turturibus invenitur: Unde per hoc expressè datur intelligi, quod si hujusmodi requirit in avibus sibi offerendis, quanto fortius in hominibus sibi offerentibus? De hoc verò quod passer additur in emundatione leprosi, præter rationem, quæ supra dicta est posset specialis ratio assignari: quia dicitur passer secundum modum suum morbum consumilem aliquando pati. Ratio autem generalis, quare aliâ animalia ab istis noluit Deus sibi offerri est quia omnia aliâ genera animalium, aut Idololatrarum sacrificiis suis execrabilia fecerant, aut Augures vanitate observationum suarum prophanaverant; aut Magi veneficis

„ maleficiis suis abominabilia reddiderant.  
 „ Hæc Alensis.

„ Idcirco ex avibus præcipuè sibi Deus delegit columbas, & turtures; tum quia horum magna habebatur copia in terra promissionis; tum quia hæc animalia sunt symbola iustitiae, castitatis, dilectionis, & mentis simplicitatis: unde Christi Domini simplicitatem, charitatem, atque dolorum acerbiter præsignabant.

Observandum insuper Deum voluisse sibi offerri pullos columbarum, non autem pullos turturum; quia in turturibus majores longè meliores sunt quàm pulli; in columbis verò pulli meliores sunt, id autem quod est optimum Deo debet offerri. Insuper solius masculini sexus animalia offerri debebantur in holocaustum, quia præstantissimum est inter sacrificia, femina verò est animal imperfectum. Quocirca etiam animalia maculosa, & imperfecta v.g. clauda, cæca, removebantur à sacrificio, quia solito despiciuntur ab hominibus. Denique non offerebantur ante octavum diem suæ nativitatis: quia erant quasi abortiva, & nondum plene consistentia propter suam ténueritudinem. Pisces autem Deus non requisivit in sacrificia; tum quia cum in aquis degant, magis sunt alieni ab homine, eisque minus dominio ac imperio subsunt; subindeque minus ad eum pertinent; homo autem offerre debebat Deo aliquid sibi proprium in testimonium suæ erga Deum observantiæ, & gratitudinis: tum quia pisces statim ex aqua extracti intereunt; quod autem sacerdotibus sacrificandum Deo vivo efferebatur vivum esse debebat.

Similiter Deus sibi offerri mandavit, & permisit spicas, similam, & alia similia; quia consultum voluit paupertati offerentium, ut qui non posset offerre animal quadrupes, offerret avem, qui non posset avem, saltem offerret panem, qui panem non posset offerre saltem farinam vel spicas præsentaret. Ex iis verò quæ ex terra proveniunt maximè Deus requirebat in sacrificiis ea quæ veniunt in usum hominum: Unde panis offerebatur, quia hominis cibus; vinum, quia potus; oleum, & sal, quia cibi condimenta: thus quia medicamentum. Hæc autem omnia Christum figurabant: panis quidem, quia erat panis vivus, qui velut in spica pro statu legis naturæ in fide Patrum; sicut similia in doctrina legis, & prophetarum: sicut verò panis de Cælo

descendit à Spiritu sancto formatus in utero Virginis, & coctus in clibano passionis. Vinum autem erat figura sanguinis ejus, oleum gratiæ ab eo diffundendæ, sal ipsius divinæ sapientiæ, thus jugis ac ferventissimæ ejus orationis.

Mel autem, & fermentum prohibebantur offerri Levit. 2. quia, inquit Alensis, hæc offerri consueverant in sacrificiis idolorum, tum etiam ut significaretur eos qui sacrificare intendunt, debere à se remove omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem; necnon & omnem corruptionem à sacrificiis arcere. Observandum denique circa sacrificium pro peccato, quod tantò vilius in eo animal offerebatur, tantò gravius erat peccatum pro quo offerebatur.

Sacramentorum in veteri lege alia erant omnibus communia, qualia erant circumcisio, agnus Paschalis, purificationes variis ab immunditiis legalibus, & expiationes à peccatis: Alia erant particularia solis sacerdotibus, & ministris; qualia erant consecratio, esus panum propositionis, ablutio manuum, & pedum. Nam per sacramenta homines deputantur quodammodo ad cultum Dei, cultus autem Dei, & generaliter spectat ad omnem populum Dei, & specialiter ad ministros. Respectu utriusque tria sunt necessaria. *Primò* quòd instituantur ad talem cultum, id autem præstabat circumcisio in populo, consecratio in sacerdotibus, & institutio specialis in ministris Dei. *Secundò*, quòd utantur iis quæ spectant ad divinum cultum: id autem populus præstabat per esum agni Paschalis, sacerdotes autem per esum panum propositionis, necnon & aliorum suis usibus deputatorum. *Tertiò*, quòd removeantur ea quæ prohibentur à cultu divino, quales sunt immunditiæ. Respectu autem populi id fiebat per purificationes, & expiationes; respectu verò aliorum per manuum, & pedum abluitionem, necnon & per pilorum aut capillorum abrasionem.

*Petes* quas ob causas instituta fuerit Circumcisio tantum octavo die à nativitate parvuli faciendâ, cultro tantum lapideo, folli Abrahæ, & non ante præscripta, nec ab exitu de Ægypto usque ad ingressum in terram promissionis usurpata.

*His omnibus quæstis*, respondet Alensis q. 55. varias ob causas factam fuisse circumcisionem per extremitatem pelliculæ membri virilis. *Prima* ratio, inquit, est debilitatio libidinose concupiscentiæ, quæ viget in illo mem-

membro virili, & ex vulnere circumcissionis, & ex effusione sanguinis, quæ in ea fit. *Secunda* est expositio illius partis, id est, pulpa membri illius frigori, & defricationi vestitum; ex quibus omnibus efficitur minus sensibilis: quemadmodum, & manus duris operibus astuetæ, minus sensibiles, minusque passibiles inde redduntur: nihil autem in parte magis minuit ac debilitat concupiscentiam, quàm diminutio sensualitatis, & passibilitatis illius. *Tertia* est in deletionem sacrorum Veneris, & Priapi: in quibus illa tamquam pars, & occupatio Veneris in corpore humano, non parum ornabatur, & colebatur: Hæc enim erat pars carnis quæ maximè pugnabat contra spiritum, maximèque contaminaverat populos illarum terrarum, ita ut in omnia flagitia non solum masculorum, sed etiam brutorum animalium pronebant: sicut legitur Levit. 18. *Omnes execrationes istas fecerunt accole, qui fuerunt ante nos, & polluerunt eam.* Et iterum cap. 20. *Omnia hæc fecerunt, & abominatus sum eos.* Hæc plaga effrenatæ ac flagitiosæ libidinis gentes illas septem execrabiles quæ terram promissionis ante adventum filiorum Israel inhabitaverant, in idololatria nutriebat ac potissimum detinebat. *Quarta* verò causa, seu ratio est fortitudo impressionis memoriæ Creatoris: Est enim circumcisio signaculum, & stigma inseparabile, gravissimoque dolore impressum; & propter hoc fortissimum est memoriale Salvatoris. *Quinta* causa est firmitas pacti cum Deo; sicut legitur: *Statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno.* Et iterum: *Hoc est pactum meum: circumcietur ex vobis omne masculinum.* Quare manifestum est, quòd hoc signaculo profiteatur omnis circumcisus se hujusmodi pactum seu fœdus iniisse cum Deo, & ipsa susceptione hujus signaculi intrat in pactum ac fœdus Abrahæ: & ipsa susceptione illius obligat se, ac debitorem se constituit universæ legis, quæ data est semini Abrahæ, sicut dicit Apostolus: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ, &c.* quemadmodum suscipiens signaculum, hoc est, tonsuram vel habitum cujuscumque religionis, ad eam se obligat universam.

*Quare* verò præceptum fuerit, primò Abrahamæ, & non ante: ratio est, quia exuberante errore idololatriæ Abraham primus

fuit (sicut narrant antiquæ historiæ) qui revocavit homines ab idololatria ad latrariam conditoris: Quia ergo circumcisio ad hoc erat, ut per ipsam distinguerentur cultores creatoris à cultoribus idolorum, dabatur Abrahamæ primò præceptum faciendæ circumcissionis. *Præterea* ratio alia est; quia Abrahamæ primò facta est promissio expressa, quòd de ejus stirpe nasceretur Redemptor: cum dictum est; *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Conveniebat autem signaculum sanctificationis generationi de qua debebat nasci Redemptor: inde est quòd Abrahamæ & semini suo tantum præceptum circumcissionis est datum.

*Cur* autem iussa est fieri circumcisio die octava à nativitate parvuli? ad hoc ratio est, quoniam ante octavam diem teneritudo infantium tam grave vulnus absque periculo mortis non facillè sustineret: Si autem differretur usque ad annos pueritiæ, vel majoris ætatis, multi declinarent eam suscipere propter gravitatem doloris.

*Cur* autem dilata fuerit ab exitu de Ægypto usque ad ingressum terræ promissionis, ratio talis assignatur; quia fortè non vacabat eis, quia vel bellis concutiebantur, vel pestibus vastabantur, vel seditionibus dividebantur, vel à murmurationibus exagitabantur, vel aliis incommodis urgebantur: secundum quod dicit Joannes Damascen. *Locus autem fuit circumcissionis faciendæ firmato populo in fide Abrahæ, & obtentis pro parte promissionibus eidem factis.* Tunc enim innovandum fuit pactum Abrahamæ, & firmandum ex parte feminis ejus, cum firmum apparebat ex parte Dei, & hoc per exhibitionem promissorum.

*Quare* autem fieret cultro lapideo, causa est, quia malefici ferro faciebant incisiones in corporibus suis, & maximè in sacris Martis; metallum enim ferri metallum Martis, & partes ejus in metallis opinabatur idololatrarum vanitas: Voluit ergo ritum istum per aliud, quàm per ferrum exerceri: ut saltem hac dissimilitudine aliquantulum eos ab idololatria abduceret: *Alia ratio est*, ut fœdus quod cum eis pepigerat Dominus in petra Horeb, eis per hoc ad memoriam reduceretur: vel quod aquam eis de petra produxerit, in aspectu cultrorum lapideorum recordarentur. *Tertia* ratio est, ut lapideorum cordium suorum duriciam in hujusmodi cultris lapideis legerent in ipsa hora circumcissionis: ut sic in pœnitentiam emolli-

rentur: & cordium suorum duritiam sentirent interius per compunctionem: quemadmodum cultrorum hujusmodi duritiam corporalem per circumcisionem.

Quantum autem ad Agnum Paschalem, ratio naturalis ejus institutionis fuit commemoratio beneficii quo Deus populum suum eduxit de Ægypto: Tunc enim præceptum illis est, ut sanguine agni linirent postes domorum, quasi protestantes se recedere à ritibus Ægyptiorum qui arietem colebant. In illo duo ob oculos Judæorum ponebantur. *Primò*, festinantia ad discedendum de Ægypto, quod designabatur, & per panes azimos quos comedere tenebantur quasi non fuisset satis temporis ut fermentaretur: & quòd comederent agnum assum igni; quia sic velocius præparabatur: & quòd os non comminueretur, quia qui festinant in frangendis ossibus non morantur: quòd etiam designabatur per id quòd renes debebant habere accinctos, calceamenta in pedibus, baculos in manibus, quibus significatur homo promptus ad iter faciendum, & per id quòd in una domo comedere debebant, neque foras carnes ferre; quia qui discedere festinant non valent mittere xenia. *Secundò*, amaritudo quam passi fuerant in Ægypto, quæ significabatur per lactucas agrestes.

Ratio figuralis hæc erat, immolatio Agni Paschalis figurabat immolationem Christi. Sanguis Agni liberans ab exterminatore Sanguinem Christi quo liberamur à peccato: comedebantur carnes agni ad significandum esum Corporis Christi in Sacramento: erant assæ igni, ad significandum quòd Christus in Sacramento est memoria passionis: vel quòd igne charitatis omnia consumit: cum azimis panibus, quia Christum comedentes puri, & sinceri esse debent; cum lactucis agrestibus, quia corde poenitenti; accinctis renibus, quia casti; cum calceamentis in pedibus, quia habentes exempla Patrum mortuorum: cum baculis, quia in pastoralis custodia; in una domo, quia in Ecclesia Catholica, & non extra illam.

Quantum autem ad ceremonias purificationum ab immunditiis, & expiationes à peccatis; earum institutio, & ordinatio justæ congruentique rationi sita est; nam homines contrahebant immunditiam interiorem per peccatum, à qua purgabantur per sacrificia aut oblata pro tota communitate, aut etiam specialiter pro peccatis singulorum: non quòd haberent ex se vim expian-

di; sed quia significabant expiationem futuram per Christum, cujus participes illi erant per fidem in eumdem. Contrahebant etiam immunditiam externam quæ reputabatur: *Primò* ex hominibus: *Secundò*, ex contactu rerum immundarum. Reputabatur ex hominibus immundum, quod corruptionem aliquam habebat, vel erat corruptioni expositum: Unde cadaver immundum, leprosus immundus, mulier patiens sanguinis fluxum immunda, viri etiam immundi fluxum seminis patientes per infirmitatem, per nocturnam pollutionem, per coitum: reputabatur homo immundus, qui vel mortuum tetigerat, vel leprosum, &c. Erat præterea immunditia in domo, in vasis, in vestibus, &c. purificabantur communiter per ablu-tionem, & per quædam sacrificia.

*Ratio literalis* istarum purificationum, & expiationum fuit: *Primò*, ut cum reverentia tractarent ea quæ ad divinum cultum pertinent, nec immundi accederent ad illa. *Secundò*, ut raro accedentes ad hujusmodi sacra, quia sæpius immundi, majori reverentia, & humilitate ad ea se disponerent: *Tertiò*, ut non reformidarent accedere ad divinum cultum, quasi refugientes consortium leprosum, aliorumque similium, quorum morbus erat abominabilis, & contagiosus. *Quartò*, quia Gentiles quandoque, & humanum sanguinem, & semen in suis sacrificiis adhibebant.

*Ratio figuralis* fuit, quia per varias istas immunditias varia peccata figurabantur: peccatum mortale, quod est mors animæ, per immunditiam cadaveris, hæresis per immunditiam lepræ: nam & contagiosa hæresis ut lepra: & vera habet falsis admixta, sicut in corpore leproso apparent partes integræ, & partes maculatæ: idololatria, per mulierem sanguinifluam, propter immolantium cruorem. Vana locutio, per vicum feministuum; peccatum originale, per immunditiam coitus, & parrus mulieris. Voluptatum molities, per feminam menstruatam; consensus in peccatum alienum, per contactum rei immundæ. Ita de ceteris.

*Quia verò* tum circa purificationes istas, tum etiam circa expiationes aliqui negligentes erant, placuit Deo ut semel in anno decimo die septimi mensis fieret sacrificium expiationis pro toto populo, in quo prius Sacerdos offerebat pro suo peccato vitulum, & arietem in holocaustum: *Deinde* pro populo duos hircos, quorum unus immo-

laba-



labatur ad expiandum peccatum multitudinis; Hircus enim est animal fœdum de cuius pilis fiunt vestimenta pungentia, & per hoc significatur fetor, & immunditia aculei peccati. Hujus autem hirci immolati sanguis inferebatur simul etiam cum sanguine vituli in sancta sanctorum, & aspergebatur ex eo totum sanctuarium, ad significandum quòd Tabernaculum emundabatur ab immunditiis filiorum Israel. Corpora verò hirci, & vituli immolata pro peccato comburebantur, ad ostendendam consummationem peccatorum: non in altari, quia ibi non comburebantur nisi holocausta, sed extra castra in detestationem peccati. Alter verò hircus emittebatur in desertum, ac si ille deportaret peccata populi. Ritus emissionis erat ut Sacerdos imponeret manum super caput ejus, confitens peccata filiorum Israel.

*Ratio autem figuralis horum ista erat:* Christus significatur per vitulum propter virtutem; & per arietem, quia est dux fideium: & per hircum, propter similitudinem carnis peccati, quia immolatus est pro peccatis, & per ejus sanguinem nobis aditus patet in regnum cœlorum, quemadmodum sanguis vituli, & hirci infertur in sancta per Pontificem. Passus est extra portam; ad Hebræos ultimo; quemadmodum hircus, & vitulus combusti sunt extra castra. Hircus qui emittebatur in desertum est, vel divinitas quæ Christo patiente virtutem cohibens, veluti in similitudinem abiit, vel concupiscentia mala quam debemus à nobis abjicere, studiosos autem motus Domino immolare.

*Cœremoniæ* triplicis generis observabantur in institutione ministrorum. *Primò* namque purificabantur: *Secundò*, ordinabantur & consecrabantur: *Tertiò*, applicabantur ad usum sacri ministerii. Purificabantur, inquam, idque communiter per ablutionem aquæ, & per quædam sacrificia: Specialiter autem Levitæ radebant omnes pilos carnis suæ. Consecrabantur Pontifices & Sacerdotes hoc ordine. *Primò* abluti, vestibus specialibus dignitatum induebantur. *Secundò*, Pontifex oleo unctionis in capite ungebatur. Levitæ Domino offerebantur à populo per manus Pontificis qui orabat pro eis. Minorum verò Sacerdotum solæ manus consecrabantur, quæ erant applicandæ ad sacrificia, & de sanguine agni immolati tingebatur extremum auriculæ dextræ ipsorum,

*Exassen Theol. Tom. VI.*

& pollicis pedis, aut manus dextra: ut scilicet essent obedientes legi Dei in oblatione sacrificiorum, quod significatur in tinctione pedis, & manus dextræ. Aspergebantur etiam ipsi, & vestimenta eorum sanguine immolati animalis, in memoriam sanguinis agni per quem fuerunt in Ægypto liberati. Offerebatur autem in eorum consecratione vitulus pro peccato, in remissionem peccati Aaron, circa vitulum conflatilem: Arius in holocaustum, in memoriam orationis Abraham, & obedientiæ ejus, quam Pontifex debet imitari: aries quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis ex Ægypto: canistrum denique panum in memoriam manna præstitæ populo. *Tertiò*, applicabantur per impositionem super manus eorum adipēs arietis, tortæ panis unius, & armi dextri: ut ostenderetur quòd accipiebant potestatem offerendi Domino sacrificia. Levitæ verò per hoc quòd intromitebantur in Tabernaculum fœderis, quasi ad ministrandum circa vasa Sanctuarii.

*Ratio figuralis* erat, quia qui ad ministerium Ecclesiasticum deputantur, debent primò purificari per aquam baptismi, & lachrymarum in fide passionis Christi, quod est expiativum, & purgativum sacrificium. Raderè præterea debent omnes pravæ cogitationes quæ per pilos carnis adumbrantur: ornari virtutibus, & Spiritus sancti oleo consecrari ac asperione sanguinis Christi.

Observandum est autem quòd Sacerdotes quatuor præcipuè vestiebantur dum sacra ministeria implebant; nempe Femoralibus, tunica linea stricta, zona, seu balteo, & tiara, seu mitra, seu cydari. Femoralia, inquit Alensis, significabant cõtinentiam, tunica linea munditiam, balteus modestiam, mitra capitis intentionem rectam. Præter hæc verò Pontificibus communia, si aliquid leve excipias, habebant, & quatuor alia sibi propria Pontifices, quibus fas non erat simplicibus Sacerdotibus vestiri, scilicet primò tunica hyacinthina, seu Pontificali in cujus extremitate versùs pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quædam, & mala punica, facta ex hyacintho, & purpura, coccoque bistincto. *Secundò*, Ephod Pontificale, seu Superhumerales quod regebat humeros, & anteriorem partem usque ad cingulum; erat verò ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bistincto, & bysso retorta, & super humeros habebat duos honichinos, in quibus erant scripta nomina filiorum Israel. *Tertiò*, Rationale

nale ex eadem materia factum, quadratum, & ponebatur in pectore, & conjungebatur Superhumerali: in hoc erant duodecim lapides pretiosi distincti per quatuor ordines, in quibus erant etiam sculpta nomina filiorum Israel, sic eos super humeros, & in corde Pontifex habere significabat. *Quartò*, lamina aurea pendens in fronte ejus, in qua scriptum erat nomen Domini.

*Hec autem* vestimentorum diversitas, inquit Alensis qu. 55. circa Articulum primum, secundum Josephum figurabat ipsum esse Ministrum, & Pontificem Conditoris universorum. Unde secundum quod tangitur Sap. 8. *Dispositio totius orbis figurabatur in veste Pontificis; fœminalia linea, & tunica linea, seu byssina terram figurabant.* Baltei verò circumvolutionem Oceani: tunica verò hyacinthina ipso colore aerem præfererebat: per tintinnabula tonitrum: per mala granata coruscationes significabantur; superhumerali sui varietate Cælum sydereum: duo Sardonices, duo Hemisphæria, vel Solem, & Lunam: duodecim Gemmæ in pectore, duodecim Signa, & Zodiacum, & pulchrè quod in medio erat appellabatur Rationale: ratione enim cuncta sunt plena, & terrena per cœlestia disponuntur: Cydaris Cælum empyreum: lamina aurea, Deum omnibus præidentem; tamen non videtur hæc significatio convenire. Dicendum ergo quòd varietas vestimentorum designabat varietatem virtutum, quibus oportebat Pontificem esse munitum: Fœminalia signabant continentiam: Tunica byssina quæ multis tursionibus pervenit ad candorem: per mortificationem carnis munditiam interiorem: Balteus, qui stringit ventrem, continentiam, & abstinentiam: Tunica hyacinthina, quæ est exterior, & ætherei coloris, conversationem cœlicam; Cingulum verò quo tunica stringitur conversationis modestiam: Superhumerali mandatorum obedientiam: Rationale verò divinam scientiam: Cydaris intentionem bonæ voluntatis: Lamina, cui nomen Dei inscribitur, memoria seu meditatio Dei jugis figurabatur.

Denique erant quidam ritus ex præcepto observandi à populo in vestibus exterioribus, in ciborum delectu, in cultu divino. *Primò* quidem in vestibus, quibus indui debebant, plura cavebantur; sic Deuter. 20. *Non induetur mulier veste virili, & vir non induetur veste fœminea.* Et cap. 22. *Non in-*

*dueris vestimento quod ex lana, linoque contextum est.* Causæ autem, inquit Guilielmus Parisiensis libro de Legibus c. 13. prohibitionis, ne vir uteretur veste fœminea, vel è converso, multæ fuere: *Prima* fuit congruentia ipsius naturæ, videlicet, ut quos natura sexu discreverat, discerneret & vestibus. *Secunda*, ut opportunitas auferretur turpitudinum latibulis, posset enim intrare vir ad mulierem sub habitu muliebri, & è converso mulier sub habitu virili: ablata igitur est per hanc discretionem vestitus multa opportunitas flagitiis. *Tertia*, exterminatio sacrorum Martis, & Veneris, in sacris enim Martis non solum virili vestitu vestiebantur mulieres, sed etiam armabantur, ut in ipsis vestimentis bellicis, id est, armis, ipsum tamquam Deum belli, & victoriæ datorem colerent. Et Cocco Græcus in libro maledicto, quem scripsit de stationibus ad cultum Veneris, inter alia sacrilega, & Deo odibilia præcepit, ut qui nefandum illud exercet, coronam fœmineam habeat in capite suo. Eodem modo in sacris Veneris viri effœminabantur, videlicet in vestibus muliebribus sacra Veneris exercentes; propter hujusmodi sacrilegos ritus Marti, & Veneri se placere credentes, atque quærentes. *Quarta* causa est ut occasio magna provocationi libidinis auferretur; magna enim est provocatio libidinis viris vestitus muliebris, & è converso, & hoc est quoniam vestis muliebris viro circumdata vehementer reficit memoriam, & commovet imaginationem mulieris, & è converso. *Quinta* causa, ut auferretur occasio maleficii, quibus gentes illæ refertissimæ erant, & in eis nutritæ. Consueverunt enim malefici, & maleficæ in vestibus, aut de vestibus libidinis maleficia exercere, & hoc nos in libris eorum sæpe legimus. Ut ergo occasio hujusmodi tolleretur, jam voluit Deus hanc consutationem vestitus esse in viris, & mulieribus. *Sexta* causa, ut tolleretur error periculofus, & superstitiosa credulitas, qua trahi possent ad idololatriam, quibus credebant decepti applicatione vestium muliebrum, maximè in sacris Veneris conjungi sibi ac conciliari amore fortissimo corda mulierum, propter quæ hoc facerent, vel quæ postea hujusmodi vestibus uterentur. Similiter & deceptæ mulieres id ipsum credebant de viris, & virilibus vestimentis. Voluit ergo Deus hunc superstitiosum errorem auferri de cordibus eorum, per ablationem abu-

abufionis istius, ne per illum tandem tra-  
herentur ad cultum Veneris. Usus verò ve-  
stis ex lana, linoque contextæ, prohibitus  
fuit juxta litteram, quia Sacerdotes idolo-  
rum, & in Ægypto maximè vestibus hujus-  
modi utebantur. *Causa* igitur in hoc fuit  
ne Dei populus assimilaretur idololatri.  
*Alia causa* fuit generalis, ut idololatria,  
quæ conjunctionibus exercebatur, ex hoc  
percuteretur. *Tertia* fuit, ut ordo naturæ  
quem idololatræ multipliciter pervertebant,  
servaretur in vestibus, ut linum scilicet sub  
lana esset, & corpori humano propinquius.  
*Quarta*, ut in vestibus, & materiis earum,  
ipsa quam natura inter eas fecerat, discre-  
tio servaretur, ut linea sive camisia, natu-  
ra camisia esset, & tunica, natura tunica,  
& ita de aliis. Hæc enim quæ diximus om-  
nia confundebant, & commiscebant idolo-  
latræ, ad venerationem maximè elemen-  
torum, de qua aliquid loquimur in sequen-  
tibus, pro eo scilicet quòd de commixtio-  
ne elementorum, quibus serviebant, eo-  
rumque confusione omnia hujusmodi gi-  
gni dicebant.

*Plura etiam* erant prohibita quantum ad  
esum, nam judicavit lex *Levit. II.* immun-  
da gressibilia, quæ non ruminant, aut non  
findunt unguam. *Item* aquatilia, quæ non  
habent pinnulas, & squamas. *Item*, vola-  
tilia rapacia, ut aquilam, & corvinum ge-  
nus, & quedam alia, *Levit. II.* & univer-  
saliter omnia reptilia, sicut stellio, lacer-  
ta, & alia quæ in terra moventur, ut mu-  
stela, mus, & similia, *Levit. II.*

Hujus autem prohibitionis has rationes  
profert Alensis, dicendo, generali respon-  
sione, quòd ratio fuit elongatio ab idolo-  
latria. Illa enim animalia quæ præcipue  
lex judicavit immunda, idololatræ af-  
sumperant, vel in ritu sacrificiorum,  
vel in venerationem. Patet enim quòd  
ex gressibilibus, & volatilibus, & a-  
quatilibus idolorum imagines figura-  
bant: Unde *Exodi 20.* propter hoc di-  
citur. *Non facies eorum similitudinem, quæ  
in Cælo desuper, ut volatilium: nec eorum  
quæ in terra deorsum, ut gressibilium: nec  
eorum quæ sunt in aquis ut natatilium.*  
Item patet quòd simili modo faciebant  
idola reptilium: Unde *Isaïæ 2.* *Projiciet  
homo idola, quæ fecerat ut adoraret talpas,  
& vespertiliones: Et Ezechiaë 8.* *Ingressus  
vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, &  
animalium abominatio, & universa idola*

*ibi depicta, &c.* Inde est quòd lex hu-  
jusmodi judicavit immunda; vel quia in  
talibus idolis sacrificabant; unde por-  
cus qui non ruminat, sed findit ungu-  
lam judicatur immundus: quia adhuc  
pagani porcos immolabant, & fœdera  
suo sacrificio porcorum firmabant: non  
aliter ratum existimantes, nisi ipsi qui  
paciscuntur, aut fœderantur, per inter-  
medium partium hujus sacrificii transie-  
rint. Simili modo Camelum qui rumi-  
nat, sed non findit unguam, sacrifi-  
cant idololatræ, & malefici, sicut legi-  
mus in libro de annulis 7. Planetarum:  
Ita etiam de aliis intelligendum est. Si-  
cut nunc enim ex necessitate statuendum  
esset in regionibus, ubi cattus dicitur  
adorari, ne ibi inveniretur, & apud  
quem inveniretur, graviter puniretur:  
eadem ratione, & in regionibus, in qui-  
bus bufo dicitur adorari, si quis bufo-  
nem inveniens, non statim occideret,  
gravi animadversione plectendus esset:  
ita & prædicta animalia, quæ usurpave-  
rat sibi idololatria, voluit esse abomi-  
nabilia Deus suo populo, ut nec ea co-  
mederent, nec contingerent.

## CONCLUSIO TERTIA.

**P**recepta judicialia veteris legis ea erant,  
quæ non sola ratione, sed ex institutione  
vim habebant obligandi homines in ordine ad  
se invicem. Quatruplex autem ordo in ali-  
quo populo inveniri possit. *Primò*, prin-  
cipum populi ad subditos. *Secundò*, sub-  
ditorum ad se invicem. *Tertiò*, eorum qui  
sunt de populo ad extraneos. *Quarò* de-  
nique ad domesticos: Ergo totidem mo-  
dis dividi possunt judicialia præcepta ve-  
teris legis. De principibus convenienter  
ordinavit lex vetus; nam ut ait S. Tho-  
mas, in bona ordinatione principum duo  
attenduntur. Primum est, ut omnes ha-  
beant partes in principatu, quia per hoc  
conservatur pax populi, & omnes talem  
ordinationem amant, & custodiunt. Se-  
cundum est summa regiminis, vel prin-  
cipatus, cujus cum sint diversæ species,  
præcipuum tamen est regimen, in quo  
unus principatur secundum virtutem, &  
Aristocratia in qua aliqui pauci prin-  
cipantur secundum virtutem: unde optima  
ordinatio Principum est in aliqua civita-  
te, vel regno, in quo unus præficitur se-  
cun-

cundum virtutem, qui omnibus præsit, & sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem, & tamen talis Principatus ad omnes pertinet: Tum quia ex omnibus eligi possunt: Tum etiam quia ex omnibus eliguntur: atqui sic disposuerat Deus de Principatu veteris Legis; Nam Moyses, & ejus successores gubernabant populum quasi singulariter omnibus principantes, quod est quædam species regni. Eligebantur autem 72. Seniores secundum virtutem, & isti de omni populo eligebantur. Electionem vero Principis non reliquit populo, sed sibi reservavit, ut patet de Moysè, Judicibus ac Regibus: hac de causa, quia populus ille sub speciali Dei cura regebatur: neque vero constituit ab initio Reges in plena potestate, sed Judices, & Gubernatores, ne degeneraret tale regimen in tyrannidem, quod contingit maximè si crudèles sint, atque avari: tales autem erant Judæi: unde Regem ad petitionem populi tantum quasi indignatus concessit. *1. Regum 8.* Instituit tamen à principio circa Regem eligendum; *Primò*, modum electionis, qui in eo consistebat ut iudicium Domini expectaretur, neque ex altera gente quis in Regem eligeretur. *Secundò*, qualiter se habere deberent Reges constituti ad seipfos, ad Deum, & ad subditos. *Deuter. 8.*

De subditis ad se invicem convenienter ordinavit: nam justis præceptis ordinatum est de communione quam ad invicem habere debent. Hæc duplex: alia quæ fit auctoritate Principum, alia quæ fit propria voluntate personarum privatarum. Circa utrumque providit lex sufficienter: Circa primum instituendo iudices, ordinem iudicii, numerum testium, & certas personas pro venditionibus, successioneibus, cura parentum, & similibus. *Lege S. Thomam de his suis more suo differentem optimè qu. 105. art. 2.*

De subditis per ordinem ad extraneos convenienter pronuntiavit: nam cum extraneis conversatio potest esse duobus modis: pacificè & hostiliter; de utroque modo statutum. De *primò*, & cum alienigenæ transibant per terras eorum, & cum apud illos inhabitabant, prohibendo ne contristarentur, aut molestia illis inferretur, *Exodi 22. & 23.* & cum volebant totaliter admitti in eorum consortium, cui etiam provifum est, ut nec statim admitterentur, nec tamen omnino excluderentur, qui-

dam tamen omnino excluderentur, quia hostes infensissimi, quales Amalecitarum. De secundo autem, antequam inirent bellum pax offerebatur: *Deut. 20.* *Secundò*, præcipiebatur ut bellum inceptum fortiter exquerentur. *Tertio*, ut impedimenta prælii removerentur, remittendo quosdam ad domum, qui possent impedimenta præstare. *Quarto* denique, ut victoria moderatè uterentur, parcendo mulieribus, & parvulis, ac ligna fructifera regionis non incendendo. *Lege S. Thom. art. 3.*

*Denique* quantum ad domesticos Lex vetus ordinavit convenienter; nam circa domesticas personas tres sunt combinationes; scilicet, Domini ad servum, viri ad uxorem, & patris ad filium. Circa primam ordinavit convenienter, & de laboribus illis moderatè imponendis, & de penis infligendis, & de dimissione eorum, qui erant ex populo: Circa secundam ordinavit etiam convenienter: præcipiendo ut ex eadem tribu duceretur uxor, ne tribus confunderentur ut frater ducat uxorem fratris sui defuncti absque liberis, suscitaturus semen fratri suo, ut alienigenæ non accipiantur in conjuges propter periculum seductionis, neque propinquæ, propter reverentiam naturalem, quæ debetur illis: ut recens conjugato nihil publicæ necessitatis injungatur quo possit liberè lætari cum uxore sua, & firmare amicitiam, ut non leviter uxores infametur; ut propter odium vir non affligat uxorem; sed potius dimittat, idque non nisi scripto libello perficiat, ut denique propter uxoris odium filius detrimentum minimè patiat. Circa tertiam denique, ut patres filios instruant in disciplinis, & moribus, ne vacent comestationibus, & lasciviis. Cetera vide apud S. Thomam.

#### QUÆSTIO QUARTA.

An & quando Lex Vetus abrogata fuerit, & obligare desierit.

**N**otandum I. Quod etsi vetus Testamentum ab Abrahamo exordium sumpserit, quatenus nempe intelligitur pro pacto quod Deus pepigit ut in Christo benedicerentur omnes Gentes, quod utique pepigit Deus cum Abrahamo, ut constat *ex 3. cap. ad Galat.* ubi Apost. ait. *Abraham dicitur sunt promissiones, & semini ejus: Non dixit, in seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus, hoc autem di-*

eo, Testamentum confirmatur à Deo, &c. At tamen quatenus lex vetus à Testamento distinguitur, hæc nonnisi tempore Moysis originem habuit, scilicet 430. post dictam promissionem divinitus Abrahamo factam, quod utique ibidem indicat Apost. his verbis, *quæ post 430. annos facta est lex non irritum facit ad evacuandam promissionem.* Hunc autem annorum numerum à facta Abrahamo promissione ad legis promulgationem, & receptionem per Moysen, ita demonstrat S. Thom. in hunc Apostoli locum hoc pacto: Abraham erat 75. annorum cum facta est ei promissio, ita Genesios 12. Centenarius verò, quando natus est ei Isaac, ut habetur Genesios 21. hoc est, post 25. annos à promissione sibi facta, à nativitate autem Isaac usque ad exitum filiorum Israel ex Ægypto, quando data est lex Moysi, elapsi sunt anni 405. qui cum 25. faciunt 430. Quod autem à nato Isaac usque ad exitum ex Ægypto numerandi sint 405. probatur, quia Isaac fuit 60. annorum quando genuit Jacob, ut habetur Genesios 25. Jacob erat natus annis 130. quando intravit Ægyptum, ut habetur Genesios 27. & sic à nativitate Isaac usque ad introitum Jacob in Ægyptum elapsi sunt anni 190. Joseph autem fuit 30. annorum cum stetit coram Pharaone, ut habetur Genesios 41. & postea transferunt 7. anni fertilitatis, & duo sterilitatis usque ad ingressum Jacob in Ægyptum, ut habetur Genesios 45. vixit autem Joseph 110. annis ut habetur ultimo Genesios, à quibus si substrahantur 39. anni remanent septuaginta & unus annus: fuerunt ergo à nativitate Isaac usque ad mortem Joseph 261. Fuerunt autem in Ægypto filii Israel post mortem Joseph 144. annis, ut Rabanus dicit in glossa Actorum septimo: Fuerunt ergo à nativitate Isaac usque ad exitum filiorum Israel de Ægypto, & legem datam 405.

*Notandum 2.* Veterem Legem solis Judæis reverà fuisse præscriptam, nec Gentiles ad ejus observantiam fuisse ulla ratione adstrictos: quod utique colligitur ex illo Deuter. 4. *Quæ est alia gens tam inclita, quæ habeat ceremonias ac iusta iudicia?* Psal. 75. *Novus in Judæa Deus: Psal. 57. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis.* Hanc eandem veritatem luculenter demonstrat Apost. ad Rom. 3. ubi declarans prærogativas, quibus Judæi divinitus à Deo donati fuerunt, ait; *Quid ergo amplius Judæo est? multum quidem per omnem modum,*

*primum quidem, quia credita sunt eis eloquia Dei: sub eloquiis autem maximè comprehendit legem quæ solis Circumcisus data est, & ideo Gentiles arcebantur ab ingressu templi, & participatione illius legis nisi circumciderentur: non obligabantur autem Gentiles circumcidi, sed in eorum voluntate, & arbitrio liberum erat, ut constat Exodi 12. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere partem Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit: eritque sicut indigena terra: Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.* Hæc autem specialis prærogativa populi Judaici supra Gentiles, non fuit eis à Deo concessa propter eorum merita, & fidelem in eum observantiam, sed ex mera Dei liberalitate ipsum populum præ cæteris sibi peculiariter adlegendis, eo quòd Christus ex ipso oriundus erat; quod utique declaravit Moyses Deuter. 9. ubi alloquens populum Judaicum ait: *Scito ergo quòd non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dedit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissima cervicis sis populus. Memento & ne obliviscaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine; & eo die quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum semper adversum Dominum contendisti.* Decebat autem ut populus ille ex quo Christus erat oriundus; speciali sanctitate fulgeret, & peculiari Dei dilectione . . . . . Hinc Moyses Deuter. 4. populum Judaicum interpellans ait: *Audistis verba ejus de medio ignis, quia dilexit Patres, & elegit semen eorum post eos.* Semen, inquam, illud benedictum, nempe Christum Dominum in quo benedicendæ erant omnes gentes.

*Notandum 3.* Quòd etsi Lex Vetus soli populo Judæorum præscripta fuerit, ut eam observaret, & custodiret, tamen non ad solos Judæos, sed maximè ad Christianos spectabat; siquidem ad eos pertinebant promissiones, dona, & legis observatio; nam promissiones, & dona in lege ista facta sunt propter veros Israelitas, & filios Abrahamæ, non qui secundum carnem nati sunt, sed qui filii Abrahamæ sunt secundum fidem, ut probat Apost. pluribus; maximè ad Rom. & ad Gal. Hinc egregiè advertit S. August. lib. 4. contra Faustum terram Canaan, necnon & omnia bona à Deo Judæis concessa, sumi posse duobus modis, vel in se & ut est aliquod

bonum sensibile, qualiter solum spectabat ad eos qui sunt Judæi secundum carnem, vel quatenus est figura boni invisibilis longè melioris ac prestantioris, & sic pertinet ad Christianos, *Temporalium rerum promissiones*, inquit, *in Testamento Veteri contineri, & ideo vetus Testamentum appellari nemo nostrum ambigit, & quod æternæ vitæ promissio, regnumque Cælorum ad novum pertinet Testamentum; sed in illis temporalibus figuris fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis seculorum obvenit, non suspicio mea est, sed Apostolicus intellectus est, dicente Paulo cum de talibus loqueretur, hæc omnia figuræ nostris fuerunt, & iterum, hæc omnia in figuris contingebant illis, scripta autem sunt propter nos in quos finis seculorum obvenit: Non ergo vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis novi Testamenti renuntiationes accepimus: veteris quippe significatio fidem novo conciliat: His ita præmissis, tria superflua determinanda. Primum, an reverà jam defierit legis veteris obligatio & virtus: Secundum, quandonam vigere cessaverit. Tertium denique, an statim ac vigere defuit, ejus observatio mortifera fuerit.*

## CONCLUSIO PRIMA.

**L** Ex Mosaica de facto abrogata est, & jam obligare defuit. Hæc est de fide definita ab Apostolis in Conc. Jerosolimitano celebrato ut hæc quæstio solveretur, sicut legitur Act. 15. per illa verba, *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, &c.* Hanc autem veritatem pluribus probat S. Paulus ad Rom. nam cap. 6. Fidelibus baptizatis ait, *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Et c. 7. id declarat exemplo uxoris, quæ per mortem viri soluta est à lege illius: unde concludit; *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per Corpus Christi.* Et ad Gal. id variè inculcat c. 2. 3. & 5. maxime verò istis verbis. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Et postea: *Evacuati estis à Christo qui in lege justificamini.* Quibus certè significat quod gratia Christi Domini non prodest ei, qui circumcisionem necessariò servandam esse existimat. Idem Apost. ad Hebræos 7. ait: *Translato Sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat: atqui Sacerdotium veteris legis translatum fuit in Sacerdotium novæ legis; nam cum ante esset Sacerdo-*

tium Aaronicum, factum est Sacerdotium Christi qui dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Ergo & ipsa lex vetus in novam cessit, sicque de facto defuit, & abrogata est.

*Probatur 2.* Illa lex abrogatur, & obligare cessat, maxime quando amplius non viget respectu eorum pro quibus lata est: sed lex vetus cessavit obligare Judæos, quibus maxime prescripta fuit: Ergo reverà obligare defuit. Major constat: tum quia solvi, & ligari respectu ejusdem dicuntur, alioqui opposita non essent: tum quia, repugnantiam involvit quòd lex aliqua censetur abrogata, & tamen vigeat respectu eorum quibus est prescripta. Minor verò probatur: *Primo*, quia lex vetus non fuit data in sempiternum, sed tantum ut habet Apostol. ad Gal. 4. *Donec veniret plenitudo temporis.* Ergo adveniente plenitudine temporis per Christum, qui natus est in medio temporum, lex antiqua continuo cessavit. *Secundo*, ex eodem Apost. *Umbram habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem: sed umbræ definunt ad Solis ortum, cessant figuræ dum veritas apparet.* Hinc S. Bern. hom. 1. super Missus est: *Prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit.* Vel ut ait Hieron. in cap. 4. ad Gal. *Priusquam Christi in toto orbe Evangelium coruscaverit, habuerunt suum fulgorem præcepta legalia; postquam verò majus Evangelicæ gratiæ lumen effulsit, & Sol justitiæ toti mundo se prodidit, Stellarum lumen absconditum est, & eorum radii caligaverunt.* Similia habet Theodoretus ad Philippens. 3. ubi hæc scribit, *Supervacaneus est lychnus, si Sol apparuerit, supervacaneus Pædagogus iis, qui perfectam acceperunt sapientiam; inutile lac nutricis iis, qui solido cibo vescuntur. Palea fert frumentum, sed postquam collectum est frumentum, palea ejicitur, ita lex ostendit Christum, postquam autem is apparuit, ea est deinceps supervacanea.*

*Probatur 3.* Illa lex censetur esse abrogata quæ tantum duratura erat, & vigere debebat usque ad institutionem, & promulgationem alterius legis succedentis: at lex Mosaica tantum vigere debebat usque ad institutionem legis Evangelicæ: Ergo hæc instituta prior cessare debuit. Major constat. Probatur minor iis omnibus sacre Scripturæ testimoniis, quibus Deus prædixerat mutationem legis, & statum populi faciendam esse in adventu Messæ. Sic per Malac.

Iac. c.1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus verbis aperte prædicatur totum illum cultum sacrificiorum veteris legis abijciendum esse à Deo, & in aliud purissimum commutandum, ut exponit Conc. Trid. ses. 22. cap. 1. Idem significavit Jeremias c. 23. ubi præmissa Messia promissione per hæc verba. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & succitabo David germen justum, &c.* subdit, *Propter hoc dies venient, dicit Dominus, & non dicent ultra vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de Terra Egypti; sed, Vivit Dominus, qui adduxit, & duxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris;* Quibus verbis Prophetæ significat Gentiles ad Messiam futurum convertendos. Denique hanc ipsam veritatem probant omnes illi Scripturæ textus, quibus Deus olim promiserat se daturum novam legem, qualis est Jeremias 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum;* ubi nomine fœderis legem significat. Hinc subjungit, *Dabo legem meam in visceribus eorum;* His enim significavit Deus se aliquando instituturum, & daturum novam legem quæ priorem solveret, ut optimè colligit S. Paulus ad Hebræos c. 8. ubi cum præmississet præfatos textus Prophetæ, concludit, *Dicendo autem novum, veteravit prius, quod autem antiquatur, & senescit prope interitum est.*

*Dices 1.* Lex semel lata, & promulgata non abrogatur nisi per expressam revocationem, vel per legem posteriorem impossibilem cum priore; sed in lege nova lata à Christo non legitur expressa revocatio legis veteris, nec illæ leges sunt impossibiles, sed simul observari possent: Ergo posterior priorem non revocavit, maxime respectu illius populi quem illa vetus obligabat.

*Respondeo 1.* Negari posse majorem; nam præter illos duos modos abrogandi legem, invenitur tertius, nempe quod lex cesset per temporum mutationem, & successionem, quando dumtaxat pro determinato tempore lata est, & propter aliquem finem quo posita, & obtento obligare desinit; talis autem fuit lex vetus, nam præscripta fuit tantum ad tempus, & donec veniret semen, id est Christus, ut ait S. Paulus ad Gal. 3.

nam finis legis fuit Christus, ut idem Apost. docet ad Rom. 10. & ideo completo illo tempore, & eo fine obtento cessare debuit illa lex absque alia abrogatione, & revocatione. Hinc Lucæ 16. dicitur *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.*

*Respondeo 2.* negando minorem, quantum ad secundam partem: Licet enim Christus Dominus in Evangelica lege trahenda non addiderit aliqua verba formalia, quibus expressè significet se præcepta veteris legis abrogare, & revocare, nihilominus reverà illam veterem legem sua nova lege abrogavit, ut significat Paulus ad Rom. 3. *Exclusa est, inquit, per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.* Et ad Ephesios dicens, *Legem mandatorum decretis evacuans;* Quod enim ait *decretis,* idem significat, ac per decreta sua, seu ut exponit S. Chrysof. per præcepta, vel ut loquitur S. Hieron. per dogmata Evangelica. Christus ergo suis præceptis, suaque nova lege veterem abrogavit.

*Neque fuit necessaria expressa revocatio,* inquit Suarez l. 9. cap. 10. nu. 15. quia opera illarum legum licet non videantur formaliter repugnare; nihilominus leges ipsæ inter se pugnant. Primum, quia lex nova traditur à Christo, ut per se sufficiens ad salutem, & necessaria, subindeque ipsi repugnat obligatio, & necessitas prioris legis. Deinde, observantiæ legis Mosaicæ tantum erant figuræ, & signa futurorum mysteriorum Messia. Sacramenta autem legis novæ, maxime Baptismus, & Eucharistia, significant redemptionem per Messiam non esse amplius faciendam, sed factam, ac proinde subsistere non possunt cum illis signis, quæ redemptionem futuram præsignabant. Denique, prior lex tantum uni populo data est qua distingueretur, & segregaretur ab aliis nationibus: Posterior vero data est cunctis Gentibus, ut Ecclesia habens perfectam unitatem ex omnibus hominibus congregaretur.

*Dices 2.* Mosaica lex in sacris litteris dicitur in perpetuum duratura: Ergo nusquam cessare debuit. Probatur antecedens ex illo Gen. 17. ubi de circumcisione Deus ait; *Erit pæctum hoc meum in carne vestra in fœdus æternum.* Item Exodi 12. *Habebitis hanc diem . . . solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno,* Psalm. 104. *Statuit illud Jacob in præceptum, & Israel in Testamentum æternum.* Item Baruch. 3.

Hic

*Hic liber mandatorum Dei, & Lex quæ est in æternum.*

*Nego consequentiam, & ad antecedens dico, Vocabulum æternum in Scripturis summi dupliciter: Primò quidem improprie & pro diuturno & longiore tempore, quamvis finito: sic Psal. 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: Secundò verò proprie pro duratione quæ principio & fine careat: Lex autem vetus dicitur æterna priori modo, quia scilicet longissimo tempore, & per multa sæcula erat duratura: vel dicitur perpetua, & sempiterna, eo quòd præscripta fuit absque determinato tempore, quæ ratione dici solet perpetuum quòd præscribitur sine termino, qualiter diximus supra in prima Disputatione, leges propriissime dictas debere esse perpetuas. Vel denique Lex vetus dicitur fœdus sempiternum, & perpetuum, eo quòd ex natura sua indissolubile erat, nec solvi poterat nisi per causas extrinsecas, & supremam Dei auctoritatem, qualiter etiam res aliqua quæ per solam vitam hominis durat, dici solet perpetua, ut vinculum matrimonii, professio religiosa, &c. Sic igitur pactum veteris Legis dicitur fœdus sempiternum, quia dissolvi non poterat donec impleteretur: neque lex illa erat abroganda nisi per rerum positionem, quas præfigurabat, & quibus positus jam significare, & præsignare desuit.*

*Dices 3. Lex bona non debuit mutari: atqui lex vetus erat bona: Ergo mutari non debuit.*

*Distinguo maiorem: Lex bona, & perfecta nec per se ad alteram ordinata non debuit mutari, concedo: Lex imperfecta & quæ per se ad aliam ordinabatur perfectiorem, nego. Talis autem erat Mosaica lex, quæ tantum ordinabatur ad significandam legem Evangelicam, quæ aliquando erat instituenda.*

*Ex iis collige: Veterem legem desuisse non solum ratione preceptorum cæremonialium, & judicialium: sed etiam moralium. Tum quia præfati Scripturæ textus æquè concludunt de præceptis moralibus ac de cæremonialibus, & judicialibus. Tum quia reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem, ait S. Paulus ad Hebræos 7. quod etiam de præceptis moralibus intelligendum venit, earum etiam observantia inutilis erat, & insufficientis ad salutem consequendam.*

*Adde quòd S. Paulus ad Galat. 3. ubi dixit,*

*Legem fuisse Pædagogum, statim subdit, Postquam venit fides jam non esse nos sub Pædago: quod utique intelligitur etiam de præceptis moralibus; nam pars illius institutionis Pædagogicæ versabatur circa præcepta moralia Decalogi. Tum denique quia certum est cæremonialia præcepta amplius non vigere: hæc enim per se erant figurata quæ præsignabant futura Messie mysteria; Ergo adveniente eo cuius erant figure, debuerunt desinere; alioquin ipsa eorum observatio veritati fidei præjudicaret; siquidem confitemur nunc jam illa mysteria esse completa: Idem constat de judicialibus quibus succedere debebant præcepta judicialia legis Evangelicæ longè perfectiora, quorum maximam partem Christus instituit Matth. 5. Adde quòd mutato principali, desinit etiam accessorium: at in populo Judaico mutata sunt ea, quæ præcipue ipsum fecerunt à Gentibus, puta sacrificia, Sacerdotium, &c. Ergo etiam judicialia cessarunt, quia leges judiciales supponebant populum Judaicum, ut separatum à Gentilitio, & ordinatum ad specialem quidem gubernationem, & institutionem, & ideo destructo priori fine, & fundamento, etiam leges cessare necessariò debuerunt; nam, inquit S. Paulus ad Hebræos 2. translato Sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat. Idem autem dicendum est de moralibus: licet enim adhuc aliqua præcepta moralia, puta Decalogi vigeant: unde S. Leo serm. 14. de Passione Domini cap. 5. cum explicuisset cæremonialium preceptorum abrogationem subjungit, In præceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Evangelico magisterio multa sunt aucta. Attamen ipsa præcepta amplius non vigent, quatenus à Mosaica lege prescribuntur, sed quatenus vel sunt præcepta legis naturæ, vel prout per legem Evangelicam instaurantur; Siquidem Decalogum instaurasse Christum Dominum constat ex illis omnibus Evangelii textibus, quibus suadet Deum esse diligendum ex toto corde, & proximum sicut seipsum.*

#### CONCLUSIO SECUNDA.

**L** Ex Mosaica languescere cepit, & infirmari per Christi natiuitatem, mori verò & extingui tantum per ejus mortem.

*Probatur prima pars: Primò quidem ex illo Luca 16. Lex & Propheta usque ad Joan-*



Joannem, hoc est ad Christi Domini natiuitatem vim obligandi habuerunt, maximè verò in eis præceptis, & cæremoniis quæ Messia natiuitatem, & aduentum præsignabant. Adde quòd aliqua saltem præcepta cæremonialia legis impleta fuere per varia Christi Domini mysteria ante mortem patrata: putà omnes illæ cæremoniæ, quæ ejus miracula, & doctrinam præsignabant, maximè in curandis leprosis, cæcis illuminandis, mortuis fuscandis, ignorantibus instruendis, nutriendis famelicis per miraculosam panum, ac piscium multiplicationem.

Denique, baptismus à Christo institutus fuit ante mortem, & vivificandi ac solvendi peccatum originale vim habuit, subindeque præceptum circumcisionis obligare ex parte desit ante Christi Passionem.

Patet etiam secunda pars, Nempè quòd Mosaica lex mori cœpit, & extingui tantum per Christi mortem. Suadetur Primò, quia sicut *translatio Sacerdotio necesse est ut fiat legis translatio*, inquit Apostolus, ad *Hebræos 7.* ita perseverante Sacerdotio necesse est legem subsistere; sed Sacerdotium Mosaicæ legis non fuit translatum usque ad passionem, & mortem Christi, ut affirmat Apostolus ad *Hebræos 9.* ubi cum dixisset Christum per proprium Sanguinem introisse semel in sancta, concludit; *Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento re-promissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis, ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Quasi diceret: Vetus Testamentum vim non amisit nisi ubi Novum instauratum est: at hoc dumtaxat instauratum fuit per mortem Christi: Ergo tantum per Christi mortem vetus Testamentum desinere, ac mori cœpit.

Deinde, Christus ad mortem usque aliqua legis præcepta servanda mandavit: Ergo signum est legem ipsam vim adhuc aliquam habuisse usque ad Christi passionem. Patet antecedens ex illo *Matth. 8.* ubi Christus Leproso sanato præcipit ut Sacerdotem adiret, offerretque munus quod Moyses pro leprosis mundatis offerri præceperat: & *Matth. 23.* dixit, *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisei: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, & facite:* Insuper ipsemet pridie quam

pateretur implere voluit præceptum de comedendo Agno Paschali: unde *Luca 22.* dicitur, *Veni dies azimorum in quo necesse erat occidi Pascha:* Necesse, inquam, necessitate præcepti, quod ipsemet Christus implere voluit.

Denique, Lex Mosaica tota umbratilis erat & figurativa, subindeque non cessavit donec omnes ejus figuræ, & umbræ impletæ fuerunt: sed illæ non fuerunt impletæ usquequo Christus jam spiritum extremum emissurus, dixit; *Consummatum est.* Ergo Mosaica lex quantum ad omnia sua præcepta penitus non fuit extincta nisi per Christi mortem: Unde meritò S. Thomas, qu. 103. art. 3. ad secundum: Christo prædicante, & miracula faciente currebant simul Lex, & Evangelium, quia jam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum, & propter hoc mandavit Christus Dominus ante passionem Leproso ut legales cæremonias observaret.

Confirmatur hæc eadem veritas ex eo quòd in passione Christi Domini *velum templi* legitur scissum *Matth. 27.* quod indicium fuit reverà legem Moysis cessasse. Unde S. Ambrosius lib. 1. in *Luc. cap. 23.* *Etiam velum templi scinditur, quo mysterium Synagoga prophætiæ declaratur;* Et S. Augustinus sermone 114. de *Temp. Velum Templi scinditur, inquit, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur.*

Signanter autem dixi legem Mosaicam cœpisse extingui in Christi morte: non enim profus extincta fuisse videtur ante diem Pentecostes quo promulgata fuit Evangelica lex. Lex enim Mosaica non prius desit quàm Evangelica cœperit obligare, cum generatio istius sit corruptio illius: juxta illud Apostoli ad *Ephes. 2.* *Legem mandatorum decretis evacuans:* idest, Legem Mosaicam decretis Evangelicis excludens, ut exponunt *Chrysostronus, Theophilaëtus, & Oecumenius* ibidem: atqui lex Evangelica non cœpit obligare ante diem Pentecostes: Ergo ante illum diem lex Mosaica obligare non desit. *Majorem* ut certam supponunt. *Minor* verò probatur: Lex ante sui promulgationem non obligat ut etiam docet S. Thomas qu. 90. art. 4. sed lex Evangelica non fuit promulgata ante Pentecosten: Ergo ante diem Pentecostes obligare non cœpit. *Minor* probatur; Tum quia usque ad tempus Pentecostes Apostoli non proposuerunt

populo publicè Evangelium: Tum etiam, quia quemadmodum lex Vetus non fuit promulgata, nisi quinquagesimo die à paschate Judæorum; ita non debuit Lex nova promulgari, nisi post quinquaginta dies à paschate sive resurrectione Christi.

Promulgationem enim legis Mosaicæ figuram fuisse promulgationis Legis Evangelicæ, docent SS. Patres, maximè S. Augustinus *Epist. 119.* & S. Leo *Sermone 1. de Pentecoste.* Id pariter suadet mira inter utriusque legis promulgationem convenientia. Primò namque sicut lex Mosaica promulgata est die quinquagesimo post Pascha; sic etiam lex Evangelica promulgata fuit die quinquagesimo à Christi Domini Resurrectione, *Aç. 2.* Secundò, sicut illa in monte Sinai, ita hæc in monte Sion promulgata est, juxta illud *Isaia 2. De Sion exhibit lex,* & *Verbum Domini de Jerusalem.* Tertio, quemadmodum in monte Sinai audita sunt tonitrua, & fulgura, & Angelus Dei vices agens apparuit Moysi in medio ignis: Ita hic factus est repente de Cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & apparuerunt dispersitæ linguæ tanquam ignis.

#### CONCLUSIO TERTIA.

**L**ex Mosaica non fuit mortifera statim ac obligandi vim amisit, sed licitum fuit, quamvis non necessarium, aliquo tempore post ejus abrogationem illius præcepta ceremonialia servare.

*Probatum:* Illud non potest censerī mortiferum quod ab Apostolis repletis, & illustratis Spiritu sancto fuit usurpatum: sed post Christi mortem, postque legis Evangelicæ in die Pentecostes promulgationem; imò post ejusdem apud Judæos, & apud Gentes evulgationem, ipsimet Apostoli usurparunt, & frequentarunt legis Mosaicæ præcepta ceremonialia, quamvis ea necessaria observatu non judicarent: Ergo non mortifera fuit legis observantia statim ac mortua ejus fuit obligatio. Major constat. Probatum minor pluribus quidem Apostolorum factis. Primò namque Paulus qui ad *Galat. 2. c.* non est passus Titum Gentilem circumcidi, ne veritati Evangelii præjudicaret; nihilominus *Aç. 16.* Timotheum ex matre Judææ, & patre Gentili natum circumcidit, & *cap. 18.* more Nazæorum totundit caput in Cenchris: & *Cap. 21.* seipsum purificavit cum Judæis ut illos sibi concilia-

ret, & cum ipsis purificatus templum est ingressus.

*Insuper,* S. Jacobus qui *Aç. 15.* iverat in sententiam Petri, scilicet ut non onerarentur gravi jugo legis qui ex Gentilibus ad Christum converterentur idem *Aç. 21.* consilium dedit Paulo ut se cum aliis purificatum sisteret Sacerdoti levitico, nempe ut Judæorum recenter converforum invidiam, & amulationem declinaret; eum enim ex consilio seniorum ita alloquitur, *Vides frater quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, & omnes emulationes sunt legis: audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moysè, eorum qui per Gentes, sunt, Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te supervenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se; his assumptis, sanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita, & scient omnes quia que de te audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.* Quòd autem judicaret Jacobus hanc legis observantiam non esse necessariam, sed tantum licitam, patet ex hisque subjicit, *De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus judicantes ut abstineant ab idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Denique Apostoli etiam omnes in Concilio convenientes *Aç. cap. 15.* statuerunt ut Christiani abstinerent à sanguine, & suffocato; sed abstinentia à sanguine, & suffocato una erat ex cæremoniis legalibus: Ergo Apostoli non judicarunt mortiferam esse veteris legis observantiam, statim ac mortua fuit ejus vis, & obligatio. Hanc autem veritatem clariùs demonstrabit subsequentis quæstiunculæ resolutio.

Quæres, qualis, & quanta fuerit S. Augustini cum S. Hieronymo de legali observantia post Evangelicæ legis promulgationem controversia, & disceptatio.

**R**espondeo 1. Eam quidem gravissimam fuisse, ut constat ex utriusque sancti Patris epistolis ultro citroque hac de re scriptis: Cum enim S. August. Commentarium sancti Hieronymi in Epistola ad Galatas legisset, advertissetque eum contendere, quòd quæ narrantur *Cap. 2.* de reprehensione Petri à Paulo, eo quòd ille legalia usurpa-

ret,

ret, seque à gentilibus Antiochenis recens conversis segregaret, ut viveret Judaicè cum Judæis qui Jerosolimis à Jacobo adveniant: quòd, inquam S. Hieronymus vellet illam reprehensionem non fuisse seriam, sed simulatoriè legalia servasse, ne scilicet Judæis recens conversis foret in scandalum; S. Augustinus id graviter accipiens, ita ad eum scribit Epistola 9. *In expositione epistolæ Pauli ad Galatas invenimus aliquid quod nos multùm moveat: si enim ad Scripturas sanctas admitta fuerint officiosa mendacia, quid eis remanebit autoritatis? quæ tandem de Scripturis illis sententia profereatur, cujus pondere contentiosæ falsitatis subruatur improbitas? Statim enim ut protuleris; si aliter sapit, qui contra nititur; dicit illud, quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum: Quapropter cum illam sententiam sancti Hieronymi pluribus improbasset, dixissetque: Itaque, & ipse ( Petrus ) verè correptus est, & Paulus vera narravit, ne sancta Scriptura, quæ ad finem posteris edita est, admittat autoritate mendacii, tota dubia nutet, & fluctuet. Tandem concludit: Quare arripe, obsecro te, ingenuam, & verè Christianam cum charitate severitatem ad illud opus corrigendum, atque emendandum; & palinodiam, ut dicitur, cane, incomparabiliter enim pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Grecorum.*

Hanc autem Epistolam unà cum duabus aliis ab eodem S. Augustino exaratis cum recepisset S. Hieronymus, graviter quidem, & acerbè tulit, quòd eum ad canendam palinodiam S. Augustinus provocaret: quapropter ad eum rescripsit Epistolam, quæ est numero undecima apud Augustinum, in qua non leviter eundem S. August. carpit, pluribusque suadere nititur Apostolos tantum simulatoriè servasse legalia: & ita S. Paulum reprehendisse Petrum: Unde post plura sic Epistolam concludit, *Peto in fine Epistolæ, ut quiescentem senem olimque veteranum, militare non cogas, & rursum de vita periclitari, tu qui juvenis es, & in Pontificali culmine constitutus, doceto populos, & novis Africa frugibus Romana recta locupleta. Mibi sufficit cum auditore, & lectore pauperulo in angulo Monasterii sussurrare.*

Igitur hujus controversiæ inter utrumque Patrem summa fuit, quòd licet inter se convenirent in tribus, Primò, quòd observa-

tio sive ficta, sive seria, legalium aliquo modo licita fuerit post Christi mortem: *Secundò*, quòd ea non erat necessaria, nec vim, nec efficaciam habebat ad salutem: *Tertiò*, quòd post sufficientem Evangelii predicationem tandem hæc observatio fuit mortifera: Nihilominus in quatuor maximè invicem diffidebant. *Primò* namque S. Hieron. censebat duo esse distinguenda tempora, unum ante Passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, sed adhuc aliquam vim obligatoriam, necnon & expiatiivam suo modo conservabant; nec etiam erant mortifera, quia non peccabant ea observantes: *Alterum* post Passionem Christi, in quo non solum mortua fuerunt legalia, nec ullam obligandi vim, & efficaciam habuerunt sed etiam mortifera fuerunt, ita scilicet quòd peccarent mortaliter quicumque ea observarent: Unde ita S. Augustinus interpellat, *Judeorum Paulus ceremonias observabat, cum jam Christi esset Apostolus, & dicis eas non esse perniciosas iis, qui eas velint sicut à Parentibus acceperant, custodire? Ego è contrario loquar, & reclamante mundo, libera voce pronuntiam, ceremonias Judeorum, & perniciosas esse, & mortiferas Christianis, & quicumque eas observaverint, sive ex Judæis, sive ex Gentibus, eum in baratrum diaboli devolutur. Finis enim legis Christus ad justitiam omniconfidenti, Judeo scilicet, & Gentili; neque enim omni credenti erit finis ad justitiam, si Judeus excipitur. Sanctus autem Augustinus volebat distinguenda esse tria tempora, unum ante Christi Passionem in quo legalia neque mortua erant, neque mortifera: aliud, post tempus sufficientis promulgationis Evangelii in quo legalia mortua sunt, & mortifera, quia videlicet sine mortali peccato ab hoc tempore observari non potuerunt; tertium autem erat tempus medium, scilicet à Passione Christi usque ad Evangelii sufficientem evulgationem quo tempore legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, nec aliquis ea ex præcepto servare tenebatur: non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui ex Judæis conversi fuerant ad Christum, poterant per id tempus legalia servare, dummodo non putarent illa esse necessaria ad salutem: quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset.*

*Secundò*, S. Hieronymus existimabat, quòd Apostoli numquam secundum veritatem servaverunt legalia, sed simulaverunt se ea servasse, ut vitarent scandalum eorum, qui

fuerant ex circumcissione: quod quidem facientes non deludebant alios, quia id prestabant, non animo servandi legalia, sed propter causas alias, veluti si quis nunc abstineret à sanguine, & suffocato, quia id suæ sanitati adversaretur: S. Augustinus cenſebat è contra Apostolos ex animo servasse legalia, non tamen in illis posuisse spem salutis, quasi ad salutem essent necessaria: & hoc quidem fecisse eos, *Non mentientis actu, sed compatiens affectu, nec simulatione fallacie, sed compassione misericordie*. Quæ fiebat ut Apostolus 1. ad Cor. 9. diceret, *Factus sum Judæis tanquam Judæus; ut Judæos lucrificarem*: Hoc est, inquit Augustinus Epist. 9. *fit tanquam egrotus, qui ministrat, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse egrotaret*: Nam utique Judæus erat, Christianus autem factus, non Judæorum sacramenta reliquerat, quæ convenienter ille populus, & legitimo tempore, quo portebat, acceperat; Ideoque susceperat ea celebranda, cum jam esset Christi Apostolus, ac doceret non esse pernicioſa iis, qui ea vellent sicut à Parentibus per legem acceperant, custodire, etiam cum Christo credidissent: non tamen in eis jam constituerant spem salutis, quoniam per Dominum Jesum salus illa, quæ illis sacramentis significabatur, advenerat.

Tertiò, S. Hieronymus existimabat quòd Petrus in simulatione ista, qua dicitur coegisse Gentes Judaizare, non docentis imperio, sed conservacionis exemplo, inquit S. August. quod, inquam, S. Petrus per hanc inductionem non peccavit; quia hoc faciebat ex motivo charitatis, ne scilicet Judæis foret in scandalum. Sanctus autem Augustinus contra cenſebat peccasse S. Petrum, venialiter tamen, propter scilicet parùm discretam adhesionem parti Judæorum ad vitandum scilicet eorum scandalum. Hinc S. Hieron. S. Augustinum à sua sententia non multum discedere putavit, ita scribens, *Nec multum interest inter meam, & tuam sententiam; quia ego dico, & Petrum, & Paulum, timore fidelium Judæorum, legis exercuisse, imò simulasse mandata: Tu autem asseris eos fecisse clementer, non mentientis astu, sed compatiens affectu, dummodo illud constet, vel metu, vel misericordia eos simulasse esse, quod non erant*.

Quartiò denique S. Hieron. existimabat, quod Paulus verè non reprehendit Petrum,

sed simulatoriè tantum, sicut ipsemet Petrus dumtaxat simulatoriè servabat legalia, ita quòd sicut Petrus nolens scandalizare Judæos, simulabat se legalia servare; sic Paulus ut non scandalizaret Gentes, voluit Petrum arguere, quibus significaret se non probare, quod Petrus faciebat, sicque conventionem, & pacto uterque fidelibus sibi commissis providebat: Petrus quidem Judæis, Paulus verò Gentilibus. S. autem August. è contra cenſebat Paulum verè reprehendisse Petrum, non autem simulatoriè: & licet Petrus venialiter peccaverit servando legalia, quia inde erat scandalo apud Gentiles, à quibus se substrahebat: Paulus tamen non peccavit reprehendendo Petrum, quia ex ejus reprehensione nullum scandalum oriebatur. His ita præmissis,

Respondeo 2. quòd Apostoli legalia ficto, atque simulato animo non observaverunt, imò nec observare potuerunt. Hujus responsi prior pars constat ex dictis; & insuper probatur, quia nullum talis simulationis extat argumentum in Scripturis, imò contrarium colligitur ex eo, quòd Paulus de consilio Jacobi, & seniorum sanctificavit se cum quatuor viris, Cujus quidem consilii motivum erat, ut ostenderet hoc ritu Paulus se non docere discessionem à Moyse unde subiciebat Jacobus, *Et scient omnes quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt: sed sequeris hoc ipse custodiens legem*. Consilium autem illud non fuit datum Paulo, ut simulatè tantum se cum viris quatuor sanctificaret; sed ut se sanctificaret simpliciter; Nam, inquit S. Augustinus epistola 19. *Si revera sic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat, & ideo celebranda susceperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam: non diceret Jacobus, & scient omnes: sed diceret, & putabunt omnes, quoniam, quæ de te audierunt, falsa sunt: præsertim quia in ipsis Hierosolymis Apostoli jam decreverant, ne quisquam Gentes cogeret judaizare; non autem decreverant ne quisquam tunc Judæos judaizare probiberet, quamvis etiam ipsos judaizare doctrina Christiana non cogeret*.

Patet etiam secunda pars responsi: Id enim licitè fieri non potest quod annexum haberet mendacium, irreligionem & scandalum: sed tria hæc in simulata observacione legalium ab Apostolis reperta fuissent. Mendacium quidem, toties enim cenſetur quis menti,

tiri, quoties assumit falsa signa ad insinuandam falsam opinionem cum intentione fallendi: atqui si Apostoli simulato animo servassent legalia, usurpassent falsa signa ad insinuandam falsam opinionem cum intentione fallendi: nam usi fuissent legalibus, ut persuaderent se per illa legalia colere religiosè, cum tamen non esset illis animus tali cultu Deum colendi: Ergo reverà mentiti fuissent. Fuisset pariter irreligio in ipso facto: Tunc enim est irreligio, quando quis assumit ritus falsæ religionis eo animo, ut alii credant, se illam falsam religionem tamquam veram sectari: unde peccatum est contra religionem fumere etiam signa distinctiva externa pseudoreligionis: Hinc pluri mi inter Martyres habentur, atque coluntur à fidelibus; quia thus idolis noluerunt adolere: Hoc autem si animo simulato licitum fuisset agere, non tamquam Martyres venerationem; sed tamquam homicidæ contemptum, atque maledictionem hominum promeruisset; quapropter lib. 2. Machab. cap. 6. jure merito Eleazarus senex cum ab amicis sollicitaretur, ut simularet se manducasse carnes porcinas, sicut Rex imperaverat, ut hoc facto à morte liberaretur; generoso animo respondit, dicens; *mitti se velle in infernum: Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere; ut multi adolescentium arbitantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum; & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque execrationem mee senectuti conquiram: Sed si Apostoli simulato animo legalia mortifera servassent, assumpsissent ritus falsæ religionis eo animo ut alii crederent se illam falsam religionem tamquam veram fuisse sectatos. De scandalo denique probatur: Is dat scandalum alteri, qui confirmat illum suo exemplo in mali operatione, vel inducit alios exemplo suo ad malum faciendum: Atqui si mortifera erant legalia tempore Apostolorum, ante sufficientem ipsius Evangelii evulgationem, Apostoli exemplo suo confirmassent Judæos in observatione legalium, quæ erant mala, quandoquidem erat mortifera. Exemplo quoque suo provocassent Gentiles ad similem observationem, qui meritò credidissent sibi ex religione usurpandum quod usurpatum agnovissent ab Apostolis. Neque verò scandalum dederunt Apostoli quando ex animo ea observaverunt. Non Judæis,*

*Frasen Theol. Tom. VI.*

quibus videntibus ea significabant se ideò usurpare, non quasi necessaria essent salutis consequendæ, sed ut cum honore deducerent ad tumulum Synagogam, neque detestari sicut idololatria detestanda est, cum illa fieri Deus præceperit, hanc satanas persuaserit: & quòd ut tamquam necessaria non debent appeti, ita neque damnari debent tamquam sacrilega. Non Gentilibus, quia illis significabant se ideò honorem impendere Deo tali cultu, quòd ipsi ex Judæis assumpti essent, apud quos non vigeat lex vetus, bona erat tum cum observabant, modò mortua, sed non mortifera, cum è contra cultus idolorum semper mortem inferat.

*Confirmatur* 1. quia ratio quare nunc non licet simulato etiam animo servare legalia, alia non potest afferri, nisi quòd nunc sunt mortifera: Ergo si tempore Apostolorum ante divulgationem Evangelii fuerunt mortifera, ne quidem simulato animo licuit Apostolis ea servare: *Secundò*, quia non licet Gentilismum simulare, quia est aliquid mortiferum: Ergo neque à pari licuit Apostolis Judaismum mortiferum simulare. Hanc autem rationem urget S. Augustinus epist. 19. *Cur, inquit, mihi non licet dicere Apostolum Paulum, & alios rectæ fidei Christianos, tunc illa vetera Sacramenta paululum observando veraciter commendare debuisse? deputarentur illæ Prophetice significationis observationes à piissimis patribus custodite, tamquam sacrilegia Diabolica à posteris detestande: jam enim cum venisset fides, quæ prius illis observationibus renuntiata, post mortem, & resurrectionem Domini revelata est, amiserunt tamquam vitam officii sui, verumtamen sicut defuncta corpora necessariorum officii deducenda erant quodammodo ad sepulturam; nec simulatè, sed religiosè, non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtreccionibus tamquam canum morsibus objicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare voluerit, tamquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed impius sepulture violator.*

*Dices cum S. Hieronymo: Legalia, aut bona erant, & salutem afferentia, aut non; si salutem non afferunt, cur observantur? si autem observanda sunt, utique salutem afferunt, maximè quæ observata martyres faciunt: non enim observarentur, nisi salutem afferrent; neque enim indifferentia sunt inter bonum, &*

H

,, ma-

malum, sicut Philosophi disputant: bonum est continentia, malum est luxuria; inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi ster cora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jaccere. Hoc nec bonum, nec malum est, sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam. Observare autem legis ceremonias, non potest esse indifferens, sed aut malum est, aut bonum est: tu dicis bonum, ego asfero malum, & malum non solum his, qui ex Gentibus, sed & his, qui ex Judaico populo crediderunt. In hoc (nisi fallor) loco dum aliud vitas, in aliud devolveris. Dum enim metuis Porphyrium blasphemantem in Hebionis incurris laqueos his qui credunt ex Judeis, observandam legem esse decernentis.

Respondet S. Augustinus Epist. 19. præcepta legalia statim post Christi Domini mortem potuisse dici nec bona, nec mala. Cur autem, inquit, non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines justificantur, umbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, qua justificamur; nec tamen mala, quia divinitus præcepta sunt temporibus, personisque congruentia: cum me adjuvet etiam Prophetica sententia, qua dicit Deus se illi populo dedisse præcepta non bona: forte enim propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est, non talia ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant. Vellem me doceret benigna sinceritas tua, utrum simulatè quiscumque sanctus Orientalis, cum Romam venerit jejuret Sabbato, excepto illo die Paschalis Vigilæ? Quod si malum esse dixerimus, non solum Romanam Ecclesiam, sed etiam multa ei vicina, & aliquanto remotiora damnabimus, ubi mos idem tenetur, & manet. Si autem non jejurare Sabbato malum putaverimus, tot Ecclesias Orientis, & multo majorem orbis Christiani partem, qua temeritate criminabimur? Placet ne tibi, ut medium quiddam esse dicamus, quod tamen acceptabile sit ei, qui hoc non simulatè, sed congruente societate absque observantia feceris? Et tamen nihil inde legimus in Canonicis libris præceptum esse Christianis: Quanto magis illud malum dicere non audeo, quod cum præcepisse ipsa Christiana fide negare non possum: quia

didici non eo justificari, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? Dico ergo circumcisionem præputii, & cætera hujusmodi priori populo per testamentum, quod vetus dicitur, divinitus data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri, quibus adventibus remansisse illa Christianis legenda tantum, ad intelligentiam præmissæ Prophetiæ, non autem necessario facienda, quasi adhuc expectandum esset, ut veniret fidei revelatio, quæ his significabantur esse ventura. Sed quamvis gentibus imponenda non essent, non tamen sic debuisse auferri à consuetudine Judæorum tamquam detestanda, atque damnanda. Sensim proinde atque paulatim fervente sana prædicatione gratiæ Christi, qua sola nosset credentes se justificari, salvosque fieri, non illis umbris rerum antea futurarum, tunc jam venientium, atque præsentium, ut in illorum Judæorum vocatione, quos præsentia carnis Domini, & Apostolica tempora sic invenerant, omnis illa actio consumeretur, umbrarum hoc eis sufficisse ad commendationem, ut non tamquam detestanda, & similis idololatriæ vitaretur, ultra verò non haberet progressum tamquam vel ab illa salus esset, vel sine illa esse non posset. Quod putaverunt hæretici: qui dum volunt, & Judæi esse, & Christiani, nec Judæi, nec Christiani esse potuerunt; quorum sententiam mihi cavendam, quamvis in ea nunquam fuerim, tamen benevolentissimè admonere dignatus es.

In hoc enim videtur S. Hieronymus S. Augustini mentem non fuisse assequutus in prioribus Epistolis: ex eo enim, quod S. Augustinus assereret legalia fuisse licitè usurpata ab Apostolis; inde existimat S. Hieronymus, quod etiam vellet ea adhuc fore licita post sufficientem Evangelii promulgationem; propterea quod tempus non determinaverat Augustinus quo licitè fieri posset Legalium observatio, ut ipsemet indicat Epist. 19. dicens: Fateor sanè in eo, quod Epistola continet mea, quod ideo sacramenta Judæorum Paulus celebranda suscepit, cum jam Christi esset Apostolus, doceret non esse perniciofa his, qui ea vellent sicut à parentibus per legem acceperant custodire, minus me potuisse illo dumtaxat tempore, quo primum

fidei

„ fidei gratia revelata, est, tunc enim hoc  
 „ non erat perniciosum; progressu verò  
 „ temporis erat perniciosum, nisi illè ob-  
 „ servationes ab hominibus Christianis de-  
 „ sererentur: ne si tunc fierent, non di-  
 „ scerneret, quòd Deus populo suo per  
 „ Moysen præcepit ab eo, quod in tem-  
 „ plis Dæmoniorum spiritus immundus,  
 „ &c. Proinde potius culpanda est negli-  
 „ gentia mea, quia hoc non addidi, quam  
 „ objurgatio tua.

Quæres 2. *An Petrus verè fuerit reprehensibilis, & verè non autem simulatè à Paulo reprehensus.*

**A**ffirmo; idque probatur primò ex 2. cap. ad Galatas, ubi S. Paulus ait: *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et postea: *Cùm vidiissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae &c.* Quibus quidem verbis præmiserat. 1. cap. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Nam si verum est in Scriptura sacra nihil falsi contineri, verum est Petrum meritò reprehensibilem fuisse, & verè à Paulo reprehensum. Unde Augustinus Epist. 19. *Si hoc fecit Petrus, quod facere debuit, mentitus est Paulus, quòd eum viderit non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii. Quisquis enim facit, quòd facere debet, rectè utique facit, & ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non rectè fecisse, quòd eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est, quòd Petrus non rectè ingrediebatur ad veritatem Evangelii: Id ergo faciebat, quòd facere non debebat. Et si tale aliquid Paulus ipse jam fecerat, correptum potius credam Coapostoli sui correptionem non potuisse negligere, quam mendaciter aliquid in sua Epist. posuisse: Et si hoc non in Epistola qualibet, quantò magis in illa, in qua prælocutus ait: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.*

Probatur secundò; quia ille reprehensibilis est, qui exemplo suo inducit alios ad faciendum id, ad quod non tenentur tanquam ad illud tenerentur, sicque illis est causa scandali: atqui Petrus exemplo suo gentes inducebat ad judaizandum, quasi verò illud esset necessarium, quòd tamen necessarium non fuisse illis, statutum fuerat in Concilio Apostolorum: nam resita se habebat: Petrus cum Gentilibus conversis ad fidem conversabatur, utens in-

differenter cibus illorum, idque instinctu Spiritus sancti, qui dixerat, ei: *Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris.* Act. 10. Cùm autem ad eum accessissent postea Judæi à Jacobo zelantes pro legalibus, subtraxit se à Gentibus, seque ab eis segregavit, quia timebat Judæos istos, simulans se in illorum sententia esse: exemplo illius Barnabas, cæterique Judæi, qui erant Antiochiæ, discreverunt quoque se à Gentilibus in cibo. Tunc commoti sunt Gentiles, quasi jugum legis ipsi imponeretur: unde Apostolus Petro, *Si tu cum Judæis sis gentiliter vivis, & non judaicè, quomodo gentes cogis judaizare?* Non quidem imperio, sed suæ conversationis exemplo. Hinc reprehensionis occasio, quia cùm Petrus instructus esset à Deo de non discretione ciborum facienda, contrarium tamen simulabat: inde sequebatur scandalum Gentilium.

*Objicies 1.* Hoc contigit post acceptam gratiam Spiritus sancti ab Apostolis die ipso Pentecostes: ab eo verò tempore nullo modo peccaverunt Apostoli: Ergo falsum est, quòd Petrus tunc fuerit reprehensibilis: nam reprehensibilis nemo est, nisi propter peccatum.

*Respondeo,* à die, qua acceperunt Apostoli Spiritum sanctum, non amplius peccasse illos mortali peccato; quia fuerunt confirmati in gratia: cæterum peccasse venialiter, quia non fuerunt confirmati in bono. Peccatum verò S. Petri fuit *veniale conversationis vitium, non doctrinæ*, ut loquitur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 3. *superstitiosæ simulationi, ex qua sequebatur gentilium scandalum.*

*Objicies 2.* Non est verisimile Paulum id ex animo arguisse in Petro, quòd ipse censerat posse fieri legitime, immo & fecerat: sed Paulus offensionis Judæorum metu observaverat legalia, factusque fuerat Judæus Judæis & omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret, *Qua igitur fronte, inquit S. Hieron. qua audacia Paulus in alio reprehendat, quòd ipse commisit? Hinc præmiserat, O Beate Apostole Paule, qui in Petro reprehenderas simulationem qua subtraxit se à gentibus propter metum Judæorum, qui à Jacobo venerant, cur Timotheum, filium hominis gentilis, utique, & ipsum gentilem, neque enim Judæus erat, qui non erat circumcisus, contra sententiam tuam circumcidere cogis? Respondebis mihi, propter Judæos, qui erant in illis*

leis. Qui igitur tibi ignoscis in circumcissione discipuli venientis ex gentibus, ignosce & Petro prædecessori tuo, quod aliqua fecerit metu fidelium Judæorum.

Respondet S. August. non fuisse parem utriusque Apostoli legalium observationem; Nam, inquit, Petrus illa servavit mentientis astu: Paulus verò compatiens affectu; nam Paulus circumcidit Timotheum, ne Judæis, & maximè cognationis ejus maternæ sic viderentur, qui ex gentibus in Christum crediderant, detestari circumcissionem, sicut idololatria detestanda est: cum illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas persuaserit: & Titum propterea non circumcidit, ne occasionem daret eis, qui sine ulla circumcissione dicebant credentes salvos esse non posse, & ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum sentire jactarent. Itaque Paulus hæc omnia præstitit compatiens affectu, ne scilicet Judæis, aut gentibus foret in scandalum; Petrus verò non ita, sed id præstitit, ut simularet se cum Judæis zelare legis, & legalium observantiam; nam, inquit S. Thom. q. 103. art. 4. ad 2. Non peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc ei licebat tanquam ex Judæis converso; sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam adhiberet nimiam diligentiam, ne scandalizaret Judæos, ita ut ex hoc sequeretur scandalum gentilium: at Paulus adhibebat moderatam circa legalia diligentiam, quia usurpabat tantum illa, ut non videretur damnare Synagogam, atque ut eandem cum honore sequebatur.

Objicies 3. Inferior non potest licitè superiorem arguere: sed Paulus erat inferior Petro, qui Apostolorum princeps à Christo fuerat institutus, ut alios confirmaret, Ergo &c.

Respondet S. August. Epistola 19. inferiorem non posse quidem superiorem arguere reprehensione, quæ fiat per auctoritatem, concedit: quæ fiat libertate charitatis, negat. Verba ejus sunt, Ipse verò Petrus quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta, ac benigna pietate humilitatis accepit, atque sanctius, & rarius exemplum posteris præbuit, ut non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter audent etiam minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate salva fraterna charitate resistere. Est laus itaque justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro. Hoc fanè

exemplo motus Augustinus circa finem eisdem Epistolæ, ita S. Hieron. precatur, Idem tamen rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris; quamquam enim secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licet etiam à minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.

Petes utrum ille qui reprehensus est à Paulo, fuerit reverà Petrus Apostolorum princeps: an alius quispiam, siquidem non nominatur ibi Petrus, sed Cephass.

Respondeo 1. illum Cephass à Paulo reprehensum aliquibus videri unum esse ex 72. discipulis. Ita censent Dorotheus in Synopsi, & Clemens Alexandrinus apud Eusebium l. 1. Histo. c. 12. Eo autem fundamento nituntur, quod S. Lucas in Act. Apost. non referat adventum Petri Antiochiam, in qua tamen civitate erat ille, qui reprehensus est à Paulo.

Respondeo 2. Verius apparere illum Cephass à Paulo reprehensum reverà fuisse Petrum Apostolorum principem; quia hic Cephass, qui reprehensus fuit, unà, & Jacobus, & Joannes, dicuntur ibidem esse Ecclesiæ columnæ, & dedisse dexteras Paulo, ac Barnabæ: non videtur autem alius à Petro Apostolorum principe adjungi Jacobo, & Joanni posse, ut cum eis dicatur columnæ, qua maximè Ecclesiæ fulticiebatur, subindeque verior apparet aliorum sanctorum Patrum sententia existimantium illum Cephass reverà fuisse Petrum Apostolorum principem.

### ARTICULUS TERTIUS.

#### De lege Evangelica.

**L**egem Evangelicam pluribus gloriæ titulis illustrem, quibus supra Mosaicam celebratur nemo est, qui nesciat. Primò namque à SS. PP. Lex nova appellatur, juxta illud Apostoli 2. ad Corint. 5. Vetera transierunt, ecce omnia facta sunt nova. Unde Chrysost. ibidem ait: Rerum vices jam mutatae sunt, ut & anima nova, & corpus novum, & novum orationis genus, & pollicitationes novæ, & Testamentum, & vita, & mensa, & vestis, & ut uno verbo dicam, omnia nova. Cui concinit Gregorius Homil. 22. in Evangelia Novus, inquit, homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo, & vite nostræ veteri contraria-



ratem opposuit novitatis suæ. Quod utique ipse Christus confirmavit dum Apostolos alloquens Joan. 13. ait: *Mandatum novum do vobis, quæ licet de mandato amoris specialiter dicta fuerint, meritò tamen ad totam legem Evangelicam extenduntur; quæ in hoc à veteri fecernitur, quòd illa timoris, hæc amoris lex sit. Nam, inquit August. 1. adversus Adimantum c.17. Hæc est brevissima, & apertissima differentia duorum Testamentorum; timor, & amor, quod utique S. Paulus observaverat ad Rom.8. scribens, Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, qui est spiritus dilectionis, ut idem Paulus dicit 2. ad Tim. 1.*

Secundò eadem lex, Evangelica appellatur; quia, ut ait Author Operis imperfecti in Matth. *Evangelium est bonum nuntium: bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo cælestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum; mortuorum resurrectio, immortalis vita, hæreditas regni cælestis, possessio gloriæ sempiternæ, societas Angelorum, & communicatio spiritus, & fraternitas Christi, & paternitas Dei.*

Tertiò interdum appellatur *lex fidei* ad Rom.8. propter videlicet majorem expressionem, & determinationem mysteriorum Dei, & articulorum fidei erga sanctam Trinitatem, Verbi incarnationem &c. Unde Christus Dominus Apostolos alloquens Marci. 4. ajebat; *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, illis autem, qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt, ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant.* Et idem Christus Dominus Joan. 15. ipsis pariter Apostolis dicebat: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Vocatur etiam *lex spiritus vitæ* ad Rom.8. seu *lex gratiæ*; nam gratia est spiritus vitæ nostræ, vel vita spiritus nostri; imò solet interdum Evangelica lex, *gratia* simpliciter appellari, juxta illud Joan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est:* & ideo Paulus ad Galat. 5. dixit: *Non estis sub lege, sed sub gratia.*

De hac autem Evangelica lege nonnulla hic occurrunt resolvenda. Primum, an, & qualiter Christus novam legem instituerit. Secundum, quanta, & qualia hæc nova lex habeat præcepta. Tertium, quos

complectatur effectus, quibusve præcellentius effulgeat.

### QUÆSTIO PRIMA.

An, & qualem novam legem Christus instituerit.

**N**otandum 1. Eamfuisse Hæresiarcharum posterioris hujus sæculi impiam, & absurdam sententiam, ut assererent Christum Dominum non esse verum legislatorem, nec eum novam aliquam legem condidisse, sed solum à lege veteri nos liberasse. Ita sensit Lutherus L. de libertate Christiana, ubi ait: *Nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est: cum per fidem sit liber ab omni lege.* Eundem errorem evulgavit Calvinus, nam exponens illud Apostoli ad Galat. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret* &c. sic exclamat: *O miserabilem, inquit, justitiam! ò perniciosum errorem prædicantium Christum novum legislatorem. Quasi veterem legem abrogaverit, ut novam Christianis omnibus legem imponeret. Non fuit id Christi officium, sicut ipse dixit, Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et alio loco: *Ego, inquit, non judico quemquam. Non habuit profectò Christus id operis, ac muneris, ut novam institueret legem, sed ut ab hominum cervicibus servile illud legis jugum auferret. Hoc illud est, quod Paulus clamat, Deum misisse filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Nostri verò novitii Theologi, divino adversantes consilio, pro Liberatore Legislatorem, qui nos in durissimam tradat servitutem, suscipiendum dacent. Hujus autem malè feriatu capitis ut vesaniam compescamus evidentiùs,*

Notandum 2. Duo maxime esse legis cuiuslibet munia; nempe *dirigere, & præcipere:* dirigit, inquam, creaturam rationalem ad finem sibi congruum per media convenientia, quæ præscribit, dum ad bonum stimulat, & revocat ab eo, quod inhonestum, & malum est: *præcipit* autem quæ judicat esse necessaria; ut finis ille honestus, & debitus possit obtineri. Concedunt quidem hæretici Novum Testamentum habere quidem rationem legis directive, ipsique quadrare quod Regius Vates ait, *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium fidele, sapientiam præstans parvulis.* Est enim imma-

culata; cum nihil pravum, aut suadeat, aut permittat *convertens animas*, quòd nedum externos hominum motus, sed internos etiam, intimosque animi sensus regat: *testimonium fidele*, quòd nulli errori obnoxia sit: *sapientiam præstans parvulis*, quòd hominem sub nativæ legis Mosaicæ, & aurora, velut adhuc cœcutientem divina fidei luce illustret, & ad æternam beatitudinem vocet, ac promoveat. An autem Evangelica lex etiam sit præceptiva, & fidelibus aliqua mandata sub peccato, & interminatione æternæ damnationis fidelibus præscribat, controversia est hic determinanda.

*Notandum* 3. quod etsi nova lex ea ratione dici possit à mundi exordio instituta, quatenus quotquot iustifuerunt ad Novum Testamentum spectabant, nec nisi per gratias intuitu meritorum Christi concessas iustificati fuerint, ut significat Apostolus *Primæ ad Corinth.* 10. ubi patribus veteris Testamenti ait, *Omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali consequente eos petra: Petra autem erat Christus.* Quocirca idem ad *Hebræos* 13. dicit *Christus heri, & hodie, & in sæcula*; Hoc est licet Christus apparuerit tantum in medio temporum, nihilominus omnes cujusvis temporis justos sua fidei luce illustravit, & gratia ditavit. Licet, inquam, hac ratione Evangelica lex censerì possit ab initio condita, tamen certum est ipsam non nisi per Christum fuisse in medio temporum institutam, & promulgatam, tum quantum ad sua præcepta, tum respectivè ad gratiam Spiritus sancti, necnon & beneficiorum abundantiam. Cur autem ante id tempus non inceperit, triplex proferri potest ratio. *Primò*, quia gratia non debuit abundanter dari antea quam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum: Unde Joan. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus.* Et Roman. 8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato, damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis.* *Secundò*, quia quod est perfectum non debuit dari ab initio, sed prius quod est imperfectum tanquam dispositivum ad illud. Et hæc est ratio Apostoli ad Galat. 3. *Lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.* *Tertiò* quia lex nova est lex gratiæ: & ideo oportuit primò, quòd homo relinquere sibi in statu veteris legis, ut in pec-

catum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere: & hanc rationem assignat Apostolus ad Rom. 5. dicens *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.*

#### CONCLUSIO UNICA.

**C**hristus Dominus reverà instituit *Novam Legem, non solum directivam, sed etiam præceptivam.* Hæc est de fide contra hæreticos. Probatur primò variis Scripturæ testimoniis, quibus in veteri Testamento Messias promittitur venturus ut legislator, & novæ legis conditor. Sic Jeremiæ 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, &c. dabo legem meam in visceribus eorum.* Quæ verba de Christo, ejusque fœdere, & lege dicta esse interpretatur Apostolus ad Hebræos 8. & 10. Item Isaïæ 2. sic dicitur: *Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quæ de Messia, ejusque lege dicta esse, ex ipso textu manifestum est. Et cap. 3. de eodem Messia, sic ait: *Dominus iudex noster, Dominus legis noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* Idem constat ex Novo Testamento; nam Christus passim loquitur de sua lege: Joan. 14. *Mandata mea servate.* Joan. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Matth. 28. *Docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Et Paulus 1. ad Corinth. 9. *Illis qui sine lege erant, factus sum tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et ad Hebræos 2. confert inter se Christum, & Moysen, & tanquam duos legislatores, alterum Veteris, alterum Novi Testamenti; & ait: *Si transgressores legis à Moysè datæ puniti sunt, multo magis transgressores legis à Christo puniendos esse.* Quapropter meritò Tridentinum Sess. 6. Canon. 21. sic pronuntiat: *Si quis dixerit Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

Probatur insuper hæc veritas ratione. Ad providentiam, & prudentem administra-

tionem supremi regis, ac summi Pontificis pertinet leges condere, quibus & regnum pacatè, tranquillè regatur, & subsistat, & debitus Deo cultus impendatur: at Christus fuit Ecclesiæ summus Pontifex, totiusque mundi supremus Monarcha: Ergo utroque titulo etiam legislator esse, & leges ferre debuit. Major constat: nullum enim regnum, nullave communitas perfecta, civilis, aut Ecclesiastica potest sine certis legibus convenienter gubernari, & stabiliter conservari, atque ad finem notum est. Minor verò constat ex ipsa Scriptura sacra, quæ Christum Regem esse proficitur simul ac summum Pontificem. Regem, inquam, sic Psal. 2. David in Messia persona vaticinans ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Quæ verba de Christo interpretatur Apost. ad Hebræos 5. & Lucæ 1. Angelus Virgini Mariæ incarnationem Verbi divini in ipsa faciendam ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Fuit pariter pontifex, ut constat ex Psal. 109. qui totus est de Messia, ut ipsemet Christus exposuit Matth. 22. De ipso itaque dicitur *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod etiam specialiter de Christo dictum esse affirmat Apost. ad Hebræos 5. & cap. 4. prius dixerat: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei.* Cum igitur Christus Ecclesiam instituerit ut novum regnum spiritale, cujus ipse Rex simul, & summus Pontifex est, debuit leges instituere, quibus ritè administrari, & ad finem propositum, nempe salutem æternam promoveri possit.

Quapropter merito Concil. Trid. Lutheri ac Calvinii errorem proferens, ita statuit Sess. 6. can. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

*Objiciunt 1.* Hæretici, Novum Testamentum in hoc Veteri opponitur, quòd qui verè sub novo sunt, non sunt sub lege, sed sub gratia: unde Joan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia autem, & veritas per Jesum Christum facta est:* Ergo Moyses fuit equidem legislator, non autem Christus, qui nullam legem statuit; sed solùm gratiam, & justificationem nobis promeruit.

*Nego consequentiam;* & ad antecedens dico; ideo gratiam dici per Christum factam, legem verò datam per Moysen; non quòd Christus nullam legem tulerit, sed quòd non dederit legem nudam sine ulla gratia, ut Moyses dederat Judæis legem, quæ jubebat, non juvabat, minabatur, non opitulabatur, languores ostendebat, non sanabat: Christus autem dedit nobis legem eam gratiæ, id est, legem præcipientem quæ faciendæ sunt, & subministrantem auxilia, quibus fiant.

*Objiciunt 2.* Illud Apost. ad Rom. 6. *Non estis sub lege sed sub gratia.* Nec non & illud ad Galat. 5. *Si spiritu ducimini non estis sub lege;* Sed fideles ducuntur spiritu; subindeque non sunt sub lege.

*Respondeo,* Apostolum illis verbis sermonem facere de lege Mosaica, cui legem gratiæ opponit in eo, quòd præcipiebat, & non juvabat: secus est autem de lege Evangelica, quæ gratiam confert, qua interius juvatur ad servandum quæ præcipit, vel, ut inquit S. August. 1. de continentia c. 3. *Non sumus sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante: sed sumus sub gratia, quæ id quod lex jubet, faciens nos amare, potest liberis imperare.* Ad alterum autem Pauli contextum, dico eum pariter loqui de lege Mosaica, quàm tota illa Epistola ostendit non amplius vigere: nam cap. 4. ait, *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? &c.* Et cap. 3. *Lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub Pædago.* Igitur censet Apostolus, quòd licet fideles teneantur ad vitanda peccata, non tamen ad id tenentur vi legis Mosaicæ, sed virtute legis naturalis, & legis Evangelicæ conferentis spiritum gratiæ.

*Objiciunt 3.* Illud 2. ad Cor. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas,* scilicet ab obligatione legis; sed fideles habent spiritum Domini; Nam, inquit Apost. *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, &c.* Quapropter Novum Testamentum ad Galat. 5. & Jacobi 1. vocatur *Lex libertatis:* Ergo fideles nulli legi subjiciuntur.

*Respondeo* Apostolum per legem libertatis intelligere exemptionem à lege Mosaicæ, quæ erat lex cogens, & terrens, accusans, & dampnans, à qua reverà liberantur, qui spiritu Christi ducuntur, tametsi sub lege Evangelicæ degant. Quapropter per an-

nexum divinitus auxilium, fit ut fideles sponte, & liberaliter, & spiritu faciant ea, quæ lex imperat: unde potius videntur esse supra legem, quam sub lege, ut exponit S. Chrysofost. in illa verba 1. ad Timoth. 1. *Iusto non est lex posita*. Hinc S. August. in Psalm. 1. circa versum secundum. *Iustus, inquit, non est sub lege; quia in lege Domini est voluntas ejus. Qui enim in lege est, secundum legem agitur; ille ergo liber est, iste servus*, Ambrosius lib. 3. offic. cap. 5. *Lex iusto non est posita, sed iniusto, quia iustus legem habet mentis sue, & æquitatis, ac iustitiæ suæ normam*.

*Obijciunt* 4. Lex nova vocatur Evangelium, eo quod vitam æternam promittat sub conditione fidei solum, cum è contrario lex vetus eam non promitteret, nisi sub conditione observationis mandatorum, juxta illud Ezech. 20. *Qui fecerit ea, vivet in illis*.

Respondeo legem Evangelicam vocari Evangelium synecdochicè, non quia vitam æternam promittit sub conditione fidei solum; sed quia, ut supra diximus cum auctore Operis imperfecti in Matth. *Evangelium est bonum nuntium; bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis: beatitudo celestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita, hæreditas regni celestis, possessio gloriæ sempiternæ, societas Angelorum, & communicatio spiritus, & fraternitas Christi, & paternitas Dei*. Hæc autem promissio, & constitutio authentica præmii est lex, & pars totius legis Evangelicæ, sicut comminatio, & constitutio authentica pœnæ est lex pœnalis.

Petes in quo igitur consistat libertas Christiana.

Respondeo; Non consistere in eo, quod simus liberi ab observantia præceptorum Dei, sed primò, in libertate à servitute peccati, & morte, juxta illud Joan. 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati: Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis*. Et ad Rom. 6. *Liberati à peccato, servi facti estis iustitiæ*. Secundò, in libertate à iugo legis cæremonialis, & judicialis Judæorum: ad Galat. 4. *Quomodo iterum convertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuò servire vultis? Tertiò, in libertate à dominio, & reatu legis etiam naturalis. Ad Rom. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia*. 2. ad Cor. 3. *ubi spiritus Domini, ibi libertas*.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Qualiter nova lex præscripta fuerit, & quæ præcepta contineat.*

**N**otandum 1. In nova lege duo esse potissimum distinguenda. Unum quidem *primarium*, & *principale*, nempe Spiritus sancti gratiam, quæ Christi fidelibus conceditur, qua nempe justificantur, & ex animo implent, quæ sibi ad vitam æternam consequendam præscribuntur, juxta illud Apost. ad Rom. 8. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati, & mortis*. Hæc autem gratia abundantissimè nobis per Christum concessa est, siquidem de ejus plenitudine omnes nos accepimus, & charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Aliud autem est *secundarium*, & *minus principale*, qualia sunt ea omnia, quæ disponunt ad gratiam, aut ejus usum spectant. Quæritur ergo, an utrumque fuerit scriptis exaratum, vel cordibus nostris divinitus inscriptum.

Notandum 2. Tria posse cogitari præcepta legis Evangelicæ: nempe Cæremonialia, Moralia, & Fidei: *Præcepta cæremonialia* legis Evangelicæ vocantur ea, quæ pertinent ad sacramenta, & ad sacrificium Eucharistiæ, ad sacerdotium, & jurisdictionem Ecclesiasticam, cultumque Dei externum. Cujusmodi est illud de baptismo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Joan. 2. & illud de Eucharistia: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*. Joan. 6. & de Sacramento Pœnitentiæ; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Joan. 20. & de sacrificio Eucharistico: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ad moralia verò spectant ea omnia præcepta, quæ ad mores probè instituendos Christus præscripsit, maximè verò præcepta Decalogi, quæ innodavit, dum dixit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Ad præcepta autem fidei pertinent ea omnia, quæ fidem, vel suscipiendam, vel servandam, vel profitendam spectant. Sic Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*.

Notandum 3. Inter hæc triplicis generis præcepta hoc discrimen esse statuendum, quod Moralia cum sint juris naturalis, non fuerunt à Christo instituta, sed tantum expli-

cata; & vindicata ab erroribus, quibus ex hominum malitia fuerant involuta. *Sacramentalia* verò, & ceremonialia instituta sunt à Christo, ut essent loco veterum, quæ ab ipso abrogata sunt. Præcepta verò *fidei* de novo instituta non sunt, sed tantum ex implicitis facta fuerunt magis clara; ita ut nunc explicitè mysteria quædam credere teneamur, quæ in lege veteri dumtaxat implicitè credebantur: cujusmodi sunt natiuitas, passio, & mors Christi, quæ à Judæis obscure credebantur, sed expressè creduntur à Christianis.

His præsuppositis duo sunt determinanda. *Primum* quidem, an Evangelica lex fuerit per se primò scripta, tam quoad id, quod principaliter importat, nempe gratiam, & charitatem, qua movemur, & incitatur ad bene operandum, quàm quoad præcepta, & regulas bene operandi. *Secundum*, an congruè Christus Dominus tria genera præceptorum, moralium, ceremonialium, & fidei præscripserit.

## CONCLUSIO PRIMA.

**L** Ex Evangelica in eo differt à Mosaica, quòd non fuerit primò, & per se ab auctore suo Christo scriptis tradita; sed viva voce denuntiata exterius, & interiorius per illuminationem Spiritus sancti, & gratiæ abundantiam aliè hominum cordibus inscripta.

Probatur hæc veritas primò quidem ex illo Jerem. 31. ubi Deus de novo federe à se incundo dicit. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Quapropter Apostolus 2. ad Cor. 23. fideles alloquens ait, *Epistola estis Christi ministrata a nobis, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus:* Ubi Theophilact. ex hoc loco Pauli Novi Testamenti infert præcellentiam: *Lex, inquit, atramento scribebatur, Evangelium nobis per Spiritum scriptum est, quanto igitur intervallo spiritus ab atramento distat, & cor à lapide: tanto & novum à lege discrepat, &c.* Ipsi concordat S. August. lib. de spiritu, & littera cap. 17. cujus verba hæc sunt; *Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi lex extrinsecus posita est, qua iniusti terreverentur: hic intrinsecus data est, qua iustificarentur.*

*Dices* 1. Lex nova Evangelica æquè scripta fuit ac Mosaica, eam namque Apосто-

li, & Evangelistæ suis scriptis exararunt: Ergo Evangelica non fuit per Spiritum sanctum hominum cordibus inscripta.

*Respondent* communiter Theologi ex Angelico Doctore qu. 106. art. 1. legem novam duo continere: *Primò*, & principaliter gratiam, & charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qua impellimur, & juvamus ad bene operandum. *Secundò*, præcepta, & regulas bene operandi. Concedunt itaque quantum ad hoc secundum, legem novam scripto quidem fuisse traditam æquè ac veterem; sed quoad primum, affirmant illam fuisse in cordibus fidelium diffusam, & inscriptam præcipuè in die Pentecostes: tanta enim fuit tunc data gratiæ, & charitatis abundantia, ut vi illius tota nova lex sine scripto conservari potuisset, ut docet S. Irenæus lib. 3. contra Hæreses cap. 3.

*Verùm*, cum gratia Spiritus sancti, & charitas non propriè, sed tantum metaphoricè appelleretur lex; quatenus nempe movet, & impellit ad bene operandum, sicut concupiscentia dicitur impropriè lex peccati, quia ad peccandum inducit; idcirco

*Respondeo* aliter; nempe quòd licet lex nova, sicut & Mosaica, fuerit scripto exarata, non est par utriusque ratio; siquidem lex nova non fuit per se primò scripta, & expressè, sicut Mosaica, quæ partim digito Dei, idest, ministerio Angelorum, & partim à Moyse fuit descripta: sed per accidens, & per occasionem scribendi vitam Christi, vel docendi fideles per Epistolas, aut occurrendi hæresibus Cherinthi, & Ebionis, & aliorum deinceps contra Ecclesiam insurgentium, ut rectè observat Martinonus, cum Suarez cap. 26. Sectione 3. Neque fuit scripto mandata eodem die Pentecostes, quo fuit promulgata, sed tantum post mortem Christi anno 6. quo S. Matth. suum Evangelium cepit scribere, ut docent Irenæus lib. 3. cap. 1. & Eusebius lib. 3. *Historiæ* cap. 8.

*Dices* 2. Etiam Mosaica lex insculpta fuit Judæorum cordibus per sancti Spiritus gratiam, quæ Judæis non defuit, ut possent intelligere, & servare illam legem multa supernaturalia præcipientem, juxta illud Deuteron. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, &c. sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum;* Ergo hæc legis in mente con-

consignatio non fuit propria legis Evangelicæ prærogativa.

*Respondeo*, quòd etfi Judæis non defuerit gratia, qua legis Mosaicæ præcepta possent implere; illa tamen gratia ad Mosaicam legem præcisè non spectabat; sed ad novam legem, & ad Christum ejus auctorem, à quo tamquam à fonte scaturiebat; quippe concedebatur solùm intuitu meritorum ejus. *Adde* quòd gratia Judæis concessa non fuerit in ea abundantia, ut dici possit legem Mosaicam à Spiritu sancto hominum mentibus inscriptam fuisse, hoc enim privilegium servabatur ipsi Evangelicæ legi, quæ in die Pentecostes, quo per visibilem sancti Spiritus effusionem promulgata fuit, etiam fidelium cordibus fuit consignata.

*Dices* 3. Lex ipsa naturalis etiam hominum cordibus inscribitur; nam, inquit Apostolus ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt . . . quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: Ergo non est peculiare Evangelicæ legis privilegium, quòd in hominum mentibus exaretur.

*Respondet* Aletis qu. 66. membro 4. quòd reverà utraque lex, naturalis, & Evangelica hominum cordibus inscribitur; sed, inquit, est duplex inscriptio, una quidem inscriptio debiti faciendi secundùm dictamen inditum conscientiæ ab ipsa hominis formatione: altera inscriptio secundùm dictamen impressum conscientiæ ex fide, seu justificatione. *Prima* inscriptio est naturæ. *Secunda* est legis Evangelicæ: prima est ex natura indita: secunda ex gratia data, seu superaddita. Prima eadem est apud omnes homines; secunda verò eadem est apud omnes credentes.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**C**hristus Dominus prudentissimo, divinoque prorsus consilio tria præceptorum genera in Evangelica lege præscripsit; nempe sacramentalia, moralia, & fidei.

Patebit hujusce conclusionis veritas ex singularum partium declaratione. Primam autem sic egregiè expendit Seraphicus Doctor lib. 6. *Compendii Theologici* c. 3. Sacramenta, inquit, legis gratiæ Christus instituit, tamquam legis novæ lator, in qua vocans ad præmia dedit præcepta, instituit Sacramenta. Christus enim Verbum

Patris cum sit summæ bonitatis, & summæ veritatis, & virtutis, ratione summæ bonitatis promisit præmia beatificantia; ratione veritatis dedit præcepta dirigentia; ratione virtutis instituit Sacramenta adjuvantia, ut sic per Sacramenta repararetur virtus ad implenda præcepta, & per præcepta perveniretur ad præmia. Instituit autem Sacramenta in verbis, & elementis, ut ait Augustinus: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, & est ibi elementum pro materia, & forma verborum pro forma. Ad hoc verò instituta sunt Sacramenta in verbis, & elementis, ut haberent evidentiam significandi, & efficaciam sanctificandi: quia dum elementa oculis, & verba auribus se offerunt, qui sunt duo sensus præcipuè cognoscitivi, dant evidentiam significationis. *Deinde*, verba sanctificant elementa, ut plenior fiat humanæ creationis efficacia.

Instituta sunt autem Sacramenta multiplici de causa. *Primo*, propter humiliationem, qua homo quærit salutem inferioribus se subjiciendo. *Secundo*, propter eruditionem, qua homo per visibilia ad cognoscenda invisibilia rapitur. *Tertio*, propter exercitationem, qua homo noxiam declinet occupationem, & otium: *Quarto*, propter congruitatem medici ad medicinam, quia cum medicus sit Deus, & homo ægrotus, congruenter medicina debet continere aliquid divinum, scilicet, invisibilem gratiam, & aliquid humanum, scilicet visibilem gratiæ formam. *Quinto*, propter congruitatem ex parte infirmi, quia cum infirmus sit homo constans ex corpore, & spiritu: spiritus autem in corpore non benè capiat spiritualia nisi in corporalibus, congruum fuit dare medicamenta spiritualia in rebus corporalibus, sicut pilulæ in nebula dantur. *Sexto*, propter augmentationem meriti, multum enim valet ad meritum, quando Deus creditur in his, ubi humana ratio non præbet experimentum. Patet ergo ex prædictis, quæ sit sacramentorum causa efficiens, quia divina institutio: quæ formalis, quia gratiæ sanctificatio: quæ finalis, quia humanæ infirmitatis curatio.

Sacramenta autem novæ legis sunt septem, secundùm septem diversitates hominum in Ecclesia. Primum est intrantum,

tiū, ut *Baptismus*. Secundum pugnantium, ut *Confirmatio*. Tertium vires resumentium, ut *Eucharistia*. Quartum resurgentium, ut *Pœnitentia*. Quintum excurrentium, ut *Extrema unctio*. Sextum ministrantium, ut *Ordo*. Septimum novos milites introducentium, ut *Matrimonium*.

Sacramenta figurata sunt in septem figuraculis quibus fuit veteris Testamenti pagina sigillata, quæ Agnus, qui habet clavem David, qui claudit, & nemo aperit, referavit. *Item* in septem tubis, quibus Angeli cecinerunt. *Item* in septem Stellis, quas habebat similis filio hominis in dextera sua. *Item* in septem panibus, quibus Dominus turbam satiavit. *Item* in septem oculis super unum lapidem. *Item* in septem lucernis Tabernaculi superpositis candelabro. *Item* in septem lotionibus Naaman.

Sacramenta sunt septem, quæ disponunt ad septem virtutes habendas; nam *Baptismus* est sacramentum Fidei. *Confirmatio* Spei. *Eucharistia* Charitatis. *Pœnitentia* Justitiæ. *Extrema unctio* Perseverantiæ, quæ est fortitudinis complementum. *Ordo* Prudentiæ. *Matrimonium* Temperantiæ.

*Alia* etiam ratio numeri Sacramentorum est, quia ordinantur contra triplicem culpam, & contra quadruplicem pœnam. Unde *Baptismus* ordinatur contra peccatum originale. *Pœnitentia* contra mortale. *Extrema unctio* contra veniale. *Ordo* contra ignorantiam. *Eucharistia* contra malitiam. *Confirmatio* contra impotentiam. *Matrimonium* contra concupiscentiam, quam temperat, & excusat.

*Alia* adhuc ratio numeri, quia Sacramenta sunt causa sanativa morbi spiritualis ad modum corporalium. Medicina verò corporalis quadruplex est; scilicet curativa, conservativa, præservativa, & meliorativa. Simili modo & Sacramenta curant. *Baptismus* curat simul, & totaliter. *Pœnitentia* verò curat paulatim quantum ad penam, quousque nullius penæ homo debitor sit. *Extrema unctio* curat à morbis levioribus, scilicet à venialibus, sicut *baptismus*, & *pœnitentia* curant à lethaliibus. Sic ergo prædicta tria Sacramenta sunt quasi medicina curativa: *Confirmatio* autem est medicina conservativa sanitatis spiritualis, in qua datur Spi-

ritus sanctus ad robur, & conservacionem gratiæ datæ in baptismo. *Matrimonium* est medicina præservativa. *Ordo* est medicina meliorativa, in quo augmentatur gratia. *Eucharistia* hæc omnia simul facit, curat enim venialia, quæ sunt occasio ruinæ majoris: conservat etiam gratiam inventam in homine, & augmentum, sicque meliorat, & nihilominus præservat. Hæc Doctor Seraphicus. Quibus patet quàm congruenti ordine Christus Dominus ordinaverit Cereemonialia, & Sacramentalia novæ Legis.

Idem pariter constat de præceptis ad fidem spectantibus. Cum enim fidei summa eo maxime sita sit, quòd homo fidelis nosse debeat, quæ Deum, & Christum Dominum spectant, juxta illud ipsius Christi Domini oraculum Joannis 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*; ut utriusque divini illius objecti perfecta quantum mortales decet, habeatur notitia, eam ore Christi exceptam sub specialibus, & distinctis articulis Apostoli in suo Symbolo ediderunt. Nam ut observat Seraphicus Doctor *ibidem* lib. 5. c. 21. si respectus habeatur ad eos, qui Symbolum ediderunt, tunc articuli sunt duodecim secundum numerum duodecim Apostolorum: Si autem consideremus quæ radicaliter sunt credenda, tunc articuli sunt quatuordecim, quorum septem spectant ad Divinitatem, & septem ad Christi humanitatem, & hæc signa sunt in septem Stellis, & septem candelabris aureis: in quorum medio Filius hominis ambulabat. Sunt igitur septem articuli Fidei, qui pertinent ad Divinitatem. Primus est unum Deum esse, qui ibi notatur, *Credo in Deum*. Secundus est, Patrem Deum esse, ibi, *Patrem omnipotentem*. Tertius est, Filium Deum esse, ibi, *in Jesum Christum Filium ejus*. Quartus, Deum Spiritum sanctum esse, ibi *Credo in Spiritum sanctum*, & sic patet quòd prædicti quatuor articuli sunt de unitate divinæ Essentiæ, & Trinitate Personarum. Quintus est, credere remissionem peccatorum his, qui sunt in Ecclesia, ibi: *Sancam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum*. Sextus est, credere mortuorum resurrectionem. Septimus est, credere bonorum remunerationem, sub quo & comprehenditur malorum punitio, ibi, *vitam æternam*, & isti tres

tres articuli ad Divinitatem pertinent; quia virtute Divinitatis fit peccatorum remissio, quæ est animæ vivificatio, & corporum resurrectionis, atque corporis simul, & animæ glorificatio.

Alii septem sunt articuli, qui pertinent ad humanitatem Christi. Primus est, credere Filium Dei esse conceptum de Spiritu sancto, ibi; *qui conceptus est de Spiritu sancto*. Secundus est, credere Filium Dei natum ex Maria Virgine, ibi: *ex Maria Virgine*. Tertius, Filium Dei pro nobis mortuum in cruce, ibi: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepulchus*. Quartus est, Filium Dei descendisse ad inferos secundum animam, ibi; *Descendit ad inferos*. Quintus est, Filium Dei resurrexisse à mortuis, ibi: *Tertia die resurrexit à mortuis*. Sextus est eundem ascendisse ad Cælos, & sedere ad dexteram Patris, ibi; *Ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Septimus est, Filium Dei iudicaturum vivos, & mortuos, sive bonos, sive malos, ibi: *Inde venturus est iudicare vivos, & mortuos*. Ita Seraphicus Doctor.

Idipsum patet de præceptis Moralibus, quibus homo ordinari debet ad Deum, proximum, & seipsum: ad Deum quidem, ut ei cultum debitum exhibeat, ad proximum, ut ei in omnibus iustitiam impendat; ad seipsum verò, ut quæ sibi necessaria sunt ad salutem, comparet, & fervet. Hæc autem omnia hominis debita ritè Christus Dominus ordinavit in Evangelio. Primò namque quæ Dei cultum concernunt, distinctè docuit, præscripsit; Deus enim summè colendus est, & honorandus propter supremam majestatem; ex toto corde amandus propter infinitam bonitatem; summè timendus propter tremendam ejus iustitiam; enixè rogandus propter paternam clementiam; in omnibus audiendus, & sequendus propter vigilantem providentiam, &c. Ad omnia autem hæc munia Deo præstanda Christus Dominus hominem instruxit: Docuit enim qualiter suprema ejus majestas esset colenda, cum ait Joan. 4. *Venit hora, & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate; nam Pater tales querit, qui adorant eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare*. Qualis ejus infinitæ bonitati impendi debeat amor, præscripsit Marci 12. cum ait; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota*

*anima tua, & ex tota virtute tua*: Quibus demonstrat, inquit Alensis *memb. 8. ad tertium*, quòd non sufficit diligere Deum ex toto corde, idest intellectu declinando errorem; ex tota anima, idest voluntate declinando contradictionem; ex tota mente, idest memoria, vitando oblivionem: Sed etiam ex tota virtute, addendo bonam operationem. Docuit pariter quantopere Deus sit timendus propter iustitiæ severitatem, cum ait Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam*: Ape-ruit etiam qualiter Deus esset exorandus propter paternam clementiam, dum non solum orandi modum præscripsit Matt. 6. dicens; *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*: *Orantes autem nolite multum loqui; sicut Ethnici, putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur*: sed etiam præscripsit orationis formulam, cum ait ibidem: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in Cælis, &c.*

Denique etiam hominem docuit, quomodo divinæ curæ, ac providentiæ sese fidenter committere debeat, cum ait ibidem, *Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, nonne anima plus est quam esca, & corpus quam vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis? quis autem vestrum cogians potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? & de vestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis: Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras, in clibanum mittitur, Deus sic vestis: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt, scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Querite ergo primum regnum Dei, & iustitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Similiter hominem instruxit quantum ad omnia debita proximo impendenda: proximus namque corripendus est, & revocandus à miseriis animæ nempe peccato; sub-



sublevandus in necessitatibus corporis, tuendus in bonis fortunæ, provocandus ad bona gloriæ. Hæc omnia autem debita Christus ordinavit. Primum quidem cum ait Matt. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: cum pariter docuit proximo remittendam esse omnem injuriam, dicens Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, sic dimittet vobis Pater vester caelestis peccata vestra; si autem non dimiseritis hominibus, sic nec Pater vester caelestis dimittet vobis.* Docuit pariter quando sublevandus esset proximus in miseriis corporis cum ait Lucæ 6. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester caelestis misericors est, Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini, dimittite, & dimittimini, date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur & vobis.* In summa præscripsit omnia erga proximum debita, cum ait Lucæ 10. proximum esse diligendum sicut seipsum; Et Matt. 7. *Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et Joan. 3. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quibus verbis mandatum de diligendo proximo novum appellat. Vel quia fuit ab ipso renovatum, & auctum cum antea esset fere per pravam consuetudinem antiquatum, & restrictum, ut exponit Clemens Romanus lib. 6. *const. cap. 23.* Vel quia Christus novo modo illud præscripsit, addendo videlicet novum motivum sumptum ex suo exemplo, & mirabili sua erga homines dilectione: Ut ait Chrysostr. hom. 71. in Joan. *Ex eo quod per ejus adventum homines facti sunt fratres, & eo nomine specialiter diligendi, maxime verò Christiani, qui Christo ut capite inserti unius, & ejusdem Ecclesie membra sunt, propter quod seipsos tamquam ejusdem corporis membra diligere debent.*

Denique, hominem ordinavit erga seipsum, dum scilicet suæ sanctissimæ vitæ ab hominibus sectandæ exemplar proposuit dicens Joan. 13. *Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quam utique sanctissimam vitam ut homines facilius sectari possent, tribus eam veluti lineamentis, & characteribus distinxit, cum ait Matt. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quibus tria hominis Christiani

debita distinguit; nempe rerum omnium, & sui ipsius abnegationem; nam inquit Lucæ 14. *Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et Matt. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Insuper docet jugiter esse invigilandum mortificationi corporis, crucemque quotidie ferendam, *Christus enim passus est nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Denique admonet omnes actus nostros ex charitate, & propter Dei gloriam esse eliciendos, in omnibus autem cavendam esse vanam gloriam. *Attendite, inquit Matth. 6. ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Cælis est.*

Petes 1. Quare Christus Dominus præcepta judicialia non instituerit.

Respondeo id quidem consultò fecisse; quia regnum temporale, aut rempublicam civilem non condidit, sed spiritalem communitatem, cujus regimen præcipuum spiritale est, & ad finem supernaturalem ordinatur: neque externum, & politicum ejus regimen ita curavit, ut leges judiciales illi utiles statuere per se voluerit, sed eas condendi auctoritatem fecit suo in terris Vicario, nempe summo Pontifici. Cum enim optimo Ecclesie regimini expediat sæpe mutari leges pro temporum, & occasionum varietate, maluit Christus dare Ecclesie potestatem de illis statuendis, leges autem à se latas voluit esse stabiles, & invariatas.

Petes 2. An præceptis moralibus, & fidei antiquæ legis Christus aliquid addiderit.

Respondet Aletis qu. 56. memb. 8. ad tertium, quòd quantum ad substantiam fidei, credendis nihil additum est, tamen articulis fidei aliquid additum est: & additio ista est, sicut expliciti ad implicitum, & determinati ad indeterminatum, ut patet in exemplo. Ante tempus Abrahæ fuit fides reparationis nostræ, tamen implicita; postea aliquantulum fuit explicita Abrahæ, quod fieret in carne, cum dictum est ei, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes,* Genes. 22. & ita articulus de Incarnatione, qui prius erat implicitus, factus est aliquantulum explicitus: tamen adhuc non erat determinatum, utrum in-

„ carnatio fieret de viro, muliere, quous-  
 „ que dixit Isaias, *Ecce Virgo concipiet*: Item  
 „ adhuc non erat determinatus modus, per  
 „ quem Virgo conciperet, quousque dixit  
 „ Angelus, *Spiritus sanctus superveniet in te*.  
 „ Fides ergo non mutata est, sed tamen  
 „ additio facta est in fide reparationis ar-  
 „ ticuli ad articulum, sicut expliciti ad  
 „ implicitum, vel magis expliciti ad minus  
 „ explicitum. Similiter dicendum, quod in  
 „ moralibus quantum ad potestatem sensus  
 „ nihil additum est: sed quantum ad ratio-  
 „ nem litteræ additio facta est per illos mo-  
 „ dos, qui dicti sunt.

### QUÆSTIO TERTIA.

*In quibus præcipuè Nova Lex differat à Ve-  
teri, eamque excedat.*

**N**otandum 1. Legem Mosaicam, & E-  
 vangelicam invicem contrariè non  
 discrepare, nec perfectè opposita præcepta  
 statuere: quamquam enim aliqua mosaica  
 lex prohibeat, quæ Evangelica facienda  
 permittit; sic *Levit. II.* plura prohibentur  
 edenda, sicut immunda, *Matt. verò 5.* nul-  
 la edulia dicuntur immunda; nam, inquit  
 ibidem Christus, *Non quod intrat in os coin-  
 quinat hominem*: ex quo *Apost. ad Tim. I.*  
 ait; *Omnia munda mundis*: Hæc tamen duo  
 præcepta invicem non pugnant; nam in-  
 quit, *Alensis qu. 56. art. 1.* Lex prohibuit  
 „ escas, & dixit immundas triplici de causa:  
 „ *Primò*, propter signationem: unde im-  
 „ munda dixit, quia figurabant immunda:  
 „ *Secundò*, propter abusum, unde immun-  
 „ da dixit, & prohibuit illa, quia his ute-  
 „ bantur ad cultum idololatriæ: *Tertiò*,  
 „ propter indignitatem illius populi, pro-  
 „ pter quam quædam substraxit ei velut  
 „ immunda: Lex verò Evangelii dicit, &  
 „ concedit omnia munda respiciens ad na-  
 „ turam rerum, & ad convenientem usum,  
 „ & ad dignitatem utentium: Itaque Lex,  
 „ & Evangelium tantum pugnant dispa-  
 „ ratè, quatenus nempe Evangelica lex in  
 „ pluribus Mosaicam præcellit.

Notandum 2. Ex eodem *Alensi ibidem*, le-  
 gem veterem cum nova maximè secundum  
 lex considerationes posse conferri. *Prima*  
 quidem, secundum considerationem vir-  
 tutis, & efficacitatis. *Secunda*, secundum  
 considerationem severitatis. *Tertia*, secun-  
 dum considerationem veritatis. *Quarta*, se-

cundum considerationem bonitatis. *Quin-  
 ta*, secundum considerationem remunera-  
 tionis. *Sexta* denique, secundum conside-  
 rationem lationis, vel legislatoris. Itaque  
 resolvendum est in præsentia, an lex Mo-  
 saica ab Evangelica in his omnibus reve-  
 rà discrepet. Quoniam autem potissima  
 difficultas movetur de efficacia, & virtu-  
 te legis utriusque, idcirco

Notandum 3. Ex eodem *Alensi ibidem art. 2.*  
*ad secundum*, quod duplex distingui potest  
 sanctificatio, nempe carnalis, & spiritualis.  
*Sanctificatio carnalis* est liberatio à pena pec-  
 cati, quam incurret quis, si quod præceptum  
 est, contemneret, seu non faceret: *Sanctifi-  
 catio verò spiritualis* est ipsa emendatio à ma-  
 cula peccati, quæ in anima est. Certum est  
 autem, quod Mosaica lex vim habuerit con-  
 ferendi sanctificationis carnis: nam inquit  
*Apost. ad Hebræos 9.* *Sanguis bircorum, &  
 taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos  
 sanctificat ad emundationem*, idest, inquit *Glof-  
 sa*, inquinatos contactu mortuorum sancti-  
 ficat à pena, valens ad emundationem, non  
 animæ sed carnis, quia à pena liberabat.  
 Difficultas autem est utrum etiam Mosaica  
 lex vim habuerit conferendi veram ju-  
 stificationem coram Deo, quæ consistit in  
 remissione peccatorum, & infusione gra-  
 tiæ sanctificantis.

### CONCLUSIO UNICA.

**L**EX *Vetus, & Nova differunt primò in eo,*  
*quod hæc habeat vim justificandi, illa ve-  
 rò non ita.* Probat hanc veritatem *Aposto-  
 lus pluribi*, maximè autem ad *Rom. I.* ubi  
 ait, *Non erubescio Evangelium; virtus enim  
 Dei est in salutem omni credenti, Judeo pri-  
 mum, & Græco.* In quem locum sic scribit  
*Anselmus, Virtus est, quia gratiam præstat,*  
*per cuius auxilium valeamus facere, quæ præ-  
 cipit. Quod quia lex (Mosaica) non fecit, in-  
 firma fuit.* Quod autem lex Mosaica non  
 habuerit virtutem justificandi, apertè do-  
 cet idem *Apost. ibidem c. 8.* cum ait, *Nam  
 quod erat impossibile legi, in quo infirmabatur  
 per carnem, Deus Filium suum mittens dam-  
 navit peccatum, ut justificatio legis impleteretur  
 in nobis:* Et ad *Galat. 2. vers. 16.* *Ex operi-  
 bus legis non justificabitur omnis caro, idest  
 homo.* Et *v. 12.* *Si enim per legem est ad ju-  
 stitiam, ergo gratis Christus mortuus est.* Et  
*cap. 3.* *Quoniam in lege nemo justificatur apud  
 Deum (utique vi legis) manifestum est, quia*

*justus ex fide vivit; Et ad Hebræos 7. Reprobatio fit precedentis mandati, propter ejus infirmitatem, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex. Quibus omnibus constat utramque legem in eo discepare, quod Vetus mundaret quidem ab inquinacione carnis contracta ratione transgressionis preceptorum ceremonialium, non autem veram animæ justiciam conferret; Nova verò vim habeat conferendi talem justiciam; quia habet præsentem Christum justitiæ fontem, qui pro peccatis nostris satisfactionem Deo obtulit, & gratiam sanctificantem promeruit: unde Joan. 1. Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Hinc, ut diximus, quotquot justificabantur in veteri lege ex opere operato, sive per martyrium, sive per alia Deo impensa obsequia, non obtinuerunt hanc justificacionis gratiam, nisi per respectum ad Christum, ejusdem gratiæ auctorem & fontem, ex quo gratia justificacionis ad omnes profusus homines sub quacumque lege degentes derivavit; Neque enim aliud est nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, ut legimus Act. 4. hinc cap. 15. Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi, Patres scilicet Veteris Testamenti, qui ut ait Apostolus 1. ad Cor. 1. Bibebant de spiritali consequente eos Petra: Petra autem erat Christus.*

Hinc omnes sancti Patres constanter affirmant eos qui in Veteri Testamento fuerunt Deo per fidem accepti, ad novum Testamentum pertinuisse: non enim justificabantur nisi per fidem Christi, qui est auctor Novi Testamenti: quam utique veritatem sic expendit S. Augustinus *epist. 157. quæ est ad Optatum, ubi ait, Cum omnes justii, idest, veraces Dei cultores, sive ante incarnationem, sive post incarnationem Christi, nec viverent, nec vivunt nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo, profectio quod scriptum est, non esse aliud nomen sub Cælo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est: sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: quia sicut in regno mortis nemo sine Adam: ita in regno vitæ nemo sine Christo: sicut per Adam omnes iniusti, ita per Christum omnes justii homines; sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filii sæculi, ita per Christum omnes immortales in gratia fiunt Filii Dei.*

Hanc eandem veritatem mirum in modum explicat S. Leo sermon. 3. de Nativit. *Cessent igitur, inquit, illorum quærelæ qui impio murmure divinis dispensacionibus obloquuntur, de diviniæ navitatis tarditate causantur, tamquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate est gestum: Verbi incarnatio hæc contulit faciendæ quæ facta, & Sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit, quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ: nec serò est impletum quod semper est creditum. Sapientia verò, & benignitas Dei hæc saluiferi operis mora capaciores nos suæ occasionis effecit, ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat sæcula prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum, & navitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tantò constantior in nobis gigneret fidem, quanid prædicatio ejus, & antiquior præcessisset & crebrior. Non itaque novo consilio Deus rebus humanis nec sera miseratione consuluit; sed à constitutione mundi unam, eandemque omnibus causam salutis omnibus instituit. Gratia autem Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non cepta, & hoc magnæ pietatis Sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens in suis significacionibus fuit, ut non minùs adepti sint qui in illud credere promissum, quam qui suscipere donatum. Ex quo intelliges, quod sicut idem Sol naturæ utrumque hemispherium suo lumine perfundit, & calore fovet; ita quod non sit qui se abscondat à calore ejus, sic Christus Dominus Sol justitiæ utramque legem suæ gratiæ luce, & rore fecundavit. Sicut autem unum hemispherium eò magis clarescit, quod propius Sol ad eum accedit; ita status veteris legis juxta majorem ad Christum propinquantem, uberiorem divinorum mysteriorum illustrationem, & fructum accepit, & ut loquitur S. Gregorius homil. 16. super Ezechielem, *Secundum incrementa temporum crevit scientia Sanctorum Patrum, & quantò viciniores adventus Salvatoris fuerunt, tantò sacramenta salutis plenius perceperunt.**

*Secundò, differunt lex Evangelica, & Mosaica quantum ad veritatis manifestationem; nam inquit Alensis; Veritas tam in Evangelio, quam in lege respicit tria. 1. Noticiam credendorum. 2. Gratiam me-*

meritorum. 3. Gloriam præmiorum. Respectu notitiæ credendorum differt Evangelium, & Lex secundum velatum, & revelatum: Respectu gratiæ faciendorum, sicut promissio, & exhibitio: Respectu gloriæ præmiorum differunt sicut umbra, & imago: ita quòd in lege est velamen notitiæ, promissio gratiæ, umbra gloriæ: in Evangelio verò est revelatio notitiæ fidei, exhibitio gratiæ Dei, imago præmii. Quam utique veritatem confirmat Apostolus 2. ad Corinth. 3. ubi ait, *Velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum quoniam in Christo evacuatur.* Hinc subdit, *Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Unde veritas in lege fuit ut umbra: in Evangelio autem ut imago, hinc Hebr. 10. *Umbra habens lex futurorum, non ipsam imaginem;* Quapropter sanctus Gregorius super Ezech. 1. cap. exponens hæc verba, *Rota erat in rota,* ait, *Rota erat in rota, quia quod predicat Lex, quod Propheta annuntiant, hoc exhibet Evangelium:* Et S. Leo serm. 7. de Passione. *Ut umbræ adherent corpori, antiqua observantia novo excluditur Sacramento. Hostia in hostiam transiit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festivitas dum mutatur, impletur.*

Tertiò, Lex vetus, & nova differunt ratione severitatis; siquidem lex vetus iram præferebat, Evangelica autem misericordiam; illa erat lex timoris, ista amoris; illa servitutis, hæc libertatis; illa servis præscripta, hæc filiis. Quapropter Apost. ad Roman. 8. ait, *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Severitas autem Mosaicæ legis in eorum ximè vigeat, quòd, inquit Alensis, illa lex in præceptis judicialibus habet iram, & distinctionem punitionis: in præceptis moralibus timorem per multitudinem comminationis: in præceptis verò ceremonialibus servitutem per intuitum, & pavorem aternæ damnationis: quocirca S. Petrus Act. 15. difficultatem observandæ legis explicans, ait. *Quid tentatis imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Secus autem de lege Evangelica, quæ pauca admodum habet præcepta, annexamque continet gratiæ plenitudinem, quæ facilis fiant: Hinc Christus Dominus me-

ritò dixit Matt. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Nam ut exponit S. Augustinus Epist. 118. *Levi jugo suo Christus nos subdidit, & sarcinæ levi sacramentis numero paucissimis, observatu facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.*

Nec obstat quòd in Lege Evangelica videantur aliqua præcepta observatu difficilia, quale est præceptum de indissolubilitate matrimonii, de dilectione inimicorum, de necessitate confessionis; illa enim propter abundantiam gratiæ, quæ à Christo in lege nova confertur, redduntur facilia; juxta illud vaticinium Isaia 10. *In die illa auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei.*

Nec refert pariter quòd Evangelium vocetur *onus*, & *jugum*; Nam inquit S. Augustinus serm. 22. de verbis Apostol. *Hæc sarcina non est pondus onerati, sed ala volantis, habent enim & aves pennarum suarum sarcinas, portant illas in terra, portantur ab illis in Cælo, &c.* Et sanctus Bernardus Epistol. 341. ad Monachos 6. Bertini: *Leve*, ait, *Salvatoris onus, quòd crescit amplius, eò portabilius est, nonne & aviculas levat, non onerat, pennarum numerositas ipsa? Tolle eas, & reliquum corpus fertur ad ima: sic disciplinam Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quod quò magis deponimus, eò depromitur ipsi, quia portat potius, quam portatur.*

Hanc veritatem egregiè commendat Apostolus ad Galatas 4. his verbis, *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de Ancilla, & unum de Libera, &c.* Quæ verba expendens S. Anselmus ibidem, ait, *In utroque Testamento genuit Deus filios, qui sibi servirent, sed in Veteri Judæos servos, qui timore pænæ, & promissionibus temporalium ei serviliter obedirent: in gratia verò Novi Testamenti liberos, qui ex dilectione servirent.* Ipsi concinit S. Chrysologus serm. 1. in Evangelium. *Cùm jejunatis &c.* ubi ait, *Ubi Deus Dominum mutavit in Patrem, voluit charitate magis quam potestate regnare, & amari maluit, quam timeri.* Quam veritatem prius indicaverat Sanctus Augustinus scribens libro adversus Adimantum cap. 16. *Deus veteri homini fugienti tamquam Dominus apposuit quòd timeret, & novo redeunti tamquam Pater aperuit quòd amaret.* Quocirca cap. 17. ait: *Hæc est brevissima, & apertissima disse-*

*Differencia duorum Testamentorum, timor, & amor.*

Quartò, Discrimen inter legem Veterem, & Novam est, quòd lex Vetus minus perfecta fuerit: Lex autem Evangelica omnem prorsus perfectionem sapiat, & inferat: quam utique Legis Novæ prerogativam multis commendat Apostolus ad Galat. 4. & ad Hebr. 7. dicens quòd lex Vetus figura fuerit, & umbra Novæ: Nova autem veritas, & complementum Veteris: unde Hieron. lib. 1. adversus Pelagianos c. 9. *In lege promittitur, in Evangelio impletur, ibi initia hic perfectio est: in illa fundamenta jaciuntur, hic fides, & gratie culmen imponitur.* Quam utique veritatem eleganti similitudine explicat Victor Antiochenus exponens illud, quod habetur Marci 4. *Ultero terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica, ait enim. Primum herbam fructificat in lege naturæ, postmodum spicas in lege Moysis, postea plenum frumentum in Evangelio.*

Quintò, Lex Nova Veterem excedit secundum rationem mercedis, & præmii; siquidem lex Vetus sola spondebat, ac promittebat bona temporalia in mercedem suis observatoribus, ut jam observavimus, juxta illud Isaia 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Evangelica autem re promittit vitam æternam, regnumque cœlestis suis sectatoribus; Unde Apost. ad Hebr. 7. *Melioris Testamenti sponsor factus est Christus.* Hoc est, ut fert Glossa, melius Novum Testamentum quam Vetus: quia meliora bona promittit, id est, æterna: Vetus autem temporalia.

Denique, præcellentia Legis Novæ supra Veterem ex eo maxime apparet, quòd Lex Vetus soli populo Judaico præscripta fuerit: unde Deut. 4. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat caeremonias, iuxta judicia, & universalem legem?* Hinc Apost. ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus.* Unde Regius Vates Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Evangelium autem datum est omni prorsus humano generi, Christus enim Marci 16. Apostolis mandat, *Prædicare Evangelium omni creaturæ.* Et Matth. 28. *Ite, docete omnes Gentes &c.* Insuper, Lex Vetus præscripta fuit populo Judaico, à Deo quidem, sed ministerio Angelorum, & per manus Moysis; Lex autem Evangelica Christum Dominum Dei Filium

*Erassen Theol. Tom. VI.*

habet authorem, & promulgatorem: quam utique prerogativam multis commendat Apostolus ad Hebr. 1.

*Demum, Lex Vetus cum terrore, Nova verò cum amore promulgata est; capit enim evulgari ipso die Pentecostes, quo Spiritus sanctus, cujus peculiare nomen est Amor, Apostolis sese infudit, in eorum cordibus divinum amorem effudit, ad quod respiciens S. Bernard. Epist. 107. admirans exclamat, O geminum, ipsumque firmissimum erga nos amoris argumentum! Christus moritur: mereatur ergo amari. Spiritus afficit, & facit amari: ille fecit cur ametur, iste ut ametur, ille multum dilectionem nobis commendat, iste dat; In illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus unde amemus: Charitatis ergo ab illo occasio, ex isto affectio.*

## DISPUTATIO QUARTA.

### De Legibus humanis.

Quamquam ad Theologum proprie non spectet de Legibus ab homine editis, & sancitis disserere, utpote cum hæc dicendi materies ad utriusque Juris, Potificii nempe, ac Cæsarei Doctores, veluti propria messis, aliena manu non metenda pertineat: Nihilominus quoniam Humanæ Leges non solum naturæ, sed etiam Dei legibus affines sunt, & quasi fluvii ab illo totius æquitatis, ac rectitudinis oceano defluentes; cumque non solum rectæ rationis dictamini, sed etiam divinæ ordinationi, & administrationi congruere debeant, ut iuxta censeantur: hinc est, quòd à sibi præscripto studio non deviet Theologus, dum nonnulla de Humanis Legibus discutienda proponit.

*Lex autem Humana dicitur illa, quæ immediate autoritate Humana, sive Civili, sive Ecclesiastica præscribitur.* Autoritas autem legislativa civilis nulli homini singulari ex natura rei, & per se convenit; cum enim omnes homines ex natura nascentur liberi, nullus in alterum jure naturæ politicam autoritatem, & jurisdictionem obtinet. Licet enim parentes habeant in filios paternam, & æconomicam potestatem; hæc tamen ad leges ferendas non sufficit: nam potestas legislativa est potestas regimi-

nis publici perfectæ communitatis; siquidem lex unus est ex præcipuis actibus, quibus Respublica gubernatur; hæc autem non nisi publica potestate, & jurisdictione administratur, & subsistit. Hinc quicumque inter homines habent potestatem legislativam, necessum est ut vel eam recipiant à Deo immediatè, ut de facto receperunt Saul, David, & alii quidam ab ipso Deo Reges electi, & designati; vel eam excipiant à communitate hominum conveniente in unum corpus politicum, quatenus rectè regantur, & feliciter vivant.

Habent autem homines a natura, & à Deo ut auctore naturæ facultatem, & inclinationem conveniendi in ejusmodi communitatem: *Nam*, inquit Cicero in lib. de Amicitia, *nihil principi Deo in rebus humanis est gratius, quam homines habere inter se societatem ordinatam, & perfectam*: Cum enim homo natura sua sit animal sociabile, naturaliter appetens vivere in communitate, multisque rebus indigeat ad commodè vivendum, quæ neque ab uno solo homine, nec ab unica familia præstari possunt: qualia sunt omnia necessaria, vel commoda petenda ab artibus, & disciplinis; idcirco homines ut sibi illa necessaria procurent, jus habent instituendi communitatem perfectam, quæ civilis vocatur, estque vel inter incolas ejusdem civitatis, vel etiam inter plures civitates in uno regno. Hæc autem communitas ut perfectè dirigatur, necessum est, in eavigeat aliqua suprema potestas, ad quam ex officio pertineat bonum commune intendere, & procurare; alioqui negligetur, dum privati quique ut solent, commodis suis tantum, aut præcipuè attendunt, minusve curant quæ ad bonum commune pertinent. Inter media verò quibus commune bonum procuratur, & Respublica perfectè administratur, præcipuè sunt leges, quibus ea constituuntur, quæ ad pacem, & justitiam conservandam, communemque felicitatem instituendam expediunt. Quocirca illi, quibus ex officio incumbit Respublicam cum suprema jurisdictione administrare, debent habere jus ferendi leges necessarias ad publicam concordiam, pacem, justitiam, & felicitatem stabilendam necessarias.

Ut igitur cæteris Theologismorem gerentes, nonnulla de Legibus Humanis discutiamus, præsentem Disputationem, sicut

& præcedentem tres in articulos distribuemus, quorum *Primus*, Legum Humanarum necessitatem, existentiam, & causas aperiet; *Secundus*, efficaciam, & obligandi vim; *Tertius*, earundem imminutionem, & relaxationem explicabit.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De existentia, & causis Legum Humanarum.*

**E**tsi hominibus ingenta lex dicitur in communi quid faciendum sit, quidve fugiendum; quoniam tamen præter præcepta morum singulis ingenta, multa alia desiderantur ad rectam hominum societatem instituendam, & gubernandam, juxta varios rerum eventus particulares, ideo necessarium fuit, ut per humanam rationem generalia legis præcepta magis in particulari determinarentur; quatenus nempe datis occasionibus provideretur Reipublicæ paci, concordiæ, ac felicitati, quod utique per leges ab hominibus sancitas efficitur; quapropter illas esse Reipublicæ utiles & necessarias nullus sanæ mentis denegabit.

Unde S. Isidorus libro 5. Ethymolog. c. 20. *Factæ sunt Leges ut Humano metu humana coerceretur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas*. Necessarium ergo fuit Leges Humanas stabiliri, quibus & justitiam tranquillè pacatèque ducerent, & protervi ac ad vitia proni, qui nec virtutis pulchritudine moventur, nec verbis cedunt, per vim, & metum intentati per legem supplicii à malo cohiberentur, & tandem per assuetudinem probi fierent.

Inde colligitur altera Legis Humanæ ratio summæ necessitatis, quòd in Lege Naturali nulla pœna decernatur; in divina verò Evangelica, pœna dumtaxat in altero sæculo luenda præscribitur; quocirca propter sui dilationem minus homines timore percellit; subindeque oportuit leges humanas institui, quæ pœnam earum transgressoribus brevi luendam statuerent, quòd facilius quisque à malo revocaretur.

*Non opus est* igitur diutius immorari in probanda legum humanarum necessitate, & existentia, quam tota prædicat antiquitas, Gentēs omnes, quæ barbariem deposuerunt, univērsim testantur, nullus enim est hominum cæcus, qui leges non habeat; & Deus ipsemet probat, cum ait Proverb. 8. *Per me*

Re-

*Reges regnant, & Legum conditores iusta discernunt.* Nec non & dum adversus Tyrannos intonat Isaia 10. *Vae qui condunt leges iniquas.* Cum enim solum arguat legum institutionis abusum, rectum, ac legitimum usum perspicue probat.

*Itaque solum hoc in articulo proponimus determinandum: Primò, An adhuc sub Evangelica lege vigeat humanarum legum obligandi virtus: Secundò, Apud quos resideat leges condendi autoritas: Tertio, Quinam legibus præscriptis subjiciantur.*

### QUÆSTIO PRIMA.

*An, quid, & quotuplex sit Lex Humana.*

**N**otandum 1. Omnem Humanam Legem derivari à lege naturali; lex enim nulla est, nisi sit iusta; in rebus autem humanis in tantum aliquid censetur iustum, in quantum censetur conformere regulis rationis; rationis autem prima regula est Lex Naturæ. Unde omnis lex humanitatis posita, in tantum habet de ratione legis, in quantum à lege naturæ derivatur; si verò in aliquo à lege naturæ discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio. *Dupliciter autem potest aliquid à lege naturæ derivari, vel scilicet per modum conclusionum ex principiis communibus legis naturæ: sicut quòd non sit occidendum derivatur ex eo quòd nulli est faciendum malum; Vel per modum determinationis, sicut lex naturæ habet, malefactorem puniendum esse, sed quòd tali, vel tali pœna puniatur, est quædam determinatio legis humanæ: Utraque igitur inveniuntur in lege humana posita: sed ea, quæ sunt prioris modi, continentur in lege humana, non tanquam solum per eam posita; sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali; ea verò, quæ sunt posterioris modi, ex sola lege humana vigorem habent.*

*Notandum 2.* Legem humanam juxta variam sui considerationem, variè posse dividi. *Primò* namque quatenus derivata est à lege naturæ, dividitur in jus Positivum, Gentium, & jus Civile. Ad jus Gentium pertinent ea, quæ derivantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis: ad jus autem Civile spectant ea, quæ à lege naturæ emanant per modum particularis determinationis secundum quòd quælibet civitas, vel quodlibet regnum aliquid ad sui tranquillitatem, &

securitatem judicat esse stabiliendum, & servandum. *Secundò*, cum de ratione legis humanæ sit, quòd ordinetur ad bonum commune Civitatis, & Regni, juxta hanc considerationem dividi potest secundum varium statum hominum, qui incumbunt bono communi procurando, stabiliendo, & administrando, qua ratione aliæ leges præscribuntur pro Sacerdotibus, aliæ pro Gubernatoribus, aliæ pro militibus, &c. *Tertio*, quia de ratione legis humanæ est, ut instituat à Gubernante communitatem, & societatem hominum: inde fit quòd leges humanæ distinguantur secundum diversa regimina in Monarchicas, Aristocraticas, & Democraticas. *Quartò*, cum lex humana tota sit in directione bonorum actuum; secundum hoc distinguuntur leges penes ea, de quibus feruntur. Hinc est lex Julia de adulteris, lex Cornelia de sicariis, & sic de aliis. *Quintò* denique cum lex spectari possit secundum distinctam auctoritatem Legislatoris; nempe Politicam, & Ecclesiasticam, hinc fit quòd aliæ leges dicantur Ecclesiasticæ, quæ aliàs appellantur Canones, seu regulæ præscriptæ ab iis, qui à Christo Domino curam, & auctoritatem habent administrandæ, & regendæ Ecclesiæ; aliæ sunt leges Civiles, seu Politicæ, quæ præscribuntur à Principibus, atque ab iis, qui regendæ Republicæ incumbunt.

*Notandum 3.* Circa Christi Domini natiuitatis tempora exortum fuisse errorem quorundam asserentium non esse licitum fidelibus alium præter Deum superiorem agnoscere; subindeque nec parendum esse sæcularibus Principibus, nec eorum legibus obediendum. Quorum errorum antesignanus extitit Judas Galileus in diebus professionis, ut legimus Act. 5. idest, circa natiuitatem Christi, quando videlicet exiit edictum à Cesare Augusto, ut describeretur universus orbis, & ibant omnes ut profiterentur, ut legimus Luca 2. Additur autem de illo Judæ quòd avertit populum post se. Quid autem ille prædicaret, sacer textus non loquitur: S. autem Hieronymus refert, dicens in 3. cap. Epist. ad Titum. *In initio, inter cætera hoc quasi probabile proferebat ex lege, nullum debere Dominum, nisi solum Deum vocari, & eos, qui ad templum decimas deferrent, Cesari tributa non reddere.* Aitque hanc hæresim multum percrebuisse usque ad tempora prædicationis Christi, & illius occasione Pharisæos misisse Discipulos suos ad Christum in-

terrogandum, an liceret dare censum Cæsari. Addit autem Anastasius Nissen. q. 67. in *Scripturam*, Sectatores huius Judæ Galilæi, vocatos fuisse Galilæos, qui prohibebant offerri sacrificia pro Imperatore, & populo Romano, & ideo interfectos fuisse à Pilato: hos enim credit esse illos Galilæos, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum eorum sacrificiis. Hunc autem pridem sopitum errorem denuò suscitavit Lutherus in lib. *de libert. Christiana*, ubi ait; Nullo opere, nulla lege, homini Christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege. Et in Commentario Epist. ad Galat. *Sola fides*, inquit, necessaria est, ut iustus sumus: cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita. Ibidemque hæc addit, Si conscientia dicat, peccasti. Respondeo, peccavi: ergo Deus puniet, & damnabit? non. At lex hoc dicit? sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem: Et addit ibidem nullam legem Christianis, sive ab hominibus, sive ab Angelis imponi posse, nisi quantum ipsi velint. Ab hoc autem errore non longè abest Calvinus; nam lib. 4. inst. c. 10. n. 8. affirmat, Deum esse unicum Legislatorem: non licere hominibus id sibi honoris sumere, & num. 5. priùs dixerat leges humanas dictas, & probatas sive ab Ecclesia, sive à Magistratu ferantur, non ligare per se conscientiam. Contra quos errores sit

### CONCLUSIO PRIMA.

**F**ideles per Legem Evangelicam non eximuntur ab obligatione parendi Legibus Humanis, & obedientia erga superiores Ecclesiasticos, & temporales; proindeque adhuc perseverat legum humanarum necessitas, & utilitas.

Probatur Conclusio, illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Christus Dominus, & Apostoli fidelibus præcipiunt, ut debitam observantiam, & obedientiam Superioribus, tam Ecclesiasticis, quam Politicis impendant. Sic Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, ex quibus verbis Justinus Martyr in *Apologetica secunda pro Christianis* colligit præceptum solvendi tributa Principibus: *ibidemque* proficitur nomine omnium Christianorum subjectionem, & obedientiam erga Romanos Imperatores tunc Ethnicos, Similiter Luca 10. Christus Dominus alloquens Apostolos ait, *Qui vos odit, nos odit;*

*qui vos spernit, mespernit:* Quibus Christus præcipit fidelibus, ut Apostolis, & in eorum persona, Prælati aliis Ecclesiasticis Apostolorum successoribus debitam obedientiam, Hinc S. Paulus ad Rom. 13. generaliter præscribit v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non enim est potestas nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinatae sunt:* Et v. 2. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:* Et v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Cujus postremi testimonii priora verba, necessitate subditi estote, directè pugnant contra id, quod contra dixit Lutherus, non esse subditos fideles, nisi ipsi velint. Posteriora verò, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, contraria sunt ei, quod dicit Calvinus, leges humanas non obligare per se conscientiam: Et ad Tit. 3. v. 1. *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse.* Et Hebr. 17. v. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi:* Et 1. Petri 2. v. 13. *Subditi igitur estote omnium humane creaturæ, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum; quia hæc est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:* Eorum scilicet, qui Christianos accusabant ipso initio prædicationis Evangelii, quòd principatum humanum everterent, & inobedientiam erga Principes, & erga leges humanas introducerent, ut testantur S. Hieron. in c. 3. Epist. ad Titum, initio; & Chrysostr. homil. 23. in Epist. ad Tim. his verbis: *Plurima tunc temporis circumferebatur fama, traducens Apostolos veluti seditiosos, rerumque novatores, qui omnia ad everiendum leges communes, & facerent, & dicerent: Qui etiam notant idcirco Apostolos Petrum, & Paulum, tam multa in suis Epist. dixisse de obedientia erga Principes, & Superiores, ut huic errori sese opponerent.*

Confirmatur ex facto Apostolorum, qui varia præcepta variasque leges in ipso nascentis Ecclesiæ exordio fidelibus præscriperunt. Sic Act. 15. statuerunt, *ut gentibus de novo conversis præcipiatur abstinere à sanguine, suffocato, & idololatriis*, in fine ejusdem capituli de Paulo, scribitur; *Præcipiens custodire præcepta*



*repta Apostolorum, & Seniorum.* Et ex eo quòd Apostolus usus est ista potestate 1. ad Timot. 3. *Hæc tibi scribo, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari.* Ibidem Bigamos, & Neophytos ad Episcopatum non esse afluendos edicit, 1. ad Cor. 14. mulieres in Ecclesiis taceant, & ex antiqua Ecclesiæ praxi, ut constat ex Canonibus Conciliorum vetustissimorum 3. & 4. sæculo coactorum.

Suffragatur etiam ratio; quia lex Evangelica Principes sæculares, & Prælatos Ecclesiasticos sua autoritate non fraudat, & spoliat, imò potius illam commendat, stabilit, & confirmat, velut à Deo derivatam: juxta illud Joan. 19. *Non haberes potestatem adversum me ullam,* inquebat Christus, *nisi tibi datum esset de super:* Et Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Nec etiam eos privat illius potestatis usu in condendis legibus necessariis, vel utilibus ad bonum regimen Ecclesiæ, aut Reipublicæ; nam sicut ante legem Evangelicam, sic etiam sub ea multa occurrere possunt ad Dei cultum, morum directionem, Reipublicæ tranquillitatem, & pacem conducentia, quæ divinis legibus novi Testamenti determinata non sunt, & expressa, ut patet non solum in legibus pertinentibus ad Sacramentorum administrationem, & receptionem, censuris Ecclesiasticis, impedimentis matrimonii: sed etiam in iis, quæ spectant ad rectam imperii, regni, & cujusvis communitatis directionem; nam non potest communitas civilis perfecta sine legibus gubernari. Hinc tanto studio fideles nascentis Ecclesiæ observabant imperatorias leges, quæ divino cultui non erant contrariæ, ut merito Plinius scribens ad Trajanum de Christianis, significaverit nihil se invenisse quo culpari possint, de non servatis, excepta religione, Imperatoriis legibus, atque edictis. Cujus quidem observantiæ S. Augustin. *lib. de catechizandis rudibus cap. 21.* dicit fuisse figuram in veteri Testamento, quando Judæis capta Jerosolyma, & Babyloniam deducti jussi sunt orare pro eis, à quibus captivi tenebantur, & in eorum pace pacem sperare suam: eoque id effecerunt, ut verum Deum tandem quidam illorum Regum agnoscerent, & colerent. Simili modo Christiani fideles exactè servando Imperatorum decreta effecerunt, ut & ipsi tandem Christo crediderint.

*Obijciunt hæretici:* Judæis est prohibitum aliquas leges legi divinæ superaddere: Ergo pariter Christianis non est licitum no-

*Frasen Theol. Tom. VI,*

vas condere leges, quæ jus divinum in Novo Testamento exaratum determinent, ejusque impletionem promoveant. *Probaturs antecedens,* ex Deuter. 4. ubi dicitur, *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo, &c. & quod præcipio tibi hoc tantum facies, nec addas quidquam nec minuas.* Patet etiam consequentia, tum à paritate rationis, tum quia S. Joan. cap. ult. Apocal. ita præscribit. *Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, &c.*

*Respondeo 1.* Distinguendo anteced. Judæis est prohibitum aliquid addere legibus à Deo sancitis; tanquam si leges ab eis additæ divinæ essent, *concedo: secus, nego.* Nam ex ipso Veteri Testamento constat plura ab hominibus sanctissimis fuisse sancita ab universis Israelitis in perpetuum servanda; nam Esther 9. Judith. ult. & 1. Machab. 4. nova festaverunt instituta in perpetuum servanda: & 1. Regum 30. David constituit *ut esset æqualis portio descendensium ad prælium, & remanentium ad sarcinas.*

*Respondeo 2.* Negando consequentiam; Discrimen enim inter Legem Novam, & Veterem est, quòd in veteri lege præter moralia præcepta, etiam præscripta fuerunt judicialia, & ceremonialia; etiam quantum ad minima, quæ vel Dei cultum, vel pacem inter Judæos stabiliendam, & servandam spectabat: quare non mirum est, si fortè non fuit in potestate hominum leges humanas Ecclesiasticas ferre, cum Deus providerit omnibus per seipsum; at in lege Nova secus accidit; cum enim nihil præscriptum fuerit à Christo Domino circa judicialia, & ceremonialia, eo quòd hæc per se non ordinabantur, nec quidquam conferebant ad gratiam, in qua primario lex nova consistit, idcirco debuerunt ea præscribi per homines. Unde ad textum Apocal. dico S. Joannem tantum prohibere detractionem, vel additionem ad ea, quæ vaticinatus fuerat, & in eo libro scripserat: non verò facultatem adimit Christianis Prælati, & Principibus nova decreta stabiliendi, quæ vel Ecclesiæ, vel civilis communitatis rectam administrationem concernunt.

*Obijciunt 2.* Christus Dominus Marci 7. damnat humana præcepta proferens illud Isaïæ c. 29. *In vanum me colunt docentes doctrinas,*

nas, & præcepta hominum. Et Matth. 23. arguit Phariseos, quod onera gravia hominibus imponerent, digito autem suo nolent ea movere. Ergo censuit non morem gerendum præceptis, & legibus humanis.

Nego consequentiam, & ad textum S. Marci, Respondeo: idcirco Christum Dominum reprehendere Phariseos, quod nempe multas vanas, & inutiles observantias superstitione proponebant suis sectatoribus, parvi autem debebant observantiam divinorum mandatorum, ut patet ex ratione, quam ipsemet Christus subjungit dicens; *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata urceorum, & calicum, & alia similibus facitis multa.* Addit, *Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.* Cujus quidem rei subjicit exemplum, nempe quod potius essent munera in templo offerenda, quam parentum necessitati subveniendum.

Ad textum verò Matth. dico Christum parim redarguere Phariseos, quod digito suo nolent movere onera aliis imposita, ad quæ tamen portanda hortabatur populum dicens: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, & facite:* Partim quod in minutioribus quibusdam observantiis, ut in solvendo decimas menthæ, & anethi, &c. essent accurati, & graviora negligenter: Unde subjungit *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Objicies 3. Christiani in Novo Testamento dicuntur exleges, & omnino liberi: ergo nullis humanis legibus, tam Ecclesiasticis quam civilibus tenentur. Probatur antecedens, ex illo Matth. 7. ubi Christus ait, *Liberi sunt filii*, scilicet à dandis tributis. Similiter ad Galatas 2. conquæritur Apost. quod falsi fratres subintrojerunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu; ut nos in servitutem redigerent. Et cap. 4. itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit. Et cap. 5. *Vos in libertatem vocati estis.* Et ibidem, *si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et 1. ad Timoth. 1. *Justo non est lex posita.* Et 2. ad Corinth. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

Nego consequentiam: Licet enim Christiani vocati sint in libertatem, hæc tamen libertas non est exemptio ab obedientia superioribus præstanda, sed vel à dominio peccati, vel à spiritu, & timore servili, vel ab onere legis Mosaicæ. Unde mone-

bat S. Petrus Epist. 1. cap. 2. *Quasi liberi; & quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* Unde ad singulos textus respondeo.

Ad primum quidem dico: Illa verba Christi ex Marth. non esse ad propositum; nam sensus illorum est, Reges, & Principes non solere tributum exigere à suis filiis, sed hos esse ab omni tributo liberos; adeoque nec verè à Christo fuisse exigendum tributum, qui erat filius summi Regis, & omnium Dominus.

Ad textum autem Apostoli ad Galatas, dico eum ibi sermonem instituire de Christianorum libertate, & exemptione ab onere legis Mosaicæ, quam ostendit fuisse legem servitutis, & populum Judaicum, cui data est, fuisse præsignatum per Ismaelem Ancillæ filium; Christianos autem per Isaac filium Liberæ, quibus significat nos esse liberos à lege Mosaica, non autem ab omni alia; propter quod addit *Tantum ne libertatem hanc* (à Lege Mosaica, *in occasionem detis carnis; sed per charitatem spiritus servite invicem.* Hinc ibidem ritè advertit S. Chrisost. quod Apostolus, cum legis jugum detraxisset; ne subsisterent, aliud illis imponit jugum, nimirum charitatis, illo quidem validius: sed multò levius, ac jucundius. Vult igitur Apostolus, quod Christiani liberi sint a jugo legis Mosaicæ, non autem à lege charitatis, erga invicem, & erga Deum, quæ lex charitatis omnia alia moralia præcepta continet, ut ibidem significat Apostolus dicens: *Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

Ad illud Epist. ad Timoth. dico *justo non esse legem positam*, quatenus pœnas, & terrores minatur; cum justus legem impleat, non formidine pœnæ, sed amore honestatis, & justitiæ: illo modo autem est posita injustis, & parricidis, ut ibidem docet Apostolus.

Ad locum 2. ad Cor. dico Apostolum solum velle, quod fideles liberi sint ab obscuritate & crassitie veteris legis, & à cæcitate, & duritie cordis Judæorum; quatenus liberè Deo serviant, & veritati rebusque divinis intendant: Unde paulò ante dixerat, *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen possum est super cor Judæorum.* Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen, Dominus autem spiritus est, ubi autem spiritus Domini ibi libertas, nos verò revelata facie gloriam Domini speculantes, &c.

*Obijciunt* 4. Christus Dominus *Luce* 22. Apostolos alloquens ait: *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic: Ergo* censet Christus nullam vigere dominationem apud fideles; proindeque nec apud eos esse legislativam potestatem. Similiter 1. *ad Cor.* 7. Apostolus ait: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.*

Respondeo ad primum, Christum illis verbis monere tantum discipulos suos, ut nec dominatum, nec titulos honoris, & excellentia affectent, sed potius exoptent aliis servire. Si autem ceteris præesse cogantur, non id faciant quasi dominantes, sed quasi ministrantes, suumque imitentur exemplum, qui cum esset eorum Dominus, & magister, in medio eorum erat, sicut qui ministrat.

Ad Apostolum, dico ipsum prohibere ne efficiamur servi hominum in iis, quæ Deum offendunt, eis scilicet ita se accommodando, ut eis obsequium impendentes, quæ Dei sunt, deferamus: alioqui enim alibi servos monet Apostolus, ut suis dominis temporalibus obsequantur. Sic ad *Ephes.* 6. *Servi obedite dominis carnalibus cum tremore, & timore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: scientes quoniam unusquisque, quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.* Idem repetit ad *Colos.* 3. idem pariter docet S. Petrus 1. cap. 2. dicens, *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discoloris.*

## CONCLUSIO SECUNDA.

**L**ex humana non incongruè describitur, *Diadamen rationis practicæ ad commune bonum ab eo, qui curam communitatis habet, & in eam auctoritate pollet, subditis sufficienter notificatum:* Patet hujusce descriptionis veritas ex illius partium declaratione. *Primò* namque: lex humana dicitur *diadamen rationis practicæ*, in quo veluti genericè convenit non solum cum lege naturali, à qua velut à fonte derivatur, sed etiam cum consilio, & simplici mandato præscripto ab eo, qui potestatem exercet; dum autem subditur *ad bonum commune*, excluditur privilegium, quod in bonum privatum alicujus particularis dumtaxat conceditur. Cætera verò adduntur, tum ut excludatur consilium, quod auctoritatem unius alterum exigit: tum ut explicetur vis, & efficacia coactiva legis, quæ fieri potest per

superiorem habentem supremam potestatem in subditos, quibus legem præscripsit, & notificavit.

*Advertendum* nihilominus, alias à jurisperitis legis humanæ definitiones tradi: Gratianus enim c. *Lex* distinct. 2. ait quòd *Lex est constitutio populi, qua majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.* Papi- nianus verò *Lege* 1. ff. de legibus, sic eam describit: *Lex est commune præceptum, virorumque prudentum consultum, delictorum prohibitio, & communis reipublicæ sponso.* Demum Rebuffus in *Proæmio constitutionum regalium glossa* 1. num. 1. hanc tradit legis humanæ distinctionem; *Lex est commune bonum, sine quo nihil unquam boni fieri possit.* Licet autem hæ omnes, & aliæ similes legis humanæ descriptiones reverà probari possint, nihilominus ea, quam tradidimus, exactior, & magis probanda videtur; utpote quæ genus, & differentiam perspicacius explicet.

*Advertendum insuper* ad legis humanæ integritatem, & perfectionem, varias requiri conditiones, quas omnes complectitur *Isidorus lib. Ety. cap. 2.* & *Gratianus dist. 4.* his verbis, *Erit autem lex honesta, justa possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco & tempori conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat: nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* *Primò* dicitur quòd lex debet esse *honesta, & justa:* cum enim ordinetur lex ad componendos hominum mores, qui probi, & virtuosii esse nequeunt, nisi honestate virtutis, & justitia imbuantur; hinc meritò sanctus Augustinus lib. 1. de libero arb. c. 5. *Mibi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Discrimen autem est inter has duas legis humanæ particulas, *honestæ, & justæ,* quòd eatenus *honestæ* dicitur, quatenus præcipit quòd honestum est, & rectæ rationi congruum; *justæ* verò prout æqualiter, & sine ulla exceptione omnes subditos ad præscriptum obeundum, vel vitandum compellit.

*Secundò* dicitur, quòd lex debeat esse *possibilis,* idque non solum possibilitate physica, verum etiam morali, nempe, ut subditorum viribus sit temperata: Lex enim humana debet multitudinem, cui præscribitur dirigere ad bonum commune; tali autem modo non dirigeret, si aliquid factu difficile præciperet, siquidem id potius vergeret in detrimentum boni communis, essetque subdi-

tis in laqueum, cum vix à paucissimis obfervaretur ob difficultatem rei præceptæ, & humanam fragilitatem. Quare id maxime cavere debent Principes, & prælati ne multitudinem legum, & difficultate subditos opprimant, & obruant. Unde merito dixit Seneca Epist. 94. *Legem brevem esse oportet, quod facilius ab imperitis teneatur, vel ut emissæ divinitus vox sit: Jubeat, non disputet.* Hinc S. Augustinus Epistola 119. quæ est ad Januarium de variis ritibus Ecclesiasticis, ubi diversa Ecclesiæ præcepta commemorasset, ait cap. 19. *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine univèrsæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur: ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione rescandæ existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judeorum, quietiam si tempus libertatis non agroverim, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesiæ Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec facit.*

Tertia conditio est ut lex humana feratur secundum consuetudinem patriæ; siquidem juxta regionum, & gentium varietatem variæ sunt etiam consuetudines; proindeque variari debent leges. Additur quòd loco, & tempore congruere debeant, inde factum est, quòd tanta sit legum variatio; Quæ enim uno tempore congruebant, altero videntur infestæ. Sequitur quòd debeat esse necessaria, & utilis: Necessaria inquam ad malorum proscriptionem; si enim in republica omnia rectè consent, omnino supervacanea est lex. Utilis autem: nam si nullam communi bono utilitatem afferat, omnino ut frustranea, & inanis esse ableganda. Additur quòd lex debeat esse manifesta; unde Justinianus lib. de legibus. *Leges, inquit, sacratissimæ ab omnibus intelligi debent, ut universi præscripto earum manifestius intellecto prohibita declinent, & faciant præscripta.* Cætera ad-

duntur ut exinde constet qualiter leges omnes cedere debeant in bonum commune, ut in prima disp. dictum est.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Penes quos resideat legislativa potestas.*

**N**otandum I. supremam legislativam potestatem penes solum Deum resideat; cum enim unus sit potentissimus omnium rerum Artifex, ejus solum est res omnes maxime ratione præditas, per debita media suos in fines dirigere. Cum autem duplex hominum sit status, ac finis; unus naturalis, alter supernaturalis, ad quos duplici divinæ suæ providentiæ vigilantia, Deus suos in fines ordinat etiam duplicem hominibus auctoritatem indidit, qua tanquam ejus supremæ potestatis administrari alios sibi subditos dirigerent ad utramque felicitatem naturalem, & supernaturalem. Hinc duplex exurgit inter homines legislativa potestas: *Alia* quidem civilis, & politica, qua respublica ritè, pacatèque administratur, & subsistat; *Alia* autem spiritalis, & Ecclesiastica, qua Christi Domini fideles invicem non solum charitatis, sed etiam tranquillitatis, & concordia vinculo cohereant; ac sibi præscriptis legibus obtemperantes faciliore, securiorique gressu vitam æternam possint assequi. Quæritur ergo apud quos hæc utraque leges ferendi potestas maxime resideat, & vigeat.

*Notandum 2.* hoc esse discrimen inter utramque hanc legislativam potestatem, quod Ecclesiastica à Christo Domino derivata sit in Petrum, & ejus Successores, juxta illud Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cælorum,* & Joan. 20. *Pasce oves meas:* quibus, ut dicemus mox, promittitur, deinde committitur regimen universalis Ecclesiæ Petro, & ejus Successoribus: Politica verò primario, & quasi radicaliter resideat penes ipsam communis civitatis, seu rempublicam; hæc enim potestas consequitur ex natura rei conditionem corporis politici, velut quædam illius moralis proprietatis; siquidem eo ipso quo aliqui cocunt in aliquem cœtum, ista communitas ex natura rei habet potestatem se regendi per media convenientia: proindeque præscribendi leges, quibus singula membra bono communi studeant, & invigilent. Sicut enim eo ipso quo servus aliquis, aut

alius

alius adscribitur in familiam alicujus Domini, ex conscientia ipsius regimini subjacet; ita & membra communitatis: hoc ipso quod in unum corpus coeunt ipsius corporis regimini, & auctoritati subjacent. Hæc autem potestas totius communitatis, non residet penes aliquod ipsius membrum; quia non est potior ratio de uno homine, quam de altero, ob quam illi ex natura rei jus regendi multitudinem, seu communitatem competeret: maximè cum singuli homines sibi libertatem vindicent, nec ex natura sua alicui politicæ potestati subiciantur. Hæc igitur potestas penes totam ipsam communitatem residet, non tamen ei ita immobiliter est affixa, quin possit ab ea amoveri; nam primò Deus tamquam supremus omnis creati juris Dominus potest hanc potestatem legislativam auferre ab illa communitate, & alicui illius membro conferre, sicut regiminis potestatem super Israelitas contulit Sauli, & Davidi. Potest etiam ipsa Respublica hanc potestatem in unicum sui membrum transferre.

*Notandum* 3. Hoc insuper esse discrimen inter utramque potestatem, quod Ecclesiastica sit excellentior civili, quantum spiritualia præstant temporalibus, & supernaturalia naturalibus: Ecclesiastica nempe potestas est ordinis supernaturalis, non solum quantum ad principium à quo derivatur, utpote instituta ab Authore gratiæ; sed etiam quantum ad finem; siquidem finem supernaturalem intendit, & per media supernaturalia; Quamvis autem multa præcipere videatur, quæ in substantia sunt ordinis naturalis; tamen hæc idcirco imperat, ut per illa melius consistat ordo Ministrorum Ecclesiæ, qui sacrificia offerre, & ministrare debent, sacramenta, cæteraque munia Ecclesiastica obire; quibus populus salutem facilius operetur, seu consequatur. Civilis autem potestas tantum est ordinis naturalis; solum enim spectat ad politicam felicitatem, nec per se spiritualem, & supernaturalem intendit. Nihilominus hæc utraque potestas invicem debet cohærere: Hinc Hugo Carnotensis Epist. 238. ad Paschalem Papam merito ait, *Cum Regnum, & Sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret, & fructificat Ecclesia: cum verò inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ miserabiliter dilabuntur.*

His ita prælibatis, tria maximè hic oc-

currunt examinanda. *Primum* quidem, an & quas leges possint Imperatores, & Reges ferre. *Secundum*, an Ecclesiæ Prælati, putà summus Pontifex, Episcopi, &c. possint sibi subditis fidelibus leges præscribere. *Tertium*, an etiam Communitates, & cœtus leges condere valeant.

### CONCLUSIO PRIMA.

**I**mperatores, & Reges non possunt condere leges purè Ecclesiasticas, sed solum Politicas; idque dumtaxat pro sibi subditis populis. Hæc conclusio duas habet partes, quarum *Probatum prima*: Primò quidem auctoritate SS. Patrum, ut constat ex S. Athanas. Epist. ad solitariam vitam agentes; Hilario adversus Constantium, maximè verò ex S. Ambrosio, qui in concione de Basilicis non tradendis hæreticis, ita de Imperatore loquitur, *Quid honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est: bonus enim Imperator querit auxilium Ecclesiæ, non refutat &c.* Et Epist. 13. ad Imperatorem Valentinum, qui mandaverat Ambrosio, ut coram se veniret disputaturus de fide cum Auxentio Ariano, inter cætera scribit, *Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamus, ut Sacerdotalis juris finis immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à Laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat: Episcopus discat à Laico. At certè si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora trahemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopus solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? Eris, Deo favente, etiam senectutis maturitate proveclior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui Laicis jus Sacerdotale substernit. Pater tuus, Deo favente, vir maturioris ævi, dicebat: Non est meum judicare inter Episcopos: tua nunc dicit Clementia: Ego debeo judicare, & ille baptizatus in Christo, inhabilem se ponderi tanti putabat esse judicii; Clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta servantur, arrogat de fide judicium, cum fidei ipsius sacramenta non noverint.*

Simili constantia, & animi fortitudine

S. Augustinus scribit ad Bonifacium Comitem de Donatistis, & Circumcellionibus ostendens qualiter, & quando fideles debeant Imperatorum legibus obtemperare; Quia, inquit, & Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes; quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur scipientes, & corriguntur intelligentes: Quicumque ergo legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei non feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium, &c.

Nec obstat: Quod aliqui Imperatores Christiani leges aliquas Ecclesiasticas præscripserint, ut constat ex Codice Justiniani; Nam si quid decreverint, nullam habuit vim obligandi, ex vi sanctionis Imperatoriæ; sed solum vel ex concessione Ecclesiasticæ potestatis, quasi per tacitam, vel expressam invocationem Ecclesiæ postulantis auxilium brachii sæcularis adversus scipientes hæreticos, aut alia vitia religioni contraria, putâ blasphemias, ritus Paganicos, & Judaicos, quæ per solam Ecclesiæ spiritualem potestatem non poterant cohiberi; Vel id præstiterunt Imperatores, ut executioni demandaretur, quod vel à Christo Domino, vel ab Ecclesia sancte fuerat ordinatum; nam Reges, & Imperatores Ecclesiæ tuendæ, ac servandæ maximè invigilare debent, juxta illud Isaïæ vaticinium de Ecclesia; *Erunt Reges nutritii tui, & Reginae nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

Patet etiam secunda pars, nempe quod Imperatores, & Reges tantum possint condere leges pro sibi subditis Populis. Cum enim leges ferendi authoritas tantum sese ad subditos extendat, quos Legislatores possunt ad legum observantiam coercere, inde fit, quod nullam prorsus obligandi vim habeant leges respectu eorum, qui Legislatori non subjiciuntur.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**S**ummus Pontifex, Episcopi, & Concilia potestatem habent leges Ecclesiasticas ferendi.

Prima pars fundatur in illis duobus testimoniis Matth. 16. ubi Christus Petro specialem authoritatem promittit, dicens, *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & Tu es Petrus, &*

*super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Postmodum verò promissum implendo Joan. 21. cum ter Petrum interrogasset, an se plus diligeret, quàm ceteri: subjungens, ait: *Pasce oves meas*, hoc est, accipe potestatem regendi, & leges ferendi: verbum enim pascendi in Scripturis significat eam potestatem, ut colligitur ex 2. Regum c. 5. *Tu pasces populum meum Israel, & eris Princeps super eum.* Dum autem indefinitè dixit *oves meas*, ostendit potestatem Petro concessam in omnes Christi fideles.

Quam utique veritatem disertè explicat S. Bernardus, lib. 2. de consideratione ad Eugenium summum Pontificem cap. 8. ubi eum alloquens ait: *Age indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves credita sunt... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, unus unus. Nec modò ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, & indiscrite, totæ commisse sunt oves? Si me amas Petre, Pasce oves meas: quas? illius vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certè regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse? nihil excipitur ubi distinguitur nihil.*

Hanc ipsam veritatem plures summi Pontifices asseruerunt: Sic Anacletus Papa dist. 22. Epist. ad omnes Episcopos, ita scribit. *Sacro sancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est; sicut ipse Beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, &c. Idem affirmat Innocentius III. c. sollicitè est, &c. Nobis in Beato Petro sunt oves Christi commisse, dicente Domino, Pasce oves meas. Et Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdunensi, cum Jesu Christi vices teneamus in terris, nobisque in Petri persona dictum sit: Quodcumque ligaveris super terram, &c.*

Confirmatur hæc eadem veritas ex praxi veter-

veteris Ecclesiæ: Nam Victor Asiaticas Ecclesias excommunicavit, quod Pascha non celebrarent die Dominica, sed eadie, qua celebratur à Judæis, ut legitur apud Eusebium *lib. 5. hist. cap. 24.* Zephyrinus, ut refert Tertull. *lib. de Pudicitia cap. 7.* statuit, ut mœchi, ac fornicarii ad poenitentiam admittantur. Itém Montanistas damnavit, ut refert ipse Tertullianus *lib. contra Praxeam.* Stephanus Papa statuit non esse rebaptizandos ab hæresi redeuntes. Ita Eusebius *lib. 7. cap. 6.*

Petes, *An summus Pontifex possit leges condere independenter à Cardinalium consilio.*

*Respondeo*, quod antiquitus Romani Pontifices, dum aliquid gravioris momenti statuendum habebant, non assumebant consilium, quàm vicinorum Episcoporum, ut patet plurimis, exemplis, quæ non juvat inpraesentiarum expendere. Nihilominus congruè summus Pontifex nihil maximi ponderis statuit, ac decernit absque Cardinalium consilio: *Quia*, ut ait Innocentius III. sicut refertur titulo *qui filii sunt legitimi*, cap. per venerabiles, *sunt Sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione Sacerdotalis officii Coadjutores existunt: Is verò super eos Sacerdos, sive iudex existit, cui Dominus inquit in Petro: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis. Ejus Vicarius, qui est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, constitutus ab eo iudex vivorum, & mortuorum.*

*Probatur secunda pars.* *Primò*, quia Episcopi habent potestatem in suis Dicecesibus, & positi sunt regere Ecclesias suas à Spiritu sancto. *Secundò*, quia talem potestatem agnoscit Ecclesia in illis, ut patet ex cap. *Si quis de majoritate, & obedientia*, & cap. *ut animarum, in sexto.* *Tertiò*, ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ cernitur in S. Cypriani Epistolis 10. 11. 12. & 14. in qua decernit, & præcipit in suo Clero, ne temerè pax lapsis concedatur, & in Epist. 13. in qua statuit *ne lapsi, & Chatechumeni exeant ex hoc mundo vacui communionem.*

Item ex Canonibus Petri Alexandrini *Sermone de Poenitentia: Epist. Canonica Gregorii Thaumaturgi* constituyente varias poenas pro diversitate peccatorum, & aliis.

*Patet etiam tertia pars*, quia I. Concil. Generale legitime congregatum habet potestatem condendi leges pro tota Ecclesia:

*Tum quia Concilia Generalia in Spiritu sancto congregantur, & universam Ecclesiam repræsentant: Tum quia Apostoli sedentes in Concilio Generali leges sanxerunt, ut patet ex Act. 15. Tum denique*, quia id semper factitatum est in Conciliis generalibus, in quibus plurima sancita fuere ad bonum Ecclesiæ regimen, & probam morum institutionem spectantia.

*Concilia Provincialia* itidem possunt condere leges, quæ obligent in Provinciis, & *Nationalia*, quæ in nationibus ut constat pariter ex universali, & perpetua Ecclesiæ praxi. Quòd si quasdam leges tulerint *Nationalia*, vel *Provincialia Concilia*, quæ ad totum orbem sese extendunt; id non factum est, quia ab illis Conciliis sancita fuerunt illæ leges; sed quia à fidelibus omnibus hujusmodi leges fuerunt acceptatæ, id postulantibus, & præcipientibus Episcopis.

*Quantum verò ad Capitula Ecclesiarum Cathedralium* sede vacante, verisimilius est nihil posse constituere, quod obliget in tota Dicecesi, nisi provisionaliter, in iis maximè, quibus necessarium est pro tempore vacationis provideri: tum quia ipso jure cavetur, ne sede vacante aliquid innovetur, & licet Jurisdictio Episcopalis in capitulo Cathedralis Ecclesiæ subsistat sede vacante, tamen in eo residet per modum transeuntis, & provisionaliter tantum, donec constituatur Episcopus: leges autem ferri debent ab autoritate se habente per modum permanentis; siquidem, ut diximus, leges ex se debent esse perpetuæ. Tum denique, quia ampliorem non habet jurisdictionem Capitulum Cathedrale, vacante sede Episcopali, quàm Collegium Cardinalium, vacante sede Apostolica; sed non licet Cardinalibus aliquas leges condere, vacante sede Apostolica, nisi solum per modum provisionis, & id exigente summa necessitate, quia unicum negotium injungitur Cardinalibus, nimirum vacare electioni summi Pontificis, ut constat ex Clementina *Ne Romani &c.* & ex capite *ubi periculum, de electione; in sexto; Ergo &c.*

*Denique omnes Superiores habentes jurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem, quales sunt plurimi Abbates, aliique superiores, & Ordinum Prælati, condere possunt leges pro sibi subditis religiosis, Potest, & idiptum præstare Congregatio Generalis, & Provincialis, ut ex usu Religio-*  
num

num à Pontificibus approbato constat. *Observandum* nihilominus, nullas leges ferri posse in Seraphico nostro ordine, quæ fratres obligent sub pœna mortali: hanc enim auctoritatem proseripsit Sixtus IV. in Bulla *Circumspecta Apostolica Sedis*; quæ est num. 26. ejusdem Pontificis in Bullario Rodrigues. In ea namque summus Pontifex ad instantiam Ministri Generalis, & univèrsi Ordinis, annullavit obligationes sub pœna mortali, ex censuris oriundas, ac statutis hætenus factis etiam Papalibus: quam utique annullationem confirmavit Pius V. ut refert Portel. verbo *statutum*, in additionibus concedens ut per quæcumque statuta etiam Apostolica, non ligarentur Fratres ad aliquas censuras, seu pœnas Ecclesiasticas, vel ad peccatum mortale: sed tantum ad pœnas seu penitentias per Prælatos imponendas, dummodo non sit contemptus, vel mandatum non sit positum sub pœna excommunicationis, vel in virtute sanctæ obedientiæ.

### QUÆSTIO TERTIA.

*Quinam legibus humanis teneantur.*

**N**otandum 1. Certum esse leges præceptivas, aut prohibitivas non obligare ad aliquid vitandum aut faciendum, nisi subditos rationis compotes: cum enim lex sit actus jurisdictionis, & superioritatis, qui non potest exerceri, nisi erga subditum, qui præceptum cognoscere debet ut impleat; inde constat, quod obligare non possint leges præceptivæ, aut prohibitivæ, nisi eos, qui legislatoris imperio subjacent, & illius mandatum nosse possunt, ut illud implere valeant. *Adde* quod quicumque legibus teneantur sint ejus conditionis, & status, ut nisi parent, transgressio illis imputetur ad culpam: at qui non sunt capaces rationis, nihil admittere possunt, quod imputetur ad culpam; siquidem taliter nihil imputatur, nisi fiat more humano, idest, intelligenter, & rationabiliter; proindeque infantes, qui nondum ad rationis usum pervenerunt, non tenentur legibus præceptivis, aut prohibitivis: Unde possunt vesci cibis prohibitis, & ingredi claustra monialium, &c. Similiter Cathecumeni, & infideles nondum baptizati, non tenentur legibus præceptivis, & prohibitivis Ecclesiæ, quia non sunt illius subditi; quare non peccant contra præceptum Ecclesiasticum, si neque festa ce-

lebrent, nec abstineant à carne diebus jejunii. Dixi leges *præceptivas*, aut *prohibitivas*, quia leges simpliciter constitutivæ, ut aliquid sit, aut non sit, etiam feruntur in eos, qui non sunt rationis capaces; puta quod nullus non baptizatus sit capax aliorum sacramentorum. Ratio autem discriminis est, quia qui carent usu rationis, licet non sint capaces morales obligationis, cui teneantur parere sub pœna peccati, sunt tamen capaces impedimenti quasi naturalis, & non pendenti à libero usu voluntatis eorum.

*Notandum 2.* Præsentem quæstionem non moveri adversus hæreticos, & nonnullos Errones, quorum *aliqui*, ut Lutherani contendunt Christianos homines non obligari legibus humanis, utpote qui per Christum liberi facti sunt: *Alii* verò volunt saltem justos teneri legibus humanis; quippe cum, inquit, *justo lex non sit posita*. *Ceteri* autem contendunt saltem eximie perfectos legibus humanis non subjacere, ut aliquando affirmarunt Beguardi, sicut colligitur ex Clementina *ad rostrum de hæreticis*. Hi namque omnes errores à nobis supra confutati sunt. *Nec* pariter sermo est de subditis imperio legislatoris; constat enim omnem hominem viatorem, & superiorem habentem, posse legibus illius obligari, ac subinde leges humanas obligare omnes subditos, ad quos diriguntur; *Nam*, inquit S. Paulus ad Rom. 3. *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur*. Illos ergo omnes obligat, quibus loquitur imperando, imperium enim ligat subditos, juxta illud S. Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Unde triplex maxime superest hic examinanda difficultas. *Prima*, an principes, & legislatores suis legibus subjiciantur, easque teneantur servare. *Secunda*, an personæ Ecclesiasticæ obligentur ad servandas leges Principum sæcularium. *Tertia* denique, an Peregrini teneantur legibus loci, per quem transeunt.

*Notandum 3.* Principem, & Legislatorem obligari non posse ad servandas leges, quæ ex æquo minimè pertinent ad omnes; certum quippe est Principem illis non teneri: sic immunis est à lege tributorum, quæ solis subditis præscribitur: immunis pariter à lege, quæ præscriberet modum in conviviis, vestibus, & supellectili: iniquum enim esset iis coarctari Principem, non secus ac subditi tenentur. Difficultas igitur solum est, an Princeps tam Politicus, quam Ecclesiasticus tenea-



teneatur ad servandas leges, quæ ex æquo ad omnes pertinent: Hæc autem obligatio potest cogitari duplex: vel quantum ad vim directivam solum; ita quod Princeps tantum teneatur exequi, aut cavere id, quod lege præcipitur, aut prohibetur; ut suis subditis ad earum legum observantiam viam demonstret: vel censeri potest obligari etiam quantum ad vim coactivam, seu punitivam, ita quod pœnis à lege præscriptis subiaceat, si quod præceptum est non impleat. Rursus moveri potest difficultas, ex quo oriri possit utraque, aut alterutra obligatio in Principe ad servandas leges: an videlicet ex virtute, & efficacia ipsius legis, & vera obedientia erga ipsam, ut plurimi Theologi censent; an verò ex solo affectu ejus virtutis, quæ lege ipsa præcipitur; putà ex affectu justitiæ, si pretium solvendum sit taxatum, abstinentiæ si jejunium sit præceptum, ut cæteri Theologi contendunt.

## CONCLUSIO PRIMA.

**P**rinceps tam Politici, quam Ecclesiastici, tenentur suis legibus quoad vim directivam, non autem quoad vim coactivam, idque ex solo motivo virtutis, quæ per legem præcipitur.

Probatur I. autoritate, nam L. digna vox, cap. de legibus, sic dicitur: *Digna vox majestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri.* & I. Princeps ff. de legibus: *Pareto legi quisquis legem sanxeris.* Similia habentur in jure Canonico cap. Justum dist. 9. his verbis: *Justum est Principem legibus obtemperare suis, tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimat, quando & ipse illis reverentiam præbet.* Et ne videatur id consilii tantum causâ dici, subditur: *Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare jura, quæ in subiectis constituunt, justa est enim vocis autoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.* Demum S. Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem Epist. 32. ita loquitur: *Quod cum præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas ipse primus constituit.*

Hæc autem non solum vera sunt de Principe Politico, sed etiam Ecclesiastico; nam summus Pontifex interdum tenetur legibus à se præscriptis, ut constat ex Decreto 2. parte causa 12. qu. 2. c. 20. ubi Pon-

tifex Symmachus legem fert, quæ ipsum etiam Papam comprehendit his verbis. *Non liceat Papæ prædium Ecclesie alienare aliquomodo pro aliqua necessitate, nec in usum fructum vira dare: nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impensa sustentantur, &c.*

Probatur idem ratione: Nulla est assignabilis ratio, cur Princeps eximatur à lege pertinente ad omnes; quia leges humanæ ordinantur ad bonum commune, atque ut efficiant eos, qui sunt de communitate bonos: sed non minus princeps tenetur procurare bonum commune, & satagere, ut ipse bonus fiat per legis observantiam, quam aliquis subditorum: Ergo, &c. *Insuper* lex naturalis distat, ut caput cæteris membris cohæreat, & conformetur, aliàs maxima deformitas esset in corpore politico, sicut & in naturali, si membra invicem non cohærent, & in suis officiis ad bonum commune non conspirarent; nam, inquit S. August. 3. confess. c. 8. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens.* Igitur cum Princeps sit caput corporis politici, cujus subditi sunt membra, debet unà cum subditis conspirare ad bonum commune, quod non nisi per legum observantiam stabilitur, ac firmatur.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod legislator non subdatur suis legibus quoad vim coactivam, sed solum quoad directivam. Vis coactiva, seu coercitiva est inductiva pœnæ propter legis inobservantiam; sed Princeps non potest cogi, vel puniri pœna inductiva ad legis observantiam; cum nullum habeat superiorem, à quo cogatur, & nemo propriè à seipso cogi possit; quippe cum istud contra ordinem naturæ pugnet: Ergo princeps non subditur suis legibus quoad vim coactivam, seu coercitivam, sed ab eis quantum ad obligationem pœnæ subeundæ solutus est.

Unde eò cautius, vigilantiusque Principes supremi suas leges servare debent, quod in terra nullum habeant emendatorem, sed ideò acerbius punientur à supremo iudice Deo, juxta illud Sap. 6. *Horrendè, & citò apparebit nobis, quoniam judicium durissimum, his, qui præsumunt, fiet.* Quapropter David poenitens Deo dicebat, *Tibi soli peccavi:* Quasi diceret juxta glossam: *Nullum in terris superiorem agnosco, qui meum peccatum judicare, aut vindicare queat, nisi te solum; ac proinde tibi soli*

soli quoad condignam pœnam præscribendam peccatum meum subijcio.

*Probaturn denique tertia pars*, nempe quod Princeps maximè teneatur ad suas leges servandas vi directiva ipsius legis, tum pariter ex affectu ejus virtutis, quæ lege ipsa præcipitur. *Primum* constat ex dictis; cum enim Princeps teneatur ad servandas suas leges, non per vim coactivam, necessum est saltem eum ad illam observationem teneri quoad vim directivam. *Secundum* etiam constat; cum enim Princeps sit caput Reipublicæ, tenetur se membris conformare in iis, quæ ad ipsius Reipublicæ bonum spectant: Ergo sicut subditi jure naturali tenentur obedire superioribus, & eorum præceptis se conformare, quia aliàs magna esset in corpore mystico Reipublicæ cum suo capite discrepantia, sic Princeps tenetur vita, & moribus convenire cum reliquo corpore in iis, quæ æquè ipsi, ac populo conveniunt; proindeque tenetur suas leges servare; aliàs ipse alio jure viveret, quàm populus, multum à reliquo corpore discordaret, & rectæ rationis regulam non teneret: quod certè in maximum Reipublicæ detrimentum cederet.

*Dices contra priorem partem nostræ propositionis*. Nemo nisi superioris lege ligatur. Par in parem non habet imperium. Nemo sibi imperare, aut prohibere potest. Princeps est solutus legibus suis. Ergo, &c.

*Respondeo ad tres primas propositiones*, quod princeps habet duplicem respectum: est enim superior, & inferior: superior est quidem, quatenus est caput communitatis: inferior verò est, quatenus membrum est ejusdem: quando itaque legem dat communitati, est inferior veluti respectu sui, ut superioris.

*Ad quartam propositionem* Respondeo sensum esse, quod Princeps solutus est legibus suis, quantum ad vim coactivam, quia nullus est, à quo possit puniri, si deficiat à lege communi.

*Dices 2.* Princeps potest dispensare; & eximere quemcumque voluerit à legum observatione: Ergo ut primum legem condidit, potest secum dispensare, seseque eximere ab earum, quas tulit, observatione: & ita continget, ut numquam obligetur, saltem jure humano in conscientia ad observandas leges suas.

*Respondeo* posse Principem dispensare, & eximere quemcumque voluerit à legum observatione ex justa causa: aliàs minimè pos-

se; quod autem servare tenetur respectu alicujus è suis subditis illud ipsum servare tenetur respectu sui; imò magis, quia eximere, & dispensare hominem privatum, non tam vertit in perniciem, & exitium Reipublicæ, quàm principem secum dispensare, utpote in quem velut in exemplar omnium oculi defixi sint.

*Dices 3. contra posteriorem partem*, nihil obstare quominus possit Princeps puniri pœna ab ipsa lege inflicta, quæ non requirat sententiam judicis, sed ipso facto incurrat: licet forte repugnet puniri pœna, quæ infligi debeat ab homine.

*Respondeo* obstare aliquid: quia qui pœnam infligit ex vi legis, debet esse persona distincta ab ea, cui infligitur.

#### CONCLUSIO SECUNDA.

**C**lerici, seu Ecclesiastici non subijciuntur legibus civilibus, quæ eorum statum, & ordinem dedecent: subijciuntur verò iis, quæ nec statui, nec ordini repugnant. Hæc Conclusio duas habet partes, quarum

*Prima probatur* iis omnibus constitutionibus, quibus Clerici à jurisdictione Principum sæcularium eximuntur. Sic de constitutionibus cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ* statuitur; *Nos attendentes*, quod laicis super Ecclesiis, & super personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Et cap. *decernimus de Judiciis*, *Decernimus ut laica potestas*, & *Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant*, sed *Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alii aliorum Prælatorum de negotiis Ecclesiasticis* (maximè de illis, quæ spiritualia noscuntur) *laicorum judicio non disponant: nec propter eorum prohibitionem Ecclesiasticam dimittant justitiam exercere*. Et cap. *nullus judicium fit. de foro competenti*; *Nullus Judicum, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Ecclesiæ sine permisso Pontificis per se distringere, aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia Dei, cui injuriam irrogare dignoscitur, tandiù sit sequestratus, quousque reatum suum cognoscat, & emendet.*

*Patet* id ipsum ratione: Lex, quæ non est honesta, & religioni consentanea, nullus

lius est roboris, ac efficacitatis: sed leges, quæ Clericorum statui, & ordini adverbarentur, nec honestæ essent, nec religioni congruæ; subindeque nullius essent valoris, nec aliquis ei parere teneretur.

*Patet etiam secunda pars:* Tum ex illo Apost. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* Tum ex praxi primitivæ Ecclesiæ, qua constat Clericos legibus Imperatorum obtemperasse. Tum denique, ex eo quod cum sint membra Reipublicæ, debent studere bono communi, atque ad illud procurandum concurrere in quantum eorum status facer, & ordo patitur.

## CONCLUSIO TERTIA.

**S**ubditi extra Regnum degentes iis tenentur legibus, quas interest ab illis observari pro bono ejus communitatis cuius sunt partes: secus autem de aliis legibus, quæ ita ad bonum commune non spectant.

*Patet prima pars:* In tantum enim cives, & subditi tenentur parere legibus Civitatis, & Regni, in quantum illa observatio confert ad bonum commune procurandum, & stabiliendum: Ergo ubi commune bonum procurari potest ab illis subditis etiam extra Regnum, & Civitatem degentibus per legum fancitarum observantiam, illi subditi tenentur leges servare.

*Posterior pars* etiam est evidens; ubi enim nihil refert ad bonum communitatis illius legum à subditis observatio, haud dubium est illos ad eam observationem non teneri, quando in alieno territorio, vel transeundo, vel immorando existunt. Ratio est, quia jurisdictio uniuscujusque civitatis, vel Principis particularis non extenditur quoad leges ferendas extra civitatem, seu territorium; ut docet Bertholus in *lege prima Cod. de summa Trinit. nu. 14.* colligiturque ex lege, *Omnes populi, ff. de iustitia, & jure;* ubi lex dicitur *Jus proprium civitatis:* Sicut ergo agentia naturalia non agunt extra spheram activitatis, defectu potestatis; ita quia jurisdictionis activitas limitatur intra proprium territorium; ideo lex extra ipsam non obligat: Unde colligitur, quod etiam si Legislator id maxime velit, & sub his verbis explicet; non potest obligare subditum extra territorium existentem.

## CONCLUSIO QUARTA.

**P**robabilius est peregrinos, & advenas teneri ad observantiam legum, quæ prescribuntur in his locis, in quibus sunt, etiam tantum per modum transeuntis.

*Probatur 1. autoritate S. August. Epist. 119.* quæ est ad Januarium, in qua refert S. Monicam venientem Mediolanum animo commigrandi, & non commorandi, cœpisse turbari eò quod Sabbato ibi non jejunaretur, se autem matris gratia consulisse S. Ambrosium, qui respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potiùs observaret. Cùmque ego putassem nulla reddita ratione autoritate sola sua nos voluisse admonere, ne Sabbato jejunarem, subsecutus est, & ait mihi Cùm Romam venio, jejuno Sabbato: cùm hic sum, non jejuo; sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm matri renuntiassem, libenter amplexa est; Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cœlesti oraculo susceperim: Senti enim sæpè dolens, & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitionem timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ autoritate neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire (tantum quia subest qualiscumque ratio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam quò remotiorem à suis eò se doctiorem factum putat) tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.

*Probatur 2.* Tum quia illa legum à peregrinis observatio ad bonum commune, id est, ut advenæ eorum se moribus conforment, apud quos vivunt, impedit, ne dissidia inter advenas, & incolas oriantur, ne scandala, & offensiones contingant; nevetiam ex inobservantia lex aliqua ratione vitescat. Tum etiam quia æquum videtur, ut subdiciantur legibus regionis advenæ in ea degentes, juxta illam regulam juris in 6. *Qui sentit commodum, sentit debet & onus.*

*Confirmatur* ab inconvenienti; nam si Peregrini, & Advenæ, ut supra diximus, leges proprii territorii, à quo discesserunt, servare

servare non teneantur, si non tenerentur legibus loci per quem transeunt, nullis legibus particularibus obligarentur; atque ita si esset lex aliqua particularis, quæ tam in proprio territorio, quàm in loco per quem transeunt, servaretur, ab illa fierent prorsus immunes, quod est absurdum.

*Ex his collige*, Advenas, & Peregrinos transeuntes per loca in quibus festum aliquod celebratur, si sint ibi toto mane diei festi, teneri sacrum audire, non tamen ibi commorari ut audiant.

*Collige 2.* abeuntem mane ex proprio domicilio, in quo jejunium obligat, & nocte pervenientem ad locum, ubi jejunium non obligat, posse nocte cænare, carnesque comedere; cum discedens non teneatur servare leges sui domicili, sed possit sequi leges favorabiles loci per quem transit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De efficacia, & obligatione Legum Humanarum.*

**S**atis, superque constat ex dictis, legem quamlibet vim, & efficaciam habere ad obligandos eos, quibus præscribitur ad executionem, & observantiam eorum, quæ dicitur: quocirca paucis determinandum est in præfenti Articulo, quanam, & quanta sit Legum Humanarum vis, & efficacia; quod utique fiet tribus in sequentibus Quæstionibus, quarum *Prima* aperiet circa quid Humanæ Leges versari possint; *Secunda*, qualiter obligent subditos; *Tertia*, quas conditiones exigant, ut verè ad sui observationem compellere queant.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *Circa quid Humanæ Leges versentur.*

**N**otandum 1. Legem omnem versari circa actum humanum, id est factum scienter, & liberè; Lex enim est regula actionum humanarum; quapropter sicut is, qui usu rationis, & libertatis caret, lege non tenetur, ut dictum est in præcedenti quæstione; sic nec lex alium quàm rationis, aut libertatis usum præcipit, aut vetat. Cum autem actus humanus sit triplex; quorum alius est moraliter malus, alter indifferens, alter verò bonus; inde restat examinanda difficultas, an ejusmodi triplicem actum præcipere possit.

*Notandum 2.* Actum humanum insuper distingui posse duplicem: *internum* videlicet, & *externum*. Internus ille est, qui elicitur à facultatibus internis, quales sunt intellectio, volitio, & imaginatio; *externus* verò qui producitur à facultatibus externis, quales sunt quinque sensuum externorum operationes. *Rursus*, actus illi vel sunt purè interni, nec ullatenus connectuntur cum externis, vel non sunt purè interni, sed quandam connexionem habent cum actibus externis. *Dupliciter* autem potest connecti actus internus cum exteriori; nampe vel *per se*, vel *per accidens*. Actus internus connectitur cum exteriori *per se*, vel quando est causa, & veluti forma illius; qua ratione voluntas adulterandi connectitur cum adulterio actuali: vel quando est conditio necessariò requisita ad substantiam actus exterioris in genere moris considerato; qualiter attentio connecti debet cum oratione vocali, & dolor internus contritionis, aut attritionis cum confessione Sacramentali, & intentio baptizandi cum actione externa baptizantis: Non enim est vera oratio exterior in genere moris considerata, nisi procedat ex aliqua attentione, nec vera confessio Sacramentalis, quæ non procedit ex dolore interno; nec vera actio baptizandi, quæ ex intentione Ministri non sequitur.

*Notandum 3.* Magnum esse discrimen inter actus internos, qui connectuntur cum externis *per se*, & eos, qui solum connectuntur *per accidens*. Nam actus, qui connectuntur *per se*, sufficienter manifestantur per exteriores; quis enim non videat volitionem furandi manifestari per furtum exterius? Actus verò connexi *per accidens*, non sufficienter manifestantur per exteriores; recitatio enim exterior officii non sufficienter manifestat attentionem, & devotionem, cum possit esse sine illa. *Tertiò*, Actus interior potest connecti cum exteriori non *per se*, sed *per accidens*, etiam quantum ad esse morale actionis, sicut motivum penitentia per accidens conjunctum est exteriori jejunio, & motivum vanæ gloria largitioni eleemosynæ.

Præfens ergo difficultas procedit universaliter, utrum videlicet lex Humana, tam Civilis, quàm Ecclesiastica, possit obligare ad actus internos, tam secundum se, & ut sunt purè interni, quàm ut connectuntur cum exterioribus, tribus modis jam explicatis.

Duo igitur maxime vchunt hac in quaestione resolvenda: *Primum*, an, & qualiter Leges Humanæ præcipere possint omnes actus humanos non solum bonos, sed etiam indifferentes, & malos. *Secundum*, an, & quomodo præcipere, aut prohibere possint actus internos.

## CONCLUSIO PRIMA.

**L**eges Humanæ præcipere possunt omnes actus bonos, & indifferentes, non verò malos. Hæc Conclusio tres habet partes, quarum

*Probatur prima*: Id omne præcipere possunt Humanæ Leges, quod per se conducit ad bonum commune stabilendum, & conservandum: sed omnes actus boni conducere possunt ad bonum commune: subindeque potest lex humana eos omnes præcipere.

*Patet etiam secunda pars*: quia actus indifferentes possunt interdum conferre ad bonum commune, & ipsi interdum adversari: igitur per Leges Humanas præcipi, aut prohiberi possunt.

*Tertia pars* est contra Politicos quosdam impios, qui cum nefario Machiavello existimant Principem pro tuendo regno posse quæcumque mala præcipere, & permittere; cuius quidem impiæ assertionis falsitas constat: quia lex mala præcipiens, directè militat in primum principium morale nempe *declina à malo*. Deinde, nullus potest obligari ad peccandum: sed si quis teneretur parere legibus mala præcipientibus, obligari posset ad peccandum: Ergo, &c. Major constat; quia nemo teneretur obedire legi inferioris potestatis in his, quæ prohibentur à lege autoritatis superioris: sed si quis posset obligari ad peccandum, teneretur obedire legi lætæ ab inferiori potestate, nempe creata, in iis, quæ prohibentur per legem, & autoritatem divinam, quod aperte falsum est, juxta illud Act. 5. *Oportet obedire Deo magis, quam hominibus*.

*Denique*, nusquam efficaciori modo procurator bonum commune temporale Reipublicæ, quàm cum divinæ leges observantur; quid enim magis ad bonum commune confert, quàm ubi malè agendi necessitas omnino præcluditur? quid verò magis ipsi adversatur, quàm malè agendi necessitas?

*Dices*: Plerumque expedit ad pacem, & quietem publicam hæreticis permittere, ut

*Frasen Theol. Tom. VI.*

suos errores in conventiculis suis publicè doceant, & leges ferre, ne ullus eos in suis ministeriis inturbet; sed hoc per se malum est; Ergo leges humanæ possunt interdum mala præcipere.

*Respondeo*, posse quidem interdum licitè mala quædam tolerari, ne gravius aliquid inde accidat; sicut enim in corpore naturali expedit aliquando pati detrucationem, & abscissionem alicujus membri, ne totum corpus tabe inficiatur, & intereat, sic & in corpore politico juvat interdum quædam mala minùs infestantia pati, ne grandiora exurgant, quibus Respublica omninò pessundaretur: Hac autem ratione in plerisque regnis tolerantur hæretici, ne scilicet ob eorum per perduellionem tota Respublica bellis intestinis divexaretur, subindeque rueret.

*Adde* quòd longè diversum sit mala tolerare, & ea præcipere; fatemur enim interdum ea posse tolerari, ne graviora inde emergant; negamus autem posse usquam ea præcipi quocumque prætextu.

## CONCLUSIO SECUNDA.

**L**eges Humanæ præcipere possunt actus internos, qui per se sunt causa actuum exteriorum, quive ad eorum integritatem requiruntur in genere moris, vel ad eos conferuntur ut conditiones necessarie. Non verò eos, qui purè interni sunt, vel qui tantum per accidens conjunguntur cum exterioribus. Hæc conclusio quatuor particulas complectitur, quarum

*Prima* & *secunda* simul probantur, Quicumque præcipit, vel prohibet aliquid faciendum, aut omittendum, etiam præcipit, & prohibet id omne quod cum ipso necessariam connexionem habet, & sine quo esse non potest: sed actus exteriores, qui præcipiuntur, vel prohibentur per leges humanas, necessariam habent connexionem cum actibus interioribus, qui vel sunt causa actuum exteriorum, sicut voluntas furandi est causa furti, quod admittitur; vel qui requiruntur ad actus exteriores, ut censeantur esse completi integritate morali: Ergo eadem leges, quæ tales actus exteriores præcipiunt, aut prohibent, etiam interiores, qui sunt eorum causa, vel ad eorum integritatem moralem desiderantur, censentur præcipere, vel prohibere.

*Tertia*, & *quarta* pars similiter constat; nempe quòd leges humanæ non possint præcipere,

cupere, aut prohibere actus purè internos; nec eos, qui tantum per accidens connectuntur cum exterioribus; quia potestas legislativa humana per se primò tendit ad externum, & commune Reipublicæ regimen: sed actus purè interni, aut qui tantum per accidens cum exterioribus junguntur, non spectant ad externum, & sensibile regimen Reipublicæ: Ergo per leges humanas præcipi, aut prohiberi nequeunt. Major constat, Minor pariter; quia potestas legislativa humana tantum sese extendit circa ea, quæ Principum judicio, & animadversioni subjacere possunt: sed illi actus interni hominum animadversioni, aut judicio non subjacent, quia unus homo naturaliter non subditur alteri secundum animam, sed secundum corpus: *Errat enim*, inquit Seneca 3. de Beneficiis, *si quis putat in servitutem totum hominem descendere, pars enim melior excepta est: corpora obnoxia sunt, & adscripta Dominis, mens sui juris est.* Quocirca adorandus Salvator suos Discipulos monebat Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam.*

Confirmatur hæc assertio ex cap. 14. Cogitationis de penitentia dist. 1. *Cogitationis penitentiam nemo patitur*; quod desumptum est ex jure civili, lib. 47. Digest. tit. 11. lib. 1. Item cap. *erubescant dist. 32. de manifestis*, ubi de homine dicitur, *Quod de manifestis quidem loquimur: secretorum autem, & cognitor Deus, & Judex est.* Similiter cap. *Tua nos de Simonia*, habetur, *Ecclesiam tantum de manifestis, non de occultis judicare.* Quam utique sententiam confirmat Concil. Trid. sess. 24. c. 1. *de reform. Matrimonii*: affirmans, quod *Ecclesia de occultis non judicat.*

Dices 1. Contra duas priores partes: Christus Dominus Matthæi 18. potestatem Ecclesiasticam conferens suis Discipulis generaliter dicit, *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo*: sed actus interni sunt super terram: Ergo Ecclesiasticæ jurisdictioni subjacent.

Confirmatur, quia potestas Ecclesiastica respicit bonum, & salutem animarum; ad id autem actus interni maximè conducunt: Ergo in illos etiam à Christo est concessa potestas.

Respondet, illam auctoritatem generalem à Christo concessam non absolute, sed distributive tantum esse accipiendam; nempe

quantum ad ea, quæ necessaria sunt, ut rectè, & convenienter Ecclesia possit regi, vel tantum ad ea, quæ consentanea sunt legislativæ potestati sensibili, qua homines inter se communicare possunt. Inde est quod potestas legislativa à Christo Discipulis, & Ecclesiæ Prælati concessa, tantum versatur circa actus interiores, qui necessariam habent connexionem cum exterioribus; nam cum illa concessa potestas tantum spectet ad gubernationem sensibilis hierarchiæ, etiam tantum concernit actus, vel qui sunt exteriores, vel sine quibus hujusmodi exteriores actus esse non possunt.

Dices 2. Ecclesia remittit exteriori culpas per absolutionem Sacramentalem: *Similiter* præcipit fidelibus, ut singulis annis confiteantur peccata sua, etiam purè interiora. *Denique*, reservare potest peccata merè interna: Ergo habet auctoritatem in actus purè internos.

Nego consequentiam, & ad primum dico, quod cum Sacramentalis absolutio, & penitentia spectet ad auctoritatem, & jurisdictionem à Christo Ecclesiæ ministris concessam, in cujus administratione Sacerdos se gerit tamquam minister Christi: hinc illa potestas legislativa non est purè humana, sed potius divina: Unde cum Ecclesia, vel absolutionem largitur de peccatis internis, vel satisfactiones internas injungit, vel concedit indulgentias etiam pro peccatis internis, aut dispensat in votis, vel juramentis internis, id non exequitur per potestatem sibi velut propriam, & connaturalem, qua potest actus externos præcipere, vel prohibere, quatenus conferunt ad bonum commune societatis fidelium: sed per potestatem velut vicariam nomine Dei, & Christi, aut solvendo peccata, aut satisfactionem injungendo, aut relaxando penas peccatis debitas, & declarando cessare obligationem ex promissione Deo facta resultantem, aut denique negando potestatem absolvendi à tali, vel tali peccato interno, si fortè penitens illud Ecclesiæ clavibus per confessionem sensibilem subiciat; quæ omnia, ut constat, non sunt actus potestatis legislativæ, & propriæ, sed potius divinæ, & à Christo delegatæ.

Dices 3. Ecclesia punit, & prohibet plures actus merè internos: Ergo reverà habet auctoritatem, & jurisdictionem in eos. *Probatum antecedens*; nam in Concilio Tolentino primo dicitur anathema non solum dicen-

centibus, sed etiam credentibus contrarium Fidei Catholicæ. Et in Clementina prima de hæreticis cap. *multorum*, excommunicantur Inquisitores hereticæ pravitatis, si odii, gratiæ, vel amoris, lucri, vel commodi temporalis obrentu contra justitiam, & conscientiam suam omiserunt contra quemquam procedere, ubi fuerit super pravitate hæretica procedendum: Et cap. *dolentes* de celebratione Missarum, præcipitur Clericis, ut divinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter, & devotè: sed hæresis, amor, odium, devotio sunt actus interni: Ergo &c.

*Respondeo*, hos omnes actus ita prohiberi, non quatenus purè interiores sunt, sed solum prout connexionem habent cum exterioribus: sic excommunicatio decernitur in hæresim, non ut purè peccatum mentis est, sed quatenus hæresis illa interna per signa, aut verba exteriora manifestatur: Unde ad Concilium Toletanum dico, illud non ferre anathema præcisè in non credentes, sed proponere tamquam credenda de fide; ac proinde ipsum declarare eos fore hæreticos, qui contrarium, etsi animo tantum, crediderint. Similiter odium, & amor puniuntur, ut conjuncta sunt cum actibus exterioribus: & interna devotio præcipitur, ut conjuncta est orationi vocali.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *Qualiter Humanæ Leges obligent.*

**N**otandum 1. Certum esse non omnes Humanas Leges ad sui observantiam obligare sub mortali; quia neque ipsæmet divinæ leges talem obligationem important; nec enim leve furtum, putà denarii, aut assis, censetur esse mortale, propter levitatem materiæ, licet furtum omne tam divina, quàm humana lege vetitum sit. Multò minus igitur omnis humana lex sub mortali obligare censenda est. Restat igitur determinandum, an aliqua saltem humanæ leges in conscientia sub mortali obligare queant.

*Notandum* 2. Eam fuisse variorum Hæreticorum erroneam assertionem, quòd nullæ leges humanæ in foro conscientia obligare queant, nec eas transgredientem reum esse culpæ apud Deum. Ita imprimis docuerunt Vvaldenses, ut affirmat Guido lib. de Hæreticis, Eundem errorem innovarunt Joan-

nes Vviclef, & Joan. Hus, ut testatur Bellarm. lib. 4. de summo Pontifice cap. 15. quos secutus est Calvinus 4. Instir. cap. 15. & sequentibus, ubi tametsi concedat Prælatos, & Magistratus politicos posse leges aliquas ad conservationem disciplinæ, & pacis inter cives præscribere, negat tamen eas in conscientia obligare, *Cum conscientia*, inquit, *soli Deo subdita sit, idèoque ab eo solo ligari, seu lege coerceri possit*. Ab hoc errore non longè distare videtur Joannes Gerson. Tract. de Vita spirituali lect. 4. asserens solum Deum habere auctoritatem obligandi in conscientia: Unde licet admittat leges humanas obligare in conscientia; contendit tamen illam vim ipsis non competere ratione auctoritatis humanæ, sed solum divinæ; ita quòd Legislatores, dum leges statuunt, solum declarent obligationes, quas Deus imponit; ipsi verò nullam obligationem in foro conscientia præscribant: cujus assertionis exemplum profert de ægrotis, qui in conscientia tenentur medicis obedire, non quòd medici imperandi auctoritatem habeant, sed quia declarant id, ad quod ægrotus lege naturali, ac divina obligatur.

*Notandum* 3. Controversiam non levem moveri inter Theologos, num humanæ leges ad sui observationem interdum obligent cum vitæ dispendio; in cujus difficultatis resolutione duæ sunt sententiæ extremè oppositæ: *Alter* quidem *Almianus* in moralib. tract. 1. cap. 3. concl. 4. negantis legem humanam unquam obligare ad sui observationem cum dispendio vitæ: *Alia* autem *Adriani* in 4. qu. 3. *de clavibus*, asserentis omnem legem humanam, quæ obligat sub peccato mortali, servandam esse in omni eventu etiam cum vitæ discrimine, nisi aliqua lex interveniat ex benignitate Legislatoris, quæ talem obligationem expressè non importet. Inter has autem extremè oppositas sententiæ mediat *Tertia*, affirmans legem humanam interdum obligare cum periculo, & dispendio vitæ; non tamen semper. Quibus præmissis sit

## CONCLUSIO PRIMA.

**L**eges Humanæ tam Civiles, quàm Ecclesiasticæ obligare possunt in foro conscientia, ita quòd earum transgressio sit culpabilis apud Deum.

*Probat*ur 1. de legibus Civilibus ex Scriptu-

ptura dicitur enim 1. Petri 2. *Subditi igitur estote omni humane creature, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis, in vindictam malefactorum...* Hæc est enim voluntas Dei, 2. Petri 1. dicitur, eos, qui spernunt dominationem, reservari in diem iudicii cruciandos. Et ad Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quod de damnatione etiam apud Deum Chrysof. & alii Interpretes ibidem intelligunt. Et versu 5. *Adeoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Addit ibid. versu 4. Principes esse Ministros, unde qui illis resistit, Deo resistit; adeoque Deum offendit.

*Probat*ur idem de Legibus Ecclesiasticis; primò quidem auctoritate Concilii Constantiensis sefs. 8. & 15. ubi damnantur errores Vviclefi, & Joann. Hus negantium ullam legem Humanam, sive Ecclesiasticam, sive Civilem obligare in conscientia. Hoc ipsum definitum est in Concilio Trid. sefs. 7. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus s. Ecclesie præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, anathema sit.*

Idem constat ex variis Scripturæ testimoniis; Christus enim, sic pronunciat: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus,* ubi Chrysof. hom. 16. *Considera quomodo publicanum ad exemplum summæ nequitie posuit. Præceptis ergo Ecclesie non obedire summæ nequitie est.* Idem Christus Luc. 10. ait: *Qui vos spernit, me spernit.* Et Paulus ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.* Demùm idem Apost. ait 1. ad Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus:* Et Act. 15. Apost. dicunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, &c.* Quibus locis designatur specialis potestas legum Ecclesiasticarum obligandi in foro conscientie, ut procedunt à Legislatoribus humanis, aliàs non diceret Paulus: *Præcipio non ego, sed Dominus,* nec Apostoli, *Visum est Spiritui s. & nobis.* Neque hoc ultimo loco continetur solum consilium, ut Hæretici volunt; iis enim contineri præceptum in conscientia obligans, indicant verba illa, *oneris, & necessaria.*

*Probat*ur utraque pars ratione: Primò quidem, omnis lex, quæ per auctoritatem à Deo derivatam fertur, obligare potest in

conscientia: at leges tam Ecclesiasticæ, quàm Politicæ feruntur per auctoritatem à Deo derivatam; subindeque obligare possunt in conscientia. Major constat; Hac enim ratione Lex Verus, & Nova censentur obligare in conscientia; quia per auctoritatem divinam, vel à Deo emanatam latæ sunt, & promulgatæ. Minor etiam patet ex præfatis Scripturæ textibus, quibus tam Ecclesiasticæ, quàm Civiles potestates declarantur hominibus à Deo tradi. Hinc Prov. 8. Deus ipsemet ait, *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.*

*Secundò,* potestas obligandi in conscientia reperitur in quavis communitate imperfecta, quæ constat ex viro, uxore, filiis, ac famulis: Ergo multò magis reperiri debet in communitate perfecta, quæ constat, vel Prælati, & Fidelibus subditis, vel Principe, Magistratu, & Civibus. Patet antecedens, tum ex Deuter. 21. ubi jubetur, *Morte puniri filium inobedientem, & contumacem.* Et ex Apostolo ad Ephesios 5. ubi monet uxores esse subditas viris suis. Et ex 1. Petri 2. ubi *servi declarantur teneri ad obtemperandum Dominis suis.* Consequentia etiam patet ex eo quòd majus debitum sit obediendi Principi propter bonum Reipublicæ, quàm patrifamilias propter bonum unius domus; quia bonum quò universalius est, eò divinius.

*Tertiò,* si lex Humana, sive Ecclesiastica, sive Civilis, non posset ad culpam, & in foro conscientie homines obligare, sequeretur eam, plerùmque suo frustrari effectu; sæpe namque contingit, quòd quis violare possit legem absque periculo incurrendi pœnam præscriptam; subindeque si ex conscientia non teneretur eam servare, non rarò posset eam transgredi.

*Dices* 1. Ille solus obligare potest ad culpam præcipuè mortalem, qui potest hominem privare gratia, quive potestatem habet ligandi in foro conscientie: sed nullus homo potest alterum gratia privare; quemadmodum nullus potest in eum gratiam inducere: Similiter Legislator saltem Civilis non habet potestatem ligandi, atque solvendi in foro conscientie: Ergo vel nulla lex obligare potest in conscientia, vel saltem Civilis, & Politica id non potest.

*Respondeo* ad majorem, primam illius partem tantum esse veram de potestate privativa gratiæ primaria, & per se, qualis tantum Deo competit; non verò de potestate se-



secundaria, & ratione decreti, ac statuti conditi per auctoritatem derivatam à Deo, quod decretum qui transgreditur, per illam voluntariam transgressionem privat se gratia demeritoriè, privatur autem eadem efficienter per Deum, qui non vult amplius conservare gratiam in anima hominis legem transgredientis.

*Ad alteram verò majoris partem*, dico illum solum posse condere legem, in quo est potestas ligandi, & solvendi in foro conscientiæ; vel judicialis, qualis est, quæ per actus clavium exercetur, & per quam remittuntur, vel retinentur peccata: vel imperatiya, & constitutiva decreti, cujus observatione bonus actus evadat; inobservatione verò malus.

*Dices 2.* Potestas Legislatoris inferioris non potest inducere obligationem in iudicio, & foro potestatis superioris: sed forum conscientiæ est forum superioris potestatis, scilicet Dei: Ergo potestas Legislatoris humani non potest obligationem inducere in foro conscientiæ. *Minor patet, Major etiam videtur manifesta*; nam ordinarii iudices non possunt inducere obligationem in iudicio superioris Principis, nec Episcopi in iudicio Papæ; quia nimirum eorum potestas exceditur à iudicio superioris potestatis.

*Respondeo* distinguendo majorem: Potestas Legislatoris inferioris non potest obligationem inducere in foro potestatis superioris, contra, aut præter ordinem superioris potestatis, *Concedo majorem*; ut subest ordini superioris potestatis, *Nego majorem*; & ad illius probationem eodem modo respondetur, ordinarios scilicet Iudices, aut Episcopos id non posse contra ordinem Principis, aut Pontificis, bene tamen ut stant sub ordine illorum; quasi Princeps daret potestatem ordinario Iudici, ut ferret legem obligantem in suo foro: sic autem contingit in nostro casu; nam eo ipso quod lex humana est iusta, subest ordini Naturalis Legis, aut Divinæ, ex qua participat vim obligandi etiam in foro divino, quod est forum conscientiæ.

*Dices 3.* Potestas Principum sæcularium est merè temporalis, & politica: Ergo non potest se extendere ad aliquid spirituale; nec per consequens obligare ad culpam, & in foro conscientiæ.

*Respondeo*, Potestatem Principum sæcularium dici temporalem ratione objecti; quia secundum se tota est de personis, rebus, &

actionibus temporalibus; Ratione tamen obligationis, quam inducit, dici potest spiritualis, & in conscientia obligare; licet enim per se primò respiciat bonum temporale Reipublicæ, & per se primò non intendat ligare conscientias sub pœna damnationis æternæ, sed solum præcipere aliquid ad promovendum tale bonum sub pœna temporali proportionata ad consequendum suum finem; ex consequenti tamen, quia hoc præcipit ut stat sub ordine divinæ potestatis, & in virtute illius potentis obligare in foro conscientiæ quantum ad culpam, & pœnam æternam, ad culpam, & in foro conscientiæ obligat.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**I**nterdum utraque Leges tam Ecclesiastica, quam Civiles obligant sub mortali. De Ecclesiasticis quidem constat; in confessio est enim apud omnes, plures esse leges Ecclesiasticas, quæ ad sui observationem sub mortali obligent; qualis est lex de quadragesimali jejunio, de annua confessione facienda, de communione in Paschate, &c.

*De Politicis* pariter eadem veritas patet ex Apost. ad Rom. 13. dicente, *Eos, qui superiorum potestati resistunt, damnationem sibi acquirere*, quod de damnatione æterna SS. Interpretes ibidem intelligunt: sed damnatio æterna non nisi ob peccatum mortale incurritur: igitur lex humana etiam politica aliquando sub mortali culpa obligare potest. *Quod utique confirmat* S. Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium ubi scribit, *Quicumque Legibus Imperatorum, quæ pro rei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirat grande supplicium*, scilicet apud Deum, apud quem non nisi propter mortale grande supplicium incurritur.

Quo pacto autem dignosci possit, quando leges Humanæ obligent sub veniali, aut sub mortali, hæc quatuor regulæ sunt spectandæ.

*Prima*, Lex illa censetur obligare sub mortali, quæ pro tali habetur ex consensu, & consuetudine Ecclesiæ universalis, ut lex de servando quadragesimali jejunio ab iis, qui nec labore, nec infirmitate, nec aliis impedimentis excusantibus detinentur.

*Secunda Regula*, quando lex humana præcipit, aut prohibet aliquid, quod est grave, & ad bonum commune maximè conducens, censetur obligare sub mortali: Hinc nulla

Lex humana potest in levi materia obligare sub mortali; quia vis obligativa legis humanæ derivatur, vel ex lege naturali, vel divina: sed Deus sua lege naturali vel divina numquam imponit obligationem ad culpam mortalem, quando materia est levis, ut fatentur omnes; Ergo nec Legislator humanus potest obligare sub mortali, nisi materia sit gravis. Hinc Legislator humanus non potest rem levem, & minimi momenti præcipere sub mortali; quia ut lex humana obliget, debet esse iusta; quamvis autem iusta sit ratio præcipiendi rem levem, non est tamen iusta præcipiendi eam sub mortali, sicut neque iusta est ratio præcipiendi rem gravem sub veniali dumtaxat. Quapropter, Prælati non possunt præcipere res leves sub pena excommunicationis. Idcirco cap. nemo Episcoporum causa II. qu. 3. ex Concil. Meldensi capit. 56. statuitur; quod *anathema est eternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.*

*Tertia Regula est*, quod lex censetur obligare sub mortali, quando præcipit, aut prohibet aliquid sub graviore poena, v. g. mortis, mutilationis, excommunicationis, irregularitatis; nam severitas pænæ argumentum est, quod res, quæ præcipitur, est gravissima.

*Quarta denique Regula est*, quod lex obliget sub mortali, quando id, quod præcipitur, licet leve sit, spectata ratione objecti, & materiæ; grave tamen est habita ratione finis, quem intendit Legislator, & ad quem lex, aut præceptum ordinatur. Hinc quia, dicitur 1. ad Tim. 2. *Finis præcepti est charitas*, illa censetur materia gravis, quæ ad dilectionem Dei, vel proximi necessaria est. *Item* quia lex ad bonum commune ordinatur, illa erit materia gravis, quæ ad bonum Reipublicæ, vel Communitatis stabilendum, & firmandum necessaria est, licet secundum se sit levis: Unde quia in Religionibus prohibitum est, ne Monasterii, vel Conventus negotia secularibus propalentur, quamvis hæc pro palatio in aliquibus videatur levis ratione materiæ, tamen gravis est ratione boni communis.

#### CONCLUSIO TERTIA.

**L**eges humane non semper, & regulariter obligant ad sui observationem cum dispen-

dia vitæ, ac nequidem cum periculo graviore damni. Ratio est, quia ne leges quidem divinæ merè positivæ taliter censentur obligare, nisi Deus, qui pro sua summa auctoritate potest præcipere, & obligare prout voluerit, aliud significet, aut eius voluntas aliunde constet; adeoque Christus Dominus Matthæi 12. referens factum Davidis qui 1. Reg. cap. 21. comedit panes propositionis in necessitate, quibus tamen non licebat nisi Sacerdotibus vesci, illud factum non damnat, imò usurpat ad refellendam Pharisæorum calumniam qua carpebant Christi Discipulos, quod die Sabbati vellent spicas, & manducarent: & Luc. 14. etiam Christus Dominus demonstrat Pharisæis licere die Sabbati extrahere asinum, qui in puteum cecidisset; quamvis alioqui omne opus faciendum prohibeatur die Sabbati.

#### CONCLUSIO QUARTA.

**L**eges humane obligant cum dispendio vitæ, quando plus confert observatio illarum ad commune bonum, quam mors unius hominis: secus verò quando hominis vita potior est observatione Legis humane.

Patet prima pars assertionis; quia homo non solum quantum ad ea, quæ possidet, sed etiam quantum ad seipsum est pars Reipublicæ: Ergo ubi conservandum est, ac tuendum bonum publicum, tenetur vitam suam discrimini exponere; cum enim in Republica sit potestas ad suam conservationem necessaria, & ad bonum commune; alioqui non esset provisum sufficienter ejus gubernationi, & conservationi; hinc est quod ferri potest præceptum obligans ad aliquod agendum propter Reipublicæ bonum, etiam cum vitæ dispendio; sicut enim quilibet homo habet potestatem exponendi partem sui corporis dispendio, quando id necessarium est ad totius conservationem, sic Respublica habet potestatem exponendi singulos, qui sunt ejus partes, & membra, quando necessitas totius, seu boni communis id exigit.

Hinc est quod Miles teneatur cum vitæ periculo non deserere suam stationem, necnon & aggredi hostes ad præceptum sui ducis: quia desertio stationis, & non aggressio plus noceret bono publico, quam noceat jactura vitæ illius militis.

Hinc pariter Parochi etiam cum vitæ discrimine tenentur residere personaliter in suis

fuis parochiis, si id præcipiat Episcopus; etiam tempore pestis, aut alterius imminens periculi mortis; nam jactura vitæ illius parochi non est tanti momenti, ac salus plebis, quæ per ejus residentiam personalem, & actualem potest procurari, &c.

*Patet etiam secunda pars* assertionis; ubi enim non adest boni publici imminens periculum, quisque tenetur ex lege naturali ad servandam suam vitam, idque est in praxi in Ecclesia; nam quamvis prohibeatur sub pena excommunicationis, proindeque sub mortali peccato, ne quis communicet cum hæreticis excommunicatis manifestis; nihilominus licet cum eis participationem habere ut habetur *causa 11. qu. 3. cap. 103.* ubi statuitur, *Licere in pluribus casibus necessaritis ad societatem, & vitæ sustentationem cum ipsis communicare.*

*Dices*, Regula ordinis Carthusianorum præcipit eisdem Religiosis non vesci carnibus etiam cum vitæ discrimine: sed ejusmodi abstinentia non plus censetur conferre ad bonum commune, quam vita plurimum Monachorum qui sanctitate sunt aliis quamplurimis exemplo: Ergo falsum est quòd teneatur quis ad legis humanæ observationem cum vitæ periculo tantum, quando ex illa majus bonum sequitur, quam ex privata privati hominis.

*Respondent* ad antecedens Almainus, Major, & nonnulli alii Doctores Parisienses, illam Regulam non solum non obligare, sed etiam si adest periculum teneri Carthusianum jure naturæ ad esum carniū, ut si ex Medicorum consilio ejus ille judicatur necessarius ad vitam servandam, & sanitatem restituendam: & eos peccare contra jus naturale de conservanda propria vita, si ab illis abstineant.

*Censent aliqui* cum Victoria lect. de Temper. n. 8. Carthusianum in extrema necessitate agritudinis constitutum posse quidem licite à carnibus abstinere; non tamen teneri, sed eis posse vesci licite, si id iudicio Medicorum omnino censeatur necessarium ad vitam tuendam.

Quam utrique assertionem probabiliorem existimo: eam autem plurimis utrinque libere videtur Joann. Gerson Cancellarius Parisiensis in Tractat. de non esu carniū à Carthusiensibus, quem edidit adversus eos, qui illos religiosos indiscretos, & inhumanos ex hoc statuto judicabant: Dicit autem pro parte affirmante. *Primò*, quòd

Carthusiani ad hoc nullo voto expresso tenentur: sed vi dumtaxat cujusdam ordinationis, sive institutionis positivæ, ne hoc quisquam præsumat attentare, idque non sub pena peccati mortalis, sed tantum disciplinæ Ordinis. *Secundò*, quòd in hac constitutione debet excipi casus necessitatis extremæ, atque infirmitatis. *Tertiò*, quòd non habetur expressè Carthusianos ad ea teneri, etiam in casu extremæ necessitatis; quæ clausula si apponeretur, non posset secus faciens ab iniquitate excusari. Unde subdit, quòd cum celeberrimos ex hoc ordine aliquando interrogasset, quid agerent ubi in deserto nihil haberent præter carnes ad vescendum: responderunt se absque scrupulo de illis, vitæ tuendæ causa, comesturos. Hinc etiam factum est, quòd cum quidam ex Carthusianis iter equo conficeret, atque in summam famem, sitimque redactus, deficientibus ceteris, sanguine equi sitim levasset, re ad Fratres delata, & cognita extrema in qua constitutus fuerat necessitate, liber ab omni disciplina Ordinis susceptus est.

*Addit* tamen pro opposita sententia, casum necessitatis extremæ non fuisse exceptum: Tum quia sufficienter intelligitur, etiam si expressus non sit: tum etiam quia metuendum est, ne si casus aliquis fuisset exceptus distinctè, homines exinde arripissent occasionem dilatandi exceptionem ad alia: sicque succedentibus temporibus defuisset robor esse in illo statuto. *Insuper*, licitum est agere multa sive temporalia, sive spiritualia, per quæ & in quibus homo abbreviat vitam suam, aut infirmitatis debilitatem incurrit; quod

*Probat primò de temporalibus*, tum quia aliàs homo teneretur vacare studio Medicinæ, aut Medicorum consiliis, atque regiminibus continuo uti deberet; quia ex illorum omissione in varias agritudines incidimus, ex quibus sequitur vitæ abbreviatio: tum etiam quia aliàs quilibet teneretur desistere ab operibus, & actibus, ex quibus sequuntur debilitationes corporis, mortisque ut plurimum acceleratio, qualia frequentia sunt in omni fere hominum statu.

*Probat secundò de spiritualibus*, nam certum est ad multa spiritualia assequenda licere pati sanitatis debilitationem, ac vitæ abbreviationem. *Primò*, ad obediendum Deo: unde & licet in hoc casu etiam pati mortem. *Secundò*, ad satisfaciendum pro pecc-

peccato suo, quod constat ex operibus satisfactoriis. *Tertiò*, ex charitate ad satisfaciendum pro peccatis alienis: quod declaratur ex foundationibus Monasteriorum plurimorum factis, ut qui in eis vivent, luceant, atque penitentiam agant pro peccatis fundatorum, aliorumque. *Quartò*, ad evitandum grave scandalum: tunc enim ipsam mortem subire tenemur: unde Apostolus 1. Corint. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.*

*Quintò*, ad acquirendas virtutes in se, vel in alio: unde nihili faciunt viri sancti labores, vigiliæ, & sudores, nisi ut in virtutis exercitio sint, aut ut alios ad virtutem accendant: unde licet homini servare castitatem etiam cum periculo vitæ, neque tenetur, qui vovit perpetuam petere dispensationem à summo Pontifice, si nullus sit alius modus tuendæ vitæ, quàm matrimonialis conjunctio, juxta sapientiorum Medicorum consilium. Atqui si Carthusiani non servant illud statutum ut Deo obediant, illud tamen servant, ut Deo satisfaciant pro peccatis suis: servant ex charitate in proximum, pro peccatis illius satisfaciendo per ejusmodi abstinenciam Deo, quemadmodum & pro suis propriis: servant, ne Fratribus scandalo sint, si carnibus uterentur: servant denique in virtutis exercitium, atque in extirpationem suorum vitiorum, nec in casibus illis, ubi agitur tantum de abbreviacione vitæ, aut infirmitate, dispensatos se putant.

*Addit* Gerson, quòd consuetudo ita naturam mutat, ut venenum esse possint quibusdam stomachis carnes; etsi per esum carnis aliqua certò futura esset vitæ prolongatio; quia tamen incertum foret utrum postea deterior illa esset, non tamen foret iis vescendum: quemadmodum prudentiores Medici non consulunt potiones quasdam, quæ cum præsentis statui ægroti patientis videantur satisfidoneæ, ex usu tamen pigram, & segnem sunt effectura naturam. Unde subjicit, sibi notum esse aliquem Carthusianum virum doctissimum asserentem, quòd plures è Fratribus morerentur, aut ægrota- rent in ista religione, si carnibus uterentur; quia vigilia, solitudo, & quies, &c. hujusmodi devotionis exercitia digestionem impediunt, & ita crudicatem aliquam in stomacho relinquunt. Adjungi potest, quia vix aut rarò temperanter, & sobriè inter hæc gulæ incitamenta versarentur. *Conclu-*

*dit* Gerson totum illud opus, dicendo, prudentem Directorem non tam attendere debere ad labores, vexationes, & abbreviacionem vitæ, quàm nensensus efficiantur hebetes, & stolidi per excessivam in jejunio, vel fletu assiduitatem, quo fiat ex consequenti, ut judicium rationis evertatur.

### QUÆSTIO TERTIA.

*Quas condiciones Lex requirat ut revera obliget.*

**S**Copus præsentis quæstionis est determinare, an ad efficacitatem, & obligationem legis necessariò desideranda sit illius promulgatio per auctoritatem Legislatoris, & acceptatio per consensum populi, quæ ut perspicacius innotescant,

*Notandum primò*, Leges promulgari cum primùm in vulgus eduntur, & quasi promulgantur, inquit Pompejus Sextius; Hinc promulgatio est levis evulgatio, seu significatio facta communitati auctoritate Legislatoris. Certum est autem ad legis efficacitatem, & obligationem in actu secundo necessariò requiri, ut lex aliquo modo promulgetur: Tum quia Lex se habet per modum regulæ, & mensuræ actuum humanorum, cui homines suas actiones conformare debent, ne à recto fine exorbitent; sed id præstare nequeunt, nisi lex eis innotescat, nec potest innotescere, nisi per promulgationem: Ergo ut obliget, necessariò desideratur aliquo modo ejus promulgatio: Tum quia lex ex natura sua est directiva, & illuminativa, quod autem in Legislatoris voluntate, aut pectore reconditum est, dirigere non potest, nec illuminare subditos: unde merito *cap. de Legibus* dicitur, *Leges sanctissimæ, quæ constringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debere*: Tum denique quia cum voluntas non possit ferri in incognitum, sequeretur homines obligari ad impossibile, si tenerentur legem servare ante sufficientem illius promulgationem.

*Dixi notanter* requiri aliqualem ejus promulgationem, quia promulgatio non desideratur æqualiter in omnibus legibus, sed diversimodè, & juxta naturam cujuslibet: aliter enim lex naturæ hominibus innotescit, aliter leges divinæ positivæ tam Evangelica, quàm Mosæica promulgatæ fuerunt. An autem hæc promulgatio spectet ad ipsam legis essentiam, ita ut nullam habeat vim

vim obligandi, nisi prius fuerit promulgata, anve tantum sit conditio ad ejus vim obligandi desideranda, determinandum est in presenti.

*Notandum secundò*: Legem posse considerari duobus modis, nempe quatenus est regula nondum applicata, prout nempe jam constituta est apud ipsum Legislatorem, & quantum est ex parte ipsius vim habet obligandi: vel prout est regula quedam applicata subditis, qui eam legem cognoscentes, debent ipsi suos actus conformare, ut rectè, probeque fiant: an autem hæc utraque ratio ad essentiam legis desideretur, resolvendum est.

*Notandum tertio*, quantum ad acceptationem legis à subditis, primò certum esse illam non esse necessariam, ut lex naturalis, & divina obligent; quia sive legibus istis assensum suum populus dare velit, sive negare, non minus eistenetur. Certum pariter non hic esse sermonem de acceptatione legis à singulis inferioribus: hac enim ratione nulla penè lex obligaret; siquidem nulla lex est humana, quæ alicui subditorum non videatur gravis; subindeque ab eo esset respicienda, si id ejus voluntati concederetur. Nec etiam hic sermo est de non acceptatione legis à populo juncta conniventia superioris; in hoc enim casu certum est, legem non obligare, nam ut lex obliget, necessaria est voluntas obligandi in eo, qui legem condidit; tunc verò cessaret voluntas Legislatoris si populo respiciente legis observantiam, conniveret.

*Denique*, difficultas non movetur de non acceptatione, quæ ex longa contravenientium consuetudine derivata fuerit; nam ut infra constabit, lex humana contraria consuetudine longa abrogatur: tota igitur difficultas est de non acceptatione voluntaria, quæ non sit fundata in longa contravenientium consuetudine.

### CONCLUSIO PRIMA.

**L** Ex considerata ut Regula subditis applicata, essentialiter promulgationem exigit; secus verò quatenus consideratur apud ipsum Principem constituta. Patet Conclusio tum ex dictis in primo Notabili, tum quia lex est quoddam regiminis instrumentum, quo subditus regitur à superiore, humano more; scilicet ut intelligens, & volens, ad quod necesse est voluntatem, & decretum supe-

rioris intimari subdito, ut ad illud inferior se scienter, & liberè accommodet: & quia lex fertur non uni privatæ personæ, sed perfectè communitati, idcirco debet intimatio esse publica, idest, facta publico modo, & communitati accommodato, quæ intimatio dicitur *promulgatio*.

*Insuper*, Lex est quoddam præceptum: non habet verò præceptum vim obligandi, nisi is, qui præcipit, voluntatem suam manifestet, & intimet: neque enim Deus, aut quisvis alius Legislator censetur aliquid præcipere ex eo quòd apud se statuat aliquid faciendum, vel non faciendum, nisi significet illud. Ergo, &c.

*Dices primò*, Lex naturalis est vera, & propria dicta lex, quæ obligat; adeoque vim habet obligandi; assignari verò non potest quando fuerit promulgata. *Item* Lex æterna, ex multorum sententia computatur inter leges propriè dictas; at non potuit promulgari lex tota æternitate, ut evidens est, neque dici potest quando fuerit promulgata in tempore: Ergo, &c.

*Respondeo*: Legem naturæ promulgatam fuisse sufficienter ex hoc ipso, quòd Deus illam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam; unde Psalmista, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*.

*Ad secundum*; dico quòd lex æterna spectata ex parte Dei, fuit promulgata, & verbo, & scripto ab æterno; quia promulgata fuit in Verbo divino, quòd æternum est; & præterea in libro vite, qui æternus quoque est, & hi sunt duo modi, quibus publicatur lex omnis, nimirum vel verbo, vel scripto, inquit S. Thom. 1.2.q.91. art.1. Vel rectius cenfeo respondendum cum Doctore in 4. d. 3. qu. 4. ubi agit de obligatione baptismi, promulgationem videri necessariam tantum ad legem positivam; *Nullus*, inquit, *tentur ad aliquod præceptum divinum, nisi per aliquem idoneum, & authenticum sibi promulgetur; vel fama veridica, & testimonio bonorum, cui debet quilibet rationabiliter credere. Et hoc intelligo de lege positiva, quæ non est nota interiori in corde.* Quibus indicat promulgationem non videri necessariam nisi ad leges positivas; quòd maximè verum est de promulgatione, quæ fit per notitiam exteriori acceptam: nam aliunde certum est, ut mox diximus in prima responsione, legem naturalem in nostris mentibus signato super nos divino lumine manifestari. Cer-

Certum pariter legem æternam per aliquod signum nobis intimari: nempe vel per legem ipsam naturalem, vel per alias divinas leges, quæ ab illa æterna lege veluti rivuli à fonte dimanant.

*Dices secundò*, Si quæset ratio, propter quam necessaria dicitur promulgatio ad hoc ut lex habeat vim obligandi: maximè quia per promulgationem lex fit nota subditis, qui lege tenentur: sed hæc nulla est, nam ad multatentur homines, quæ invincibiliter ignorant: v. gr. tenentur ad observationem legis naturæ, etiam si illam ignorent invincibiliter. *Item* tenentur ad baptismum recipiendum, juxta illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* *Item* possessor bonæ fidei obligatur ad restitutionem quamdiu detinet alienum, nec dum præscripsit. *Item*, contractus humani irritantur per legem humanam, sive sit nota ista lex, sive ignota, ut patet in matrimonio clandestino, & impedimentis matrimonii, ac irregularitatibus, quæ ligant etiam rudes, & invincibiliter legem ignorantes.

*Respondeo ad majorem*, requiri promulgationem, ut lex nota fiat subditis, quia tenentur notitia communi, sed non esse necessarium ut fiat nota notitia privata: est autem notitia communis, quando lex promulgatur. Quæ afferuntur in objectione, procedunt de notitia privata.

*Probatur secunda pars*: nempe quòd lex summa pro regula apud ipsum solum legislatorem residente non includat essentialiter promulgationem, ut sic enim vim totam obligandi habet ab ipsa legislatoris voluntate; at legislatoris voluntas ut decernat legem vim obligativam habere, non opus habet aliquo externo signo sensibili, quo suum decretum statuatur; subindeque sic considerata lex, promulgationem non exigit. *Insuper*, lex est actus prudentiæ, nec non & authoritatis existentis in principe; sed actus prudentiæ, & authoritatis distantis aliquid esse faciendum, existere potest tum in judicio practico, tum in voluntate principis ante quodlibet signum externum: proindeque lex spectata, quatenus est regula à principe constituta, promulgationem non requirit. *Denique* statim ac concepta est lex à Principe, censetur apta ad obligationem inducendam: ad hoc enim concipitur, & instituitur ut obliget: sed hæc aptitudo sufficit ad legis essentialitatem: igitur hac ra-

tionem lex essentialiter promulgationem non exigit.

*Nihilominus* generaliter dicendum arbitrator leges essentialiter promulgationem exigere; tum propter rationes in priori assertionem expressas, tum quia ut ait Gratianus *cap. in istis d. 4. Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.*

Quæres ubinam humanæ leges debeant promulgari, ut obligandi vim censentur habere.

**R**espondeo primò: Leges Civiles tam Imperiales, quam Regias non censeris subditos obligare, nisi in Provinciis, & Regnis, pro quibus constituuntur, fuerint promulgatæ, quod utique patet ex authentica, ut novæ constitutiones, ubi Justinianus Imperator statuit suam legem non valere, nisi postquam fuerit proposita in Metropolitibus Provinciarum. Nec obstat, quòd ibi loquitur Imperator de solis constitutionibus imperialibus, quæ spectant ad testamenta; nam ratio legis istius non minus valet pro ceteris materiis, ut rubrica *de omnibus legibus* loquitur, quæ talis est, ut novæ factæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant. Est autem axioma receptum apud Jurisconsultos rubricam esse pro lege, quando perfectum sensum reddit, quatenus textui non repugnat, & habere vim extendendi, quod in textu strictius ponitur. Quapropter leges strictius loquentes censentur potiùs esse exemplum quoddam rubricæ jam obtinentis vim legis, quam leges ipsæ. Id autem adeo verum est, ut Pius IV. in *Bulla super declaratione temporis* ad observanda decreta Concilii Tridentini, rubricam hanc pro lege citaverit his verbis. *Quia in jure communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, &c.* Unde dispar est ratio rubricarum juris civilis, & rubricarum juris Canonici, quæ privato Gratiani sensu scriptæ, neque aut Pontificia, aut regia authoritate absolutè probatæ, neque ab Ecclesia universalis pro legibus acceptatæ sunt. Accedit ratio; quia non potest præsumi sufficienter in notitiam subditorum venisse ea lex, quæ non fuerit in illa Provincia publicata, in qua degunt.

*Hinc*, Lex Regia non obligat, nisi fuerit promulgata juxta consuetudinem ejus regni,

gni, in quo fertur; Unde mos invaluit in Gallis, ut Regiæ Constitutiones promulgentur in parlamentis; & exinde mittantur ad inferiora subsellia iudicum Provincialium, ac regionum; nec ante censeantur obligare, quam fuerint in illis locis publicatæ.

*Quantum* autem ad leges Ecclesiasticas jam multorum invaluit sententia, eas non habere vim obligandi per universum orbem, quantumvis fuerint Romæ, vel alibi promulgatæ, nisi pariter promulgentur in singulis Provinciis. Quod utique

*Probatur primò.* Ratio cur Imperialis, & Regia lex in singulis Provinciis debeat publicari, est quia non potest præsumi sufficienter promulgata, ut ad notitiam subditorum perveniat ea lex, quæ in Provinciis non est promulgata: atqui eadem ratio locum habet respectu legum Pontificalium.

*Secundò,* quia si in aliqua Provincia non publicetur lex Romani Pontificis, habebit populus rationem aliquam existimandi, vel quod non sit ejusmodi lex lata, vel si lata sit, mentem summi Pontificis non esse, ut in ista Provincia obliget.

*Tertiò,* quia Concilia, in quibusdam legibus, quas tulerunt, declaraverunt eas non obligare, nisi postquam in singulis Dicecesibus per locorum Ordinarios fuerint publicatæ. Sic Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap. 22.* & habetur *cap. cum infirmitas, de penitentis, & remissionibus* statuit, tum demum Medicos ea constitutione teneri, qua præcipitur illis, ut cum advocantur ad infirmos, ante omnia ipsos inducant, & moneant, ut Medicos advocent animarum, hoc est, ut sacramentaliter confiteantur, quando fuerit publicata per locorum ordinarios: eadem verò est hujus, & cæterarum constitutionum Ecclesiasticarum ratio.

*Quartò,* Hæc eadem veritas suadetur ex veteri Ecclesiæ praxi: constat liquidem in more fuisse, ut decreta Romanorum Pontificum, & Conciliorum publicarentur in Provinciis; tuncque obligare incipiebant. Sic legimus apud Tertul. *lib. de Pudicitia cap. 1.* Decretum Zephyrini Romani Pontificis pro reconciliandis penitentibus contra Montanistas fuisse affixum ad valvas Ecclesiarum, & lectum in Ecclesiis. Sic Dionysius Olympiorum Episcopus *Ep. ad Soterem Papam*, testatur lectam sibi à Sotere, ad quem scribebat missam Epistolam, mis-

sam etiam à Clemente, idque die Dominica in cœtu fidelium. Sic constitutio Stephani *de non rebaptizandis hereticis*, missa fuit per Provincias, ut testis est Cyprianus *Epist. 74. quæ est ad Pompejum.* Sic decreta Nicenæ Synodi, ut refert Marius Victorinus *lib. 2. adversus Arium*, per totum orbem fuerunt missa. Sic & Sardiensis decreta cum Nicenis transmissa scribit Theodoretus *lib. 1. Historiæ cap. 9. & lib. 2. cap. 8.* Sic Chalcedonenfis à Leone ad Episcopos per Provincias directæ, ut ipse nos docet *Epist. 71. & 91.* Mitto alia.

*Atque hinc* factum est, ut plurima Concilia numero Patrum minus spectabilia, propterea quod in Provinciis recepta fuerint, & probata, in quas missa sunt, alia habuerint vim Conciliorum totius Occidentis, vel Orientis, alia Ecclesiæ universalis. Hinc etiam factum est, ut plurimè summorum Pontificum constitutiones non obligent in multis partibus orbis v. gr. Bulla Cænæ Domini, quæ non obligat in Gallia, Germania, Polonia. Hinc etiam est, quod Innocentius I. Ep. ad Exuperium Tholosanum, ut refertur *cap. posuisti, distinct. 82.* statuit, ut lex, quam edidit Siricius Papa adversus Diaconos, & Presbyteros incontinentes, quos decrevit omni honore privandos, non obliget eos, ad quos, ut loquitur, *hec non probatur pervenisse.*

*Objicies primò.* Si vera sit nostra propositio, sequetur vix esse leges Pontificias, quæ obligent, nam primò decretum Gratiani privata ejus autoritate congestum est, & nunquam fuit promulgatum. *Secundò,* libri quinque Decretalium, qui compilati sunt à Gregorio IX. videntur fuisse promulgati in sola Bononiensi Academia, ut colligitur ex eorumdem præfatione. *Tertiò* eadem quoque est ratio libri sexti Decretalium, ut bene glossa observat in datam libri istius sexti. *Quartò,* Clementinæ, quæ à Joanne XXII. paulò post obitum Clementis V. à quo sunt editæ, datæ sunt publico, videntur in sola Romana curia promulgatæ.

*Respondeo primò* decretum Gratiani non obligare: neque etiam, quod fortè nonnulli non putarent, quatenus prælegitur in Academiis, quia plurima docentur in scholis, ad investigationem antiquitatis, & discipline, & non ad praxim. Unde nec obligat quidquid in jure civili continetur, licet prælegatur in Academiis. Obligat itaque de-

cretum Gratiani ea parte, qua continet statuta Conciliorum, vel Pontificum olim in Provinciis promulgata, aut etiam quatenus continet aliqua, quæ judiciorum consuetudine probata sunt. Si quæ sint, alia non obligant.

*Secundò*, libri *quinque Decretalium* non tantum directi sunt ad Bononiensem Academiam à Gregorio IX. sed etiam ad omnes Provincias, in quibus promulgatos fuisse, atque receptos scribit Matthæus Paris in Henrico tertio Anglorum Rege.

*Tertiò*, Liber sextus Decretalium non fuit promulgatus in Galliis. Editus est à Bonifacio VIII. inter quem & Philippum Pulchrum graves, quæ exarserunt, inimicitia, prohibuerunt, ne in hoc regno promulgaretur. Id tantum est in isto libro auctoritatis, quod aliàs suum robur, atque autoritatem habuit: qualia sunt quæ ex Concilio Lugdunensi, aliisque in Gallia receptis petita sunt: qualia etiam sunt ea, quæ vel judiciorum consuetudine, vel moribus utentium recepta sunt: v. gr. quòd triplex sit tantum Episcopus, à quo aliquis in Clericorum numerum adscribi potest, originis, beneficii, vel domicilii.

*Quartò* *Clementina* maxima ex parte recepta sunt in Galliis: nam ex decretis Concilii Viennensis coalescunt, quod quidem in Gallia coactum est, & cujus pars magna fuerunt Galli Episcopi. *Deinde* Clemens iste ex Episcopo Burdegalensi Pontifex factus, Lugdunum Cardinales omnes convocavit, curiamque Romanam in Galliastraduxit, ubi per 70. & amplius annos perseveravit: quare quæcumque ab isto Pontifice in curia promulgata fuerunt, ea in Galliis fuisse promulgata certum est, neque rationabiliter negari potest, quòd in singulis Gallia Provincias fuerint promulgata.

*Quintò*, Extravagantes communes Joannis XXII. in Gallia quoque promulgatae sunt: quandoquidem ille fuit *Clementis V.* successor, natione Gallus ex Avenionensi summus Pontifex renuntiatus Lugduni; nec videtur negari ideo posse, quòd in singulis Provinciis Gallia promulgatae fuerint. Eæ vero, quæ sunt *Bonifacii VIII.* non sunt receptæ propter rationem supra dictam. Alia quæ sunt summorum Pontificum, qui sederunt in Galliis, videntur in singulis Provinciis promulgatae. Alia denique, vel non debuerunt promulgari, utpote solventes tantum ab aliqua obligatione, vel fue-

runt moribus utentium, & judiciorum consuetudine receptæ.

*Objicies secundò*: Ubique vitandi sunt, hi, qui sunt nominatim excommunicati in aliqua Diœcesi propter Ecclesiasticae communionis utilitatem, ut constat ex *causa II. qu. 3.* licet non ubique sententia excommunicationis fuerit promulgata. Item si quis noverit aliquem locum esse interdictum, non potest in eo celebrare, sed tenetur tale interdictum servare, ut constat ex Innocentio III. c. 1. *De postulatione Prælatorum*, etiamsi tale interdictum non fuerit ubique promulgatum: Ergo à pari obligat Lex Pontificia, licet non promulgata in singulis Provinciis.

*Respondeo ad primam partem antecedentis*, distinguendo in hunc modum; sunt à singulis vitandi ob sententiam excommunicationis præcisè *Nego*, vi legis Ecclesiasticæ ubique receptæ, quæ cavet, ut vitentur; *Concedo*. Habes legem hanc causa, & quæstione citatis.

*Ad alteram partem respondeo*, distinguendo eodem modo: subjungo verò autoritatem Innocentii non facere ad rem; quia ibi agitur de postulatione Episcopi Altifidiorensis in Archiepiscopum Senonensem facta à Canonice Ecclesiæ Senonensis, qui Episcopus non servaverat interdictum latum auctoritate Rom. Pontificis in terras regis Franciæ: excusabat autem se prædictus Episcopus de interdicto non servato; quia sententia interdicti non pervenerat ad suam notitiam; neque per litteras Papæ, neque per Litteras Legati, qui sententiam publicaverat, neque per mandatum alicujus executoris, & præterea quòd dictus Rex in Altifidiorensi Diœcesi terram non haberet. Sed excusationum istarum rationem habendam non esse decernit Innocentius: posterioris quidem, quia tota Diœcesis Altifidiorensis subdita erat Regi Franciæ: jusserat autem summus Pontifex terram Regis Franciæ subijci interdicto, & Legatus interpretatus fuerat mandatum Pontificis de terra omni, quæ ditioni regis suberat: prioris verò, quia in Ecclesia Metropolitana ipsius Episcopi Altifidiorensis, nimirum Senonensi, hæc sententia interdicti promulgata, recepta, servataque fuerat: quare non facit ad rem præsentem hæc autoritas.

*Objicies tertio*: Qui Romæ sancti declarati sunt, ubique pro sanctis haberi debent, etiamsi promulgatio decreti de sanctitate eorum



rum non fuerit facta per singulas Provincias: Ergo lex Ecclesiastica obligat, etiam si non fuerit per singulas Provincias promulgata.

*Respondeo* ad antecedens distinguendo: ita ut eorum officium per singulas Provincias fieri debeat, aut festum celebrari, Nego; ad id enim necessarium est, ut lex promulgetur in Provinciis; ita ut in veneratione habeantur tamquam personæ veneratione dignæ, Concedo; ad id enim non requiritur lex, sed sufficit, quod persona declaretur digna veneratione.

*Objiciens* quartò. Obligant Canones fidei, etiam si non sint per Provincias promulgati: Ergo à pari ad hoc ut obligent Canones, & leges Pontificiæ de moribus, ac disciplina, non est necesse ea in Provinciis promulgari.

*Respondeo* negando consequentiam, disparitas enim est, quod Canones fidei sint tantum declaratorii juris divini: at jus divinum promulgatum est; adeoque non est necessaria nova promulgatio, ut Canones fidei obligent: leges verò Pontificiæ non sunt promulgatæ sufficienter, nisi in Provinciis singulis promulgentur.

Denique quod spectat ad leges Episcoporum, dico quòd ad hoc ut obligent, debent promulgari, ut fieri assolet, in missis Parochialibus regulariter loquendo: quòd si alia sit consuetudo alicujus Ecclesiæ particularis, debet talis consuetudo servari.

## CONCLUSIO SECUNDA.

**L**ex humana tam Sæcularis, quam Ecclesiastica non obligat, nisi sit acceptata, seu recepta, vel à tota multitudine, vel saltem à majori, aut spectabiliori ipsius parte.

Probatur primò ex S. August. lib. de vera Religione cap. 31. ut refertur distinct. 4. cap. in istis, ubi docet quòd quamquam in temporalibus legibus de his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Quibus S. August. significat legem humanam non habere vim obligandi perfectam, nisi ubi non solum instituta, sed etiam firmata fuerit. At non firmatur lex humana, nisi utentium receptione; nam ut subjicit ibidem Gratianus, *Leges instituuntur, cum promulgantur; firman- tur, cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium non-*

*nulle leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium ipse leges confirmantur;* unde Tephorus Papa, Epist. 1. ad omnes Episcopos, decrevit, *ut generaliter Clerici à Quinquagesima à carnibus, & deliciis jejurent;* quia moribus utentium approbatum non est, aliter agentes, ut transgressionis rei non sunt arguendi: Ergo acceptatio, seu receptio legis humanæ necessaria est, ut habeat vim obligandi; cum enim per contrariam consuetudinem desinat obligare, etiam populi resistentia deficere potest, ut ab initio obligandi vim non habeat.

*Deinde*, ut lex humana vim habeat obligandi, debet omnibus consideratis imponi subditis: sed legislator non rectè ad omnia advertit, nisi etiam res ad praxim reducantur; fit enim interdum, ut quæ speculativè judicamus facilia observatu, ea sint in praxi difficillima. Unde ut lex habeat omnem suam vim non solum institui, & promulgari à legislatore, sed etiam à populo acceptari debet; ubi namque acceptatur, constat eam cedere in bonum multitudinis; ubi autem respuitur, signum est illam communi bono repugnare.

*Denique*, ut populus lege teneatur, duo maximè concurrere debent; nimirum potestas, & voluntas in legislatore: atqui populus legem non acceptante, neutrum concurrat; non quidem potestas Ecclesiastica, quæ data est in ædificationem, & non in destructionem: esset autem in destructionem, si repugnante populo, vim haberet obligandi; quia foret occasio peccandi, & non instrumentum bene agendi. Non etiam concurrat potestas sæcularis Principis; quia quando populus transtulit suam potestatem in Principem, non videtur illam in sui detrimentum translationem fecisse, qualis foret, si non obstante populi repugnantia, lex vim haberet obligandi. Similiter non censetur concurrere voluntas Pontificis: quia non præsumitur in Pontifice esse voluntas ligandi multitudinem repugnantem. Nec pariter concurrat voluntas sæcularis Principis; quia non potest præsumi voluisse aliquid, unde multa mala, maximè contemptus ejus authoritatis orirentur; nulla autem bona procederent.

*Dices primò*, Stante hac assertione via sternitur rebellionis; populo namque non recipiente legem, eoque abnuente, casta, & irrita foret legis institutio.

*Nego antecedens;* Nam non sternitur via rebel-

bellioni, dum populus docetur, quando jure suo uti potest; jus autem est in populo ad acceptandam, vel non acceptandam legem humanam rationabili de causa; si enim illam respuat absque ratione, graviter peccat non acceptando, hinc non est magni facienda resistantia hominum è vulgo, atque imperitæ multitudinis; sed videndum maximè quid sapientes, & spectabiliores sentiant.

*Dices secundò*, Summus Pontifex, & Episcopi habent auctoritatem independentem à populo, & in statuendis legibus divina gratia illustrantur, ac juvantur; Principes autem sæculares non habent consortem potestatem in subditis residentem: at si acceptatio esset necessaria ad hoc ut humana lex vim haberet obligandi, videretur Ecclesiastica potestas dependere à populo; & gratia non magis juvaret Præsules in decernendo leges, quàm populum in acceptando, vel resistendo: Similiter Princeps sæcularis videretur habere consortem potestatem in populis residentem: Ergo acceptatio non videtur necessaria ad legis vim, & efficacitatem.

*Respondeo ad primam partem objectionis*, Ecclesiasticam potestatem esse quidem independentem à populo, sed tamen propter populum: quare interest, ut plebs acceptet leges ab ejusmodi potestate emanantes: *Deinde*, divina quidem gratia juvantur Præsules in legibus ferendis, sed non infallibiliter, ut semper in praxi meliora decernant. *Ad alteram partem objectionis*, Nego quòd inde sequatur consortem potestatem in populo residere; nam potestas acceptandi in plebe se tantum habet per modum causæ materialis, & finalis, non efficientis, & autoritativæ.

*Hæc tamen nostra assertio sic intelligenda est*, quòd populi acceptatio requiratur ad legis efficaciam, statim ac promulgatur; nam ubi jam longa consuetudine invaluit legis observatio, non est amplius in populi potestate legis vim infringere, ipsique repugnare, nisi legislator sua conniventia, suoque nutu illam legis abrogationem approbet.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De legis humanæ relaxatione per Consuetudinem, Abrogationem, Dispensationem, Interpretationem, & Privilegium.*

**D**Eclarata legis humanæ efficacia, & obligandi virtute, superest examinandum qualiter virtus illa interdum remittatur; quod utriusque fit, vel per *consuetudinem*, quæ ex parte populi legem solvit: vel per *abrogationem*, & *dispensationem*, quibus Principis auctoritate legis obligatio revocatur: vel per *privilegium*, quo ex liberalitate Legislatoris alicui è subditis à legis obligatione eximuntur: vel denique per *interpretationem*, qua Magistratus, ac Reipublicæ administratores, ac judices legis vim certis in quibusdam casibus non vigere censent. De quibus omnibus nonnulla determinanda sunt in sequentibus quæstionibus.

## QUÆSTIO PRIMA.

*Quid, & qualis sit Consuetudo.*

**N**Otandum primò, Consuetudinem, & Præscriptionem invicem in pluribus convenire ac discrepare. Conveniunt, inquam, maximè in duplici capite. *Primò* quidem: quia in utraque intervenit aliquid facti, & aliquid juris, quod per factum inducitur, & firmatur: *Secundò*; quia, & præscriptio exigit aliquam consuetudinem facti, & vicissim consuetudo requirit aliquam præscriptionem temporis. Differunt autem *primò* ratione ipsius juris comparati; nam consuetudo introducit jus legale, seu jus legis, quo omnes obligantur; præscriptio verò solum confert jus domini in rem aliquam, aut jus ea utendi, & fruendi. *Secundò*, invicem discrepant, quòd consuetudo introducatur per praxim, & usum populi; cum enim vim legis habeat, & lex ad commune bonum referatur, debet consuetudo introduci per mores, & observationem communitatis, seu populi: præscriptio autem cum ad solam alicujus privatæ personæ utilitatem spectet, introducitur tantum per usum, & factum alicujus privatæ personæ; sic si domo quis vel hæreditate aliqua diuturno tempore pacificè fruatur, per præscriptionem acquiritur jus hæreditatis in ipso privato ho-

homine. *Tertiò denique*, consuetudo, & præscriptio differunt invicem, quòd consuetudo ad suæ introductionis efficacitatem, & valorem requirit consensum tacitum, vel expressum Principis, ut mox dicemus; præscriptio autem non requirit consensum ipsius, contra cuius utilitatem præscribitur; ut enim Petrus contra Paulum in prædio aliquo præscribat, non opus est Paulum ipsum tacitè, aut expressè in hanc præscriptionem consentire, sed sufficit, quòd eo ignorante Petrus eo prædio fruatur determinato tempore ad præscriptionem.

*Notandum secundò*, quòd etsi consuetudo interdum usurpetur indiscriminatim pro usu, more, foro, & stylo; nihilominus in aliquibus ab eis discrepat; licèt enim consuetudo spectata ut est quid facti, idem sit quod usus, & mos; nempe uniformis frequentatio actuum liberorum: si tamen spectetur ut est quid juris moraliter relictum, & perseverans ex ipsa uniformi frequentatione humanorum actuum, vim habet obligandi ad sic operandum, consuetudo differt ab ipso usu, & more, qui dumtaxat important ipsam materialem uniformem frequentationem actuum liberorum. Differt autem consuetudo à foro, & stylo; Forum enim non est quodcumque jus usu, & consuetudine firmatum, sed de iis dumtaxat rebus, de quibus judicandum est in Tribunali. *Stylus* autem est ille modus, qui in scribendo, vel loquendo servatur à jurisperitis in causis, & negotiis tractandis: *Consuetudo* verò est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, ubi lex deficit.

*Notandum tertio*, duobus modis intelligi posse, quòd consuetudo vim habeat humanæ legis. *Primò* quidem in abroganda aliqua lege humana, ita ut per consuetudinem aliquam diuturnis populi moribus inductam contra præscriptam legem, lex illa obligare cesset, & abrogetur; non secus ac lex prior per posteriorem contrariam censetur revocari, & abrogari. *Secundò*, ut ipsa consuetudo sit aliqua species legis, & non minis obliget, quam obligat lex humana. Quærimus igitur, an hac utraque ratione consuetudo vim legis habeat. Tria igitur impræsentiarum sunt breviter determinanda. *Primum*, quid sit consuetudo: *Secundum*, quoruplex: *Tertium*, quam vim habeat: quasve condiciones exigit, ut eam vim habere censeatur.

## CONCLUSIO PRIMA.

**C**onsuetudo est jus quoddam Hominum moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex. Ita Gratianus d.1. c.5. *Primò* dicitur jus: tum quia in ratione juris tamquam in genere, cum lege scripta convenit; nam ut ibidem ait Gratian. c.2. *Jus generale nomen est; lex autem juris est species, & omne jus legibus, ac moribus constat*: Tum quia consuetudo debet esse justa, saltem ratione objecti, seu materiæ, circa quam versatur. Per quod distinguitur ab abusu, & corruptela. Additur, *Hominum moribus institutum*, quibus verbis à lege distinguitur; Lex enim fertur à superiore, consuetudo verò introducit à subditis cum solo Principis consensu tacito, vel expresso. Sequitur *quod pro lege suscipitur*; nam, ut statim dicemus, consuetudo vim legis habet, & ejus loco suscipitur, ubi lex deficit. Cum autem lex deficere possit triplici modo. *Primò* cum non est: *Secundò* quando est inutilis: *Tertiò* cum dubia, vel obscura est; inde fit, quòd etiam triplici modo consuetudo suscipitur; nam *primò* ubi lex non est, suscipitur consuetudo legis introductiva, seu vim habens legis. *Secundò* venit in defectum legis inutilis consuetudo, abrogativa legis illius. *Tertiò* cum lex obscura est, vel dubia est, venit in ejus defectum consuetudo, quæ, ut infra dicemus, vim habet legem dubiam, & obscuram interpretandi.

## CONCLUSIO SECUNDA.

**C**onsuetudo vim habet legem novam instituendi, & veterem abrogandi. Ita omnes Theologi, & juris utriusque Doctores.

*Probatur prima pars*, ex Patribus; nam Tertullian. lib. de Corona militis cap. 4. sic ait, *Consuetudo etiam in rebus civilibus pro lege suscipitur, cum deficit lex*. Et August. Epist. 86. ad Casulanum ut refertur cap. In istis distinct. 11. hæc scribit. *In istis rebus, in quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta Majorum, pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores divinarum legum, ita & contempiores Ecclesiasticarum coercendi sunt*.

*Probatur secunda pars*, ex cap. Finali de consuetudine, his verbis. *Licèt etiam longæva consuetudo non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura, ut juri positivo*

*tivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta.* Et Digestis de legibus lege de quibus, ubi legimus, *relictissime etiam illud receptum est, ut non solo suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem leges abrogentur.* Secundò, quia consuetudo habet vim legis: Ergo cum lex, quæ sequitur, tollat legem præcedentem ita & consuetudo. *Tertiò* ex Isidoro, & Theologis post ipsum, lex debet esse secundum patriæ consuetudinem loco, temporique conveniens: Ergo per contrariam consuetudinem lex abrogatur; quia per illam fit, ut non sit amplius secundum patriæ consuetudinem. *Quartò*, experientia testatur hanc veritatem: multæ siquidem leges Ecclesiasticæ amplius non vigent; quia per contrariam consuetudinem sunt abrogatæ.

*Dices:* Consuetudo rationi cedere debet, ut habetur *distinct. 8.* Ergo cum lex rationi nitatur, debet illi cedere consuetudo, & non per contrariam abrogari.

*Distinguo antecedens:* Consuetudo debet cedere rationi, quæ contrariam omnem rationem excludit, *Concedo;* debet cedere rationi, quæ non excludit rationem contrariam, *Nego:* ea autem est conditio legum positivarum, ut rationi nitantur: quæ tamen habent rationem oppositam, quam non excludunt, & cum in consuetudine involvitur ratio opposita rationi legis, ei consuetudo est præferenda.

*Instabis:* Dicitur etiam sæpius in jure Canonico, & Civili eam non esse vim consuetudinis, ut legem vincat.

*Respondeo* non esse eam vim consuetudinis cujuslibet, sed rationabilis, & legitime præscriptæ.

### CONCLUSIO TERTIA.

**U**T Consuetudo vim legis instituendæ, & abrogandæ habeat, plures conditiones exigat. Primò namque ut legem abroget, debet esse rationabilis: quod non est sic intelligendum quasi actus, à quo incipit consuetudo, necessariò debeat esse bonus, cum sit contra legem: sed quia postquam per actus malos subditi fecerunt aliquid contrarium legi, successu temporis executio istius legis humanæ, contra quam peccatum est, vix est possibilis, magnas habet difficultates, operat, & angit conscientias, potius quam juvet illas: Unde contingit, ut sub-

diti credant se in bona conscientia facere posse, quod legi adversatur.

Debet etiam esse legitime præscripta ista consuetudo: legitime verò præscriptam non esse certum est, nisi his conditionibus. *Primò* consuetudo non præscribitur nisi per actus contrarios legi, vel per negationem actuum legi repugnantem. Dico *legi repugnantem*, quia non per quamlibet negationem actus præscribitur. *Secundò* actus isti, per quos introducitur consuetudo præscripta, debent esse voluntarii: quia ut acceptatio voluntaria requiritur in subditis ad hoc, ut lex humana vim habeat legis: ita voluntaria non acceptatio, seu potius inobedientia legis debet esse in causa, cur consuetudo legem abroget. *Tertiò* actus isti debent esse manifesti: tum quia quando actus obsecuri sunt, vix conjici potest esse bona fides in subditis, quæ tamen ad præscribendum necessaria est: tum etiam quia unumquodque eo genere dissolvitur, quo est colligatum: ergo cum lex introducat per actus manifestos, actus contrarii, per quos definit, debent etiam esse manifesti. *Quartò* tempus præscriptionis istius respectu legum Ecclesiasticarum videtur esse quadraginta annorum, quia non præscribitur adversus Ecclesiam, nisi quadraginta annis, ut constat *ex titulo de præscriptionibus:* respectu verò legum Civilium debent intercedere decem anni; quia præscriptio longi temporis est decem annorum inter presentes, ut habetur in jure civili, licet inter absentes sit viginti annorum: subditi autem, in quorum bonum lex fuit instituta, semper sunt presentes. *Denique* actus isti, per quos inducitur ejusmodi consuetudo legis abrogativa, vel frequentiores, vel rariores esse debent per hoc tempus ratione materiæ: si namque materia rarius occurrat, præscribitur lex à consuetudine per minores numero actus repetitos: si frequentius, plures requirentur; uno verbo debent tot esse actus, ut colligi possit, quòd quotiescunque sese obtulit occasio legis implendæ, toties ei contradictum fuerit.

*Similiter:* ut consuetudo habeat vim inducendi legem, has opus est conditiones habeat. *Primò* requiritur, ut id, de quo inducitur consuetudo, sit actus bonus, & possit esse materia legis justæ: nam consuetudo habet vim legis: ergo debet esse de ea re, de qua lex statui possit. *Secundò*, debet esse universalis, & non paucorum. *Tertiò*, id, quod ducitur in consuetudinem, judicari debet ab omnibus.

nibus observatu necessarium, & non tamquam faciendum ex populi devotione, & pio affectu. *Quartò*, requiritur expressa, vel saltem interpretativa superioris voluntas, ut talis consuetudo obliget: in hoc siquidem est distincta consuetudo, ubi de abroganda lege agitur, à consuetudine ubi de lege instituenda, quòd nihil habeat vim legis, nisi à superiore juridicè dimanet: atqui absque consensu superioris potest consuetudo legem abrogare: quia tunc lex præcedens utilis esse desinit. *Quintò*, debet esse legitime præscripta: ut verò talis sit in Ecclesiasticis sicut in Civilibus, sufficit præscriptio decem annorum nec requiritur ut sit quadraginta annorum: nam ideò, ubi de abroganda lege agitur, consuetudo debet esse præscripta præscriptione quadraginta annorum, quia esset contra Ecclesiasticam legem; contra Ecclesiam autem non præscribitur minori temporis spatio: At ubi de consuetudine agitur, quæ vim habet legis instituendæ, non præscribitur contra Ecclesiam: Ergo tunc sufficit si præscriptione decem annorum sit præscripta. Ex iis

*Collige primò*, consuetudinem habere quæque vim, legem dubiam, vel obscuram interpretandi; neque enim melius vera legis intelligentia haberi potest, quàm ex communi hominum maximè sapientum usu per receptam consuetudinem comprobato, & manifesto. Quod etiam patet ex c. *cùm dilectus* de consuetudine, necnon l. 37. ff. *de legibus*, ubi dicitur, *consuetudo esse optima legum interpret.* Quod utique fit dupliciter. *Primò* quidem quatenus est signum veri sensus legis, & intentionis legislatoris, quæ ex modo, & consuetudine legem servandi colligitur tamquam ex probabili, aut moraliter certo argumento, nisi constet aliunde contrarium. Hinc Doctores, ac jurisperiti non rarò affirmant legem esse exponendam juxtà consuetudinem loci. *Secundò*, consuetudo vim habet legem interpretandi, quia concurrat ad introducendum, vel stabilendum sensum legis, modumque observandi, implendi eam, quantumvis subinde minus convenientem cum prima legislatoris intentione: cujus quidem assertionis ratio est, quòd ipsa consuetudo potest sortiri vim legis, aut legem abrogare: Ergo etiam aliter potest interpretari. Unde licet ex verbis, aut materia legis foret dubium, an lex graviter obligaret, ideò per se loquendo esset benignius interpretanda: deberet tamen

*Frasen Theol. Tom. VI.*

cenferi obligare graviter, si ita sit consuetudine recepta.

*Collige secundò* duplicem distingui consuetudinem vim legis habentem; *Aliam* quidem præscriptam; *alteram* verò non præscriptam. Prior est illa, quæ diuturno tempore valorem legis acquirit per consensum legalem Principis, eo modo quo jus acquiritur in aliena bona longi temporis diuturnitate possessa per præscriptionem possessionis bonæ fidei vi legis generalis præscriptionem statuentis: cujus quidem consuetudinis fit mentio in c. *ultimo de consuetudinibus*, ubi vocatur *consuetudo legitime præscripta*. Posterior verò consuetudo ea est quæ jus inducit absque præscriptione, seu determinatione longi temporis per tacitum saltem consensum Principis scientis, & tolerantis id quòd fit, cum posset facile impedire, deberetque; nisi tacite consentiret ad malum aliquid vitandum. Ad priorem consuetudinem firmandam requiritur ad minus tempus decem annorum, ut patet ex lege 1. & 2. *Codice de præscriptionibus longi temporis*. Quod utique tempus continuum esse debet, idest, non interruptum per contrarios actus superioris resistents, vel populi eam interruptentis.

Quantum verò temporis sufficiat ad consuetudinem non præscriptam infra decennium, vix certò potest definiri. Consent enim aliqui ad id sufficere tres menses: alii verò minus exigunt; At existimo id esse prudenti sapientum consilio, & assensu judicandum ex frequentia, & notorietate actuum, quibus inducitur, aliisque circumstantiis, ex quibus prudenter censendum est, Principem talem consuetudinem tolerare, & tacite approbare.

*Collige tertio*: Consuetudinem vim legis habentem non posse induci nisi à communitate, aut saltem à majori parte communitatis publicè, & voluntariè agente; ita quòd actus, quibus inducitur Consuetudo publicè fiant, & absque ulla vi. *Ratio primæ partis* hujus assertionis est, quòd Consuetudo cum habeat vim legis, sitque lex quædam non scripta, non potest induci nisi ab iis, qui habent potestatem, & autoritatem leges ferendi; cujusmodi est communitas perfecta, vel superior ipsi præsidens: quare licet privati possint præscribere, & jus in bonum possessum acquirere per præscriptionem: non tamen possunt Consuetudinem vim legis habentem inducere. *Secunda pars* hujus assertionis etiam constat; cum enim jus per Consuetudinem

dinem inductum cadat in totam communitatem, debet esse à tota communitate moraliter faltem; quandoquidem jus illud Consuetudinarium vim habeat obligandi totam communitatem per modum legis. Dicitur autem esse à tota communitate moraliter id, quod est à majori parte illius, ut patet ex electionibus, & deliberationibus, aliisque actibus, qui à communitate fieri solent.

*Adverte* nihilominus quòd si Princeps legem ferat circa paucorum Consuetudinem, quæ melior ei videatur, illa Consuetudo reverà vim habeat totam communitatem obligandi, non tamen ratione Consuetudinis inductæ per pauciora communitatis membra, sed ratione legis à Principe lata, & constitutæ.

### QUÆSTIO SECUNDA.

*Quid, quotuplex, & qualis sit lex favorabilis seu Privilegium.*

**N**otandum primò: Privilegium à Lege, Dispensatione, & gratia differre: à lege quidem in duobus maximè; quia primò lex jus commune, privilegium verò jus speciale respicit. Secundò: quia lex quamdiu viget, semper obligat subditos; privilegium verò à legis observatione privilegio donatum eximit. Tertiò, quia lex totam communitatem obligat, ad eamque spectat; privilegium verò tantum concernit personas privatas; est enim lex privata à jure communi eximens; à Dispensatione, similiter differt primò, quia dispensatio semper est alicujus legis; privilegium non ita: potest enim aliquis privato jure donari absque eo quòd cæteri ad contrarium obligentur: Secundò; quia dispensatio ad unum actum conceditur, putà ad unicum matrimonii impedimentum tollendum, sicque non est quid permanens; privilegium verò dat jus aliquod stabile: Unde quando dispensatio conceditur alicui per modum legis stabilis, & permanentis, putà dum quis eximitur à jejuni quadragesimali prototo tempore vitæ, hæc concessio potius habet vim privilegii quàm dispensationis. Denique, Privilegium à gratia discrepat, sicut inferius à superiori; quia privilegium quodlibet est gratia, sed non gratia qualibet est privilegium; dispensatio enim v. g. ab aliqua irregularitate, vel absolutio ab ex-

communicatione, gratia quidem est, non verò privilegium.

*Notandum secundò:* Eum dumtaxat posse concedere privilegium, qui potest legem ferre; non enim cujusvis hominis beneficium, privilegium potest appellari, sed illud solum quod publica potestate alicui conceditur: *Adde* quòd cum privilegium sit certa quædam publicæ legis derogatio per auctoritatem facta, ille solus censetur privilegium posse concedere, qui pro sua auctoritate potest legem statuere, & solvere verè ex toto dum eam abrogat, vel ex parte dum illius vim imminuit, aut per privilegium aliquos ab ejus observatione excipit. Hinc sequitur quòd Privilegium concedi debeat ei, qui subditur legi: siquidem per privilegium privilegiatus eximitur à lege, quam tenebatur implere, nisi tali privilegio donatus fuisset.

*Notandum tertio,* quòd etsi Privilegium cedat in bonum privatum immediate; tamen etiam cedere debet in bonum commune saltem mediâtè; non potest enim legitime concedi, nisi quia expedit rei publicæ personis, aut rebus, quibus conceditur bene esse. Sic illis conceditur quide republica sunt bene meriti, aut de quibus speratur, quòd sint bene merendi: interest quippe, ut remunerentur bene meriti, & ut provocentur alii ad bene merendum. Sic conceditur iis, qui aliàs opprimerentur occasione legis vel quorum oppressio periculum metuendum esset: quales sunt pupilli, & viduæ; nam interest republicæ, ut nemini fiat injuria. Sic privilegium conceditur iis, qui sunt Dei ministri; interest quippe republicæ deferre aliquem cultum Deo in ministrorum suorum veneratione; neque verò privilegium alia ratione dicitur vim legis habere, quia licet immediatus ejus finis sit bonum privatorum; mediatus tamen est bonum communitatis.

Quam utique veritatem docent omnes SS. Patres quotquot de privilegiis mentionem fecerunt: significaverunt enim id esse retinenda, & conservanda, quia non erant nociva communi bono, quin potius utilia, utpote quibus honor exhibetur bene merito; vel quies procuratur, vel impeditur oppressio. S. Greg. lib. 2. Epistolarum Epist. 39. quæ est Dominico Carthaginiensi Episcopo de Ecclesiasticis privilegiis. *Quod vestra Fraternalitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesis sua jura servamus, nec cuilibet favente gratia, ultra quàm meretur, imper-*

*impertior; nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu simulante, derogo, sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque cupio honore singulos subvehi, dummodo non sit, quod alteri jure ab altero possit opponi. Et lib. 7. Epist. 33. Grave nimis, & contra Sacerdotale constat esse propositum, velle cujusquam Monasterii privilegia olim indulta confundere, & ad irritum, quæ sunt pro quiete disposita, nisi deducere.*

Quando verò aliqua abolenda esse dixerunt, vel minimè concedenda, de iis locuti sunt quæ in bonum publicum non cedunt, sed privatorum commodis solum favent. Sic S. Bernardus lib. 3. de Consideratione cap. 4. *Murmur loquor, & querimoniam Ecclesiarum, truncari se clamant, ac demembrari, vel nulle, vel pauca admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Queris quam? Substrabuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus, bona ne species hæc? Mirum si excusare valeat vel opus. Et postea. Nolo autem præterendas mihi fructum emancipationis ipsius: nullus est enim, nisi quòd inde Episcopi insolentiores, Monachetiam dissolutiores fiant. Et rursum. Quid, inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in edificationem, non in destructionem. Deinde queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Ubi necessitas urget excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis non propria; nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio; sed crudelis dissipatio est.*

### CONCLUSIO PRIMA.

**P**rivilegium rectè describitur, *Lex à jure communi eximens, & jus aliquod privatum, seu speciale, & favorabile concedens. Vel aliter, Privilegium est lex privata speciale aliquid indulgens; verbo, vel scripto, & concessum ab eo, qui auctoritatem habet leges condendi. Explicatur hæc definitio. Primò quidem dicitur Lex: Tum quia conceditur stabiliter per modum legis. Unde non expirat cum morte concedentis, sicut præceptum vim obligandi deperdit in morte præcipientis: Tum quia per modum legis dirigit, & ordinat eos, quibus conceditur; prohibetque, ne aliquid contra concessum intentetur.*

Additur *Privata*, quo à lege distinguitur: hæc enim ad omnes generaliter subditos, illud autem ad privatas dumtaxat personas spectat; nempe vel familiæ, vel personæ, & successoribus, sive communitati, puta religioni, provinciæ, regno, & cuivis alteri parti communitatis subditæ legislatori conceditur; non autem toti ipsi communitati, Unde dicitur privilegium respectu eorum, quibus non est commune.

Subditur *speciale aliquid indulgens*, est enim privilegii vis, & natura, ut per illud aliquid speciale ultra jus commune privilegiato concedatur. Denique dicitur *verbo, vel scripto*; sicut enim non est de essentia legis, quòd sit scriptis exarata; ita nec ad essentiam, & valorem privilegii scriptura necessaria est: sed sicut lex potest verbo, vel scripto constitui; ita & privilegium. Unde in Clementina *Dudum de sepulturis*, ait summus Pontifex, *Nos universa privilegia, gratias, indulgentias verbo, vel scripto, sub quacumque forma, vel expressione, seu conceptione verborum à nobis, vel Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, cuicumque ordinum prædictorum (quatuor Mendicantium) concessa &c.* Nihilominus ad fidem in judicio faciendam necessum est, ut privilegium scriptura exaretur, quando non est consuetudine acquisitum: prout instar aliorum jurium, ac bonorum acquiri potest. Unde Leo X: concessit fratribus Minoribus, ut possint uti in foro conscientia tantum omnibus concessis à fede Apostolica, sive per Bullas, aut Brevia, aut vivæ vocis oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur. Est aliud privilegium Julii II. concessum Augustinianis *Bulla Nihil est 22. in Bullario Rodriguez, qua proprio motu, & certa conscientia concessit eisdem, & consequenter cæteris Mendicantibus, seu in eorum privilegiis communicantibus, Quòd quæcumque eis concessa, sive per se, sive per communicationem, sive sint facta in forma Brevis, sive per supplicationem expedita, in quibus placuit, ut signatura sola sufficeret, eandem omnino vim, & efficaciam habeant, tam in judicio, quam extra judicium, ac haberent, si plumbeo sigillo essent obsignata,*

Denique sequitur *concessum ab eo, qui auctoritatem habet leges ferendi*; quicumque enim supremam auctoritatem obtinet in subditos, eisque legem statuere, ac præscribere potest, etiam potest eorum aliquibus id concedere, quod jure communi non ha-

beret. Ut autem licitè concedat, iusta quædam causa requiritur: non verò ut validè; siquidem pro sua autoritate legislator potest, quem voluerit, ab obligatione communi eximere.

### CONCLUSIO SECUNDA.

**P**rivilegium supra descriptum varias in species dividitur.

*Primò* namque distribuitur in reale, & personale. *Reale* est, quod conceditur directè, & immediatè alicui rei, munerì, vel conditioni distinctæ à persona, ut causæ piæ, prædio, Monasterio, Ecclesiæ &c. vel statui Clericali, munerì Episcopali, officio præsidis, conditioni pupillorum, Scholasticorum &c. hæc enim privilegia conceduntur personis, non tam ratione sui, quàm ratione qualitatis in genere personarum reperiuntur. *Personale* est quod immediatè datur personæ ratione sui, & ex intentione, ut ei provideatur; ut dum alicui conceditur, quòd non solvat decimas, quòd sit immunis à tributo, quòd absolvere possit à reservatis &c. *Insuper* utrumque distinguitur in hoc, quòd reale sit perpetuum, & duret cum re, officio, statu, dignitate, aut conditione, cui annexitur: *personale* verò tantum est ad tempus, extinguiturque, cum persona, cui conceditur, juxta regulam 7. *Juris in sexto*, privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

*Ut autem* utrumque hoc privilegium distinctè cognoscatur, attendi debet ad tenorem formulæ, qua conceditur, ejus præmium, item ad quem dirigatur, & similia; ut videlicet inde colligatur, an privilegium personale sit cum persona extinguendum, an reale, & tamdiu duraturum, quamdiu ipsa res, cui coheret, permanet. *Hinc* privilegium datum certæ communitati tamdiu durat, quamdiu censetur illa eadem communitas permanere, quamvis ex uno loco in alterum migret: manet enim idem corpus politicum, cui potius, quàm loco censetur superior privilegium affixisse. *Similiter* quando privilegium conceditur loco, v.g. templo, non perditur per templi destructionem, nisi fiat autoritate legitima: secus est si casu, vel ab hostibus destruat; tunc enim restaurato templo privilegium perseverat.

*Dividitur* secundò in privilegium *gratiosum*, *remunerativum*, & *conventionale*. *Gratiosum* est, quod datur gratis sine ullis

meritis privilegiati, vel Parentum, aut aliorum ipsi communicatis, quibus privilegium ut merces respondeat, & non solum ut motivum, vel occasio dandi. *Remunerativum* est, quod datur in præmium meritorum privilegiati, aut aliorum ipsi communicatorum. *Conventionale*, quod datur pacto, seu conditione interveniente, ratione cujus privilegiatus censetur emere, vel recompensare privilegium.

*Dividitur* tertio, in *locale*, & *generale*: isto uti licet ubique; illo non, nisi in loco, pro quo concessum est: ut efus carni in Francia diebus aliquot Sabbati, & lactiniorum in Quadragesima. Quando autem sit locale, cognoscitur, vel quia id exprimitur in privilegio; vel quia ex causa particulari concessionis satis colligitur, ut efus lactiniorum in Quadragesima, ubi deest copia olei, & piscium: vel quia concedens habet jurisdictionem limitatam ad aliquod territorium, extra quod non potest dispensare contra leges alterius territorii. Si tamen habet facultatem dispensandi in jure communi regni, vel Ecclesiæ, & privilegium sit tantum contra illud jus commune, valet ubique dispensatio: atque ita v.g. dispensatio habendi simul plura beneficia facta à Legato, valet etiam extra Legati territorium.

*Dividitur* quarto in *favorabile*, & *odiosum*: Favorabile est illud, quod nemini affert incommodum, cujusmodi est privilegium audiendi missam tempore interdicti; vescendi butyro, & lacte in Quadragesima; faciendi testamentum sine solemnitate juris, &c. *Odiosum* illud est, quod licet favoreat privilegiato, alteri tamen simul nocivum est, quale est privilegium, quo quis capax redditur ad habenda plura beneficia.

*Dividitur* quinto in *affirmativum*, & *negativum*. *Affirmativum* illud est, quo facultas aliquid faciendi conceditur. *Negativum*, quod dat facultatem ad aliquid omittendum.

*Dividitur* sexto, ratione modi, quo conceditur, in privilegium *concessum ad petitionem*, seu *instantiam* privilegiati, & in id quod tribuitur *motu proprio*, & ex sola liberalitate, & beneplacito concedentis; quod utique discerni potest; tum ex præmio concessionis, in quo solet supplicatio narrari, si præcesserit: tum præcipuè ex ipsa forma concessionis, in qua solet exprimi, quando proprio motu



motu est facta per clausulas: *Motu proprio*, non ad instantiam alicujus ex mera nostra liberalitate, aut his æquivalentes. Quod dum non satis exprimitur, censetur privilegium datum ad petitionem juxta c. Si motu proprio, de præbendis in 6.

Inter has privilegii concessionem variaz sunt differentiaz. *Primò*, quòd concessum ad instantiam partis non fit ad eò voluntarium, & liberale, sicut concessum ex motu proprio: & proinde hoc, quantum patitur verborum proprietate, est ampliandum; quod non habet ita privilegium concessum ad petitionem. *Secundò*, quòd aliquando, qui petiit privilegium, cogatur uti privilegio petito: si verò illi concessum fuerit motu proprio, non potest cogi, ut illo utatur, quando sibi minis utile videretur. *Tertio*, quòd privilegium ad petitionem interdum fit subreptione impetratum, ad eòque nullum: at clausula motus proprii tollit subreptionem; licet ex alio capite possit subinde esse nullum.

Est etiam alius modus concedendi privilegium; nempe ad instar alterius privilegii, quo fit, ut per eam concessionem tribuatur omnis favor, & gratia cum iisdem extensionibus, & limitationibus, quæ continentur in alio privilegio ad cuius instar conceditur. Sciendum tamen est, quòd ubi augetur privilegium exemplare, non propterea augetur privilegium ad instar, nec uno revocato, aliud censetur revocari; quia privilegium ad instar conceditur ad imitationem alterius privilegii considerati in statu, in quo est privilegium exemplare, ad cuius instar aliud conceditur; qua semel facta concessione, privilegium ad instar fit distinctum, & absolutum privilegium proprium, illi cui concessum est.

### CONCLUSIO TERTIA.

**P**rivilegia vigere, & cessare possunt variis modis.

*Prima Pars* fit evidens; vigent enim privilegia. *Primò* quantum ad tempus determinatum; dum videlicet tantum pro certo tempore conceduntur, ut dum conceditur alicui facultas edendi carnes tempore unius, aut alterius dumtaxat Quadragesimæ. *Secundò* tamdiu vigent, quamdiu vivit persona, cui conceditur ad vitam, si fit privilegium personale, nec revocetur à concedente; vel

*Fraffen Theol. Tom VI.*

quamdiu communitas, cui tribuitur, aut res cui annectitur, perseverat, si sit privilegium reale, aut commune; dummodo non revocetur, nec à communitate illi privilegio renuntietur. *Tertio* denique tamdiu vigent privilegia, quamdiu aliqua non occurrunt causæ eorum cessationis; quarum præcipue sunt sequentes.

*Primò*: Censeri potest desinere privilegium per cessationem causæ, ob quam conceditur; nam cessante causa, cessat effectus; cum enim privilegium concedatur à Principe propter usum, non minis honestam causam requirit privilegii usum, quam ipsius concessio; quod utique constat lege *Urianus ff. de fide-jussoribus*, in qua dicitur, quòd *pervenit ad statum, in quo incipere non posset, in eoremanere non potest*, seu ut ibidem habet glossa, *quod impedit ad faciendum, destruit quoque jam factum*; Ergo eadem causa requiritur in usu, quæ in concessione; subindeque si absente causa non potuisset licite concedi privilegium; eadem pariter absente non potest licitus, ac legitimus illius usus perseverare. Hinc ex cap. *Tua, de Clericis non residentibus*, statuitur, quòd privilegium indultum Canonicis, ut absentes ratione studiorum percipiant fructus præbendarum suarum, cessat dum studiis amplius non incumbunt.

*Adverte*, nihilominus hanc sententiam sic esse intelligendam. *Primò* nisi privilegium, vel dispensatio concedatur ob vitandum aliquod morale periculum: Hinc foemina, cum qua dispensatum fuit in voto castitatis propter morale periculum incontinentiæ, non cessat hoc dispensationis privilegium cessante ipso periculo, vel ob senilem ætatem, vel ob diuturnam, & gravem infirmitatem, vel alias ob causas. *Secundò* cessat privilegium, cessante causa, nisi illud sit de re, quam Princeps etiam sine gravi causa honestè concedere potest, cujusmodi est privilegium de anticipando missæ sacrificio ante auroram ob legitimas causas; hanc enim concessionem quæcumque etiam levis causa honestam potest efficere; subindeque licet non adsit gravis causa, qui tali privilegio donantur, eo licitè possunt uti.

*Secundò*, privilegium amittitur per renuntiationem expressam, & extremam privilegiati; quia beneficium privilegii non est coactum respectu illius, cui conceditur, nec tribui debet ipsi invito; quippe cum in ejus gratiam non in gravamen conferatur;

L 3      idè.

ideòque potest illi renunciare. Hinc persona privilegiata potest renunciare privilegio personali, & communitas aliqua resignare privilegium commune sibi concessum; nullus autem privatus privilegiatus renunciare potest privilegio, communitati, vel statui suo concessio. Atque ita Clericus non potest renunciare privilegio Canonis, & Fori: nec Religiosus privilegiis Religionis; nec Episcopus privilegii Ecclesiæ communibus, aut ordinis Episcopalis. Præterea ad renunciandum, non sufficit actus internus, sed debet exterius manifestari, & acceptari à concedente privilegium, vel à tertio, cujus interest; alioqui renunciatio privilegiarii potest ab ipso revocari; neque ipsum obligat ad non utendum privilegio.

Tertio, privilegia cessant per non usum, seu desuetudinem, aut per usum contrarium; quando scilicet sunt odiosa, & redundant in gravamen, & quasi servitutum aliorum. Sic expressè *lege de nundinis* statuitur, ut privilegium nundinarum per non usum decennio amittatur. Ratio est, quia præscriptio æquè locum habet contra ejusmodi onera, & servitutes, ac contra quasvis alias. Si verò privilegia sint merè favorabilia, & non cedant in præjudicium aliorum, non amittuntur per præscriptionem; quia neque ipse privilegiarius contra seipsum præscribere potest; nec alii contra ipsum, quia ipsorum nihil interest.

Adverte autem, quòd ad præscriptionem privilegii contra laicos requiritur spatium decem annorum inter præsentem, ac viginti inter absentes. Contra Ecclesiam non præscribitur nisi spatio quadraginta annorum, & contra Ecclesiam Romanam spatio centum annorum. Contra Monasteria autem, personas, aut alia bona Religiosorum jure communi quidem necessaria est præscriptio quadraginta annorum: ex Privilegio autem Eugenii IV. requiruntur sexaginta anni. Imò ex quadam alia concessione facta monasterio Benedictinorum S. Pauli extra muros Romæ (cum quo Monasteria, & consequenter alij Ordines communicant) requiruntur centum anni, ut videre est apud Rodriguez Tomo 3. qq. Reg. qu. 35. art. 2.

Quarto, Amittuntur privilegia per delictum ipsius privilegiati: quod duplex esse potest; unum non pertinens ad usum Privilegii, & tale delictum non tollit privile-

gium, nisi in casibus in jure expressis, quo pacto clericus mercaturam exercens, perdit privilegium clericale fori, *Cap. ultimo de vita. & honestate Clericorum*: Alterum pertinens ad usum privilegii, idest, abusus privilegii, vel per excessum facultatis concessæ, vel per excessum occasionem licentius vivendi, liberiùsque peccandi, præcipuè cum scandalo, & detrimento boni communis: *Nam privilegium meretur amittere, qui permessa sibi abutitur potestate*, ut dicitur *dist. 74. cap. ubi*.

Quinto, Si privilegium sit merè gratuitum, & consistens in mera potestate aliquid agendi, vel non agendi contra commune jus, semper est ad Principis nutum, etiam sine causa, validè revocabile; quia Princeps, qui abstulit præceptum commune per concessionem privilegii, potest iterum illud imponere; & talis privilegii concessio non est acquisitio alicujus domini, sed dispensatio quædam in jure communi, quæ semper pendet à Principis voluntate. *Dixi validè revocabile*, quia ut talis revocatio honestè, & decenter fiat à Principe, aliquam causam requirit. *Decet enim concessum a Principe beneficium esse mansurum*, ut habetur regula 16. *De regulis juris in sexto*. Si verò privilegium non sit purè gratuitum, sed onerosum, ut privilegium remunerativum, & conventionale est per se irrevocabile, quia jure naturali tenetur Princeps servare pacta, etiam cum subditis. Per accidens tamen, sicut potest privare subditos aliis bonis, quando necessitas boni communis id postulat: ita etiam potest eos privare concessis antea privilegiis. Potest enim per jus altum de illis jurebus æquè, ac de aliis bonis inferiorum disponere, quantum exigit necessitas boni communis. Debet tamen aliter compensare hanc privationem, si potest.

Hic autem adverte privilegia Regularibus Mendicantibus à sede Apostolica concessa, esse remuneratoria; eo quòd videlicet, ut loquitur Pius V. Bulla, *Est mendicantium ordines in principio, pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica sede (cujus continuè pacem, & dignitatem Ordines ipsi fortiter tutari sunt) tam spiritualia, quam corporalia subsidia, ornamentaque acceperint, & accipiant*. Similiter alii Pontifices *amplissima merita, uberrimosque fructus, quos in Dei Ecclesia continuè adferunt*. (Prout de Ordinibus Prædicatorum, & Minorum loquitur

tur Sixtus IV. in bulla aurea quæ est 20. in Bullario Rodriguez, ubi hæc ipsa merita, & fructus miris laudibus prædicat) pro motivo concedendi privilegia profuerunt. Unde etsi absolutè à Pontificibus revocari possint, ad licitè tamen, & rationabiliter revocandum gravis, & urgens causa requiritur, quod tanquam ex communi sententia tradit Bassæus in supplem. V. privilegiorum num. 15.

*Notandum insuper*, Privilegia non censeri esse revocata, nisi sufficienter, & expressè eis derogetur; idque non solum si non contineantur in corpore juris, quæ præsumitur Princeps ignorare; adeoque non revocare, quando non facit de illis mentionem, juxta cap. 1. de constit. n. 6. sed etiam si contineantur in jure communi, quod Princeps præsumitur scire: nam nihilominus generi per speciem derogatur, etsi species præcedat. Imò privilegiis generaliter revocatis, non censentur revocari illa, quæ sunt in corpore juris, ut rectè inter cæteros docet Suárez *Lib. 8. cap. 38. num. 1.* quia privilegia juri communi inserta tanquam Canones, & leges communes, earundem conditiones participant. Quòd si privilegium sit concessum in Concilio Generali, debet etiam specialiter ei derogari, ut censeatur revocatum, ut tradit Covarruvias, Menochius, Sanchez, & alii passim, ut notat Herinx.

*Quæres 1. Quid sentiendum sit de Communicatione, & Confirmatione Privilegiorum præsertim Regularibus concessorum.*

**R**espondeo 1. Religiosos Mendicantes habere plenissimam inter se communicationem privilegiorum; imò etiam communicare privilegia concessa aliis Ordinibus non mendicantibus, ut constat ex plurimis summorum Pontificum declarationibus; maximè verò in favorem Seraphici nostri Ordinis factis; quod præcipuè apparet ex Bulla secunda Clementis VII. in qua motu proprio, & ex certa scientia tribus Ordinibus sancti Francisci communicat omnia indulta, gratias, indulgentias, & alia quæcumque privilegia concessa, aut concedenda quibuscumque Ordinibus tam mendicantibus, quam non mendicantibus, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent. Quæ utique Bulla confirmata est à Paulo IV. Pio IV. Pio V. Grego-

riò XIII. Sixto IV. & aliis summis Pontificibus.

*Respondeo 2.* Privilegia Regularibus concessa, maximè verò nostro Seraphico Ordini, à plurimis Pontificibus ante & post Conc. Trident. fuisse confirmata ex certa scientia, ac per Apostolicam potestatem: videlicet à Paulo II. Sixto IV. Clemente VII. Julio III. Paulo IV. Gregorio XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. & generaliter omnia Privilegia omnium Mendicantium Ordinum confirmavit Pius V. Bulla, *Etsi Mendicantium Ordines*. Cui in hac parte non derogant aliæ Pontificum Concilio Tridentino posteriorum bullæ privilegiorum confirmatiæ, in quibus additur clausula, *In his, quæ non adversantur Decretis Concilii Tridentini*: Nam, ut plurimi Authores observant, clausula ista non intelligitur de omnibus privilegiis, quovis modo contrariis Concilio Tridentino, sed tantum de iis, quæ formaliter ipsi contrariantur, quæque Concilium ipsum expressè, & signanter revocat.

Nec obstat quòd Concilium Trident. Sess. 25. cap. 22. de Regularibus decernat, *Quòd omnia, & singula in superioribus Decretis contenta observari sancta Synodus præcipit, non obstantibus privilegiis sub quibuscumque verborum formulis conceptis*: Nam loquitur Concilium de Decretis istius Sessionis dumtaxat, ut satis colligitur ex textu, & aliis circumstantiis: imponit enim coronidem Sessioni, dicens; *Hæc omnia, & singula in superioribus decretis* (non ait sessionibus) *contenta, &c.* Quod insuper constat, nam si alia fuisset Concilii mens, haud dubiè statuisset derogationem ad calcem totius Concilii, seu sessionum omnium. Quod utique cum non fecerit Concilium, inferendum est illam derogationem factam privilegiis tantum spectare ad ea privilegia, quæ decretis præfatæ sessionis 26. formaliter adversabantur.

### QUÆSTIO TERTIA.

*Quot modis variari, ac mutari possit Lex humana.*

**N**otandum 1. Legem Humanam mutari posse tripliciter: Primò per *Dispensationem*, seu relaxationem juris circa aliquas personas, aut aliquos actus, vel effectus legis in iis casibus, in quibus alio-

quin obligaret, aut haberet talem effectum, ut quando quis eximitur à jejunio tempore Quadragesimæ, non propter infirmitatem, sed propter concessionem, & relaxationem Summi Pontificis; dispensatio enim definitur à Gloſa in cap. *requiritis* 1. q. 6. *Juris communis relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui jus habet dispensandi.* Secundò, per *abrogationem*, quæ tripliciter fieri potest; nimirum *vel* per contrariam consuetudinem, seu legem non scriptam: *vel* per simplicem revocationem Principis: *vel* per legem contrariam expressè derogantem priori, aut statuentem illius oppositum. Tertiò denique mutantur Humanæ Leges per *Cessationem*, seu simplicem desinonem, ut quando lex ad tempus lata, eo lapsò expirat; sicut cessavit lex Mosaica, quæ instituta erat dumtaxat, ut viam sterneret ad legem Evangelicam.

Notandum secundò, *Dispensationem* in hoc à *Privilegio* discrepare, sicut & *Absolutione*, quòd *Privilegium* propriè est privata lex, quæ potest aliquando esse, non solum contrarius, quo in casu foret simplex dispensatio: sed etiam prater jus, qua ratione non dispensatio, sed privilegium est. Similiter *Absolutio* non est contra legem communem, sed potiùs secundum illam, si persona absolvenda illam mereatur. *Dispensatio* verò est contra legem communem, cum sit juris relaxatio. Hinc dispensatio non incongruè *vulnus*, seu *vulneratio legis* appellatur. Lex enim ex duplici causa vim, & vigorem obtinet: *Primo* quidem ex autoritate Legislatoris, cujus prudentia humanis actibus regulam imponit: *Secundò*, ex consuetudine, quæ est vis constrictiva legis: quando enim cum aliquo juris rigor relaxatur, detrahitur aliquid de autoritate Legislatoris, & de consuetudine, & sic veluti legi vulnus infligitur. Id autem fit per dispensationem: per eam namque aliquid consuetudini legis firmativæ detrahitur, sicut & autoritati, & prudentiæ Legislatoris, qui per dispensationem tacitè taxatur minoris prudentiæ, eo quòd casum illum non prævidisse videatur.

Notandum tertio, In hoc legis *abrogationem* ab ejusdem *dispensatione*, *irritatione*, *derogatione*, & *correctione* differre; quòd *Abrogare* legem, est omnimodam ejus vim, & obligationem tollere; *Dispensare* verò est solum eam legem restringere, & limitare circa aliquam personam, aut aliquos effectus,

perseverante illius obligatione circa cæteros. *Irritare* legem, est impedire ne illa obligandi vim obtineat: eam autem *Abrogare*, est solvere illius vim obligandi, quam jam habuerat. *Derogare* legi, est illam non in totum, sed in partem tollere. *Emendare* legem, est illius obligandi vim moderari aliquid ipsi addendo, vel ab ea demendo. Demum *lex cessare* dicitur, quando vel finitur tempus, ad quod fuerat præscripta, vel cessat causa, ob quam lata fuerat; nam cessante causa, cessat effectus. His prænotatis, resolvendum est à quibus, & circa quæ fieri possit legis humanæ dispensatio, abrogatio, & cessatio.

### CONCLUSIO PRIMA.

**O**mnis, & solus Princeps tam Ecclesiasticus, quam Politicus, qui auctoritatem habet Leges condendi, in eis dispensare potest plenario jure: potest tamen quisquis Prælati, aut Præfecti inferior in illis dispensare ex delegata sibi auctoritate.

Hæc est communis quantum ad utramque partem: quarum *Prima* per se patet, qui enim facultatem habet leges condendi, habet & auctoritatem eas revocandi, & abrogandi, ne videlicet ullam amplius obligandi vim habeant erga totam communitatem, cui præscriptæ sunt. Ergo multò magis auctoritatem habet solvendi vim, & obligationem legis erga aliquos ex illa communitate, perseverante semper ejusdem obligandi virtute erga cæteros, quibuscum talis facta non fuit relaxatio: Hoc autem est propriè dispensare in lege: Igitur Princeps omnis tam Ecclesiasticus, quam Politicus, qui condere potest legem, etiam in ea dispensare potest.

Patet etiam *secunda pars*. Quisquis enim delegatam habet potestatem à Principe Ecclesiastico, vel Politico, penes quem est potestas condendi leges, in eis etiam dispensare potest juxta facultatem sibi concessam: ita quòd si plenariam habeat sibi commissam potestatem dispensandi, & relaxandi circa obligationem subditorum prout expedire ipsi visum fuerit à qualibet lege Principi deleganti subdita, poterit iste delegatus, juxta interveniente causa, eos subditos à legibus solvere.

Hinc sequitur 1. Summum Pontificem facultatem habere dispensandi in omnibus legibus Pontificiis, quas vel ipse, vel ejus præ-

Prædecessores statuerunt: Pari enim cum suis prædecessoribus auctoritate pollet: subindeque ejus auctoritas per sanctitatem prædecessoribus leges non coarctatur, quia par in parem potestatem non habet. Potest etiam dispensare in legibus à Conciliis etiam generalibus præscriptis, ut constat ipsa experientia: siquidem summus Pontifex non raro dispensat, tum in ætate præscripta à Concilio Tridentino ad sacros Ordines suscipiendos; tum in gradibus prohibitis ad contrahendum matrimonium. Hinc idem Concilium sess. 25. c. 22. de Refor. ait, *Sancta Synodus omnia, quæ... in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ sit, & esse intelligatur.* Suffragatur etiam ratio; Occurrit enim interdum necessitas habendæ dispensationis in ejusmodi legibus; molestissimum autem, difficillimumque foret convocare totam Ecclesiam ad Concilium Generale, quoties in iis legibus dispensandi facultas apud aliquem residere debet: non apud alium certè, quàm summum Pontificem, qui est Ecclesiæ caput: Ergo fatendum est ipsum habere auctoritatem dispensandi in omnibus legibus Ecclesiasticis, tum à suis prædecessoribus, tum ab omnibus Conciliis præscriptis.

*Sequitur 2.* Inferiorem Prælatus vi suæ potestatis ordinariæ non posse dispensare in lege superioris Prælati; Nam dispensare est tollere vim legis ex parte, & respectu personæ, quæ dispensatione donatur, sed tollere vim legis spectat dumtaxat ad eum, qui legem condidit, vel æquali cum eo gaudet potestate, non verò illius, qui potestatem inferiorem habet; subindeque Prælatus inferior, vi suæ ordinariæ potestatis non potest dispensare in lege superioris. Hinc dispensatio facta à summo Pontifice in votis, vel aliis, quæ sunt de jure Divino, aut naturali, nulla prorsus, & irrita foret, nisi adesset legitima causa, quæ personam dispensatam ab ejusmodi legum vi, & obligatione solveret: sicque illa summi Pontificis dispensatio potiori ratione dicenda est dispensationis declaratio, quàm dispensatio; nullus enim præter Deum auctoritatem habet dispensandi plenario jure in iis, quæ Divinum jus concernunt.

Hinc pariter Episcopi dispensare non possunt in votis suorum subditorum, quæ summo Pontifici reservantur: qualia sunt maxi-

mè quinque sequentia, castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellensem, & ultra marinum, seu in terram sanctam, quod utique probari potest *extravag. Etsi dominici*: ubi Sixtus IV. inter cætera Sedi Apostolicæ horum quinque votorum absolutionem reservat, & excommunicat eos, qui ab his præsumpserint absolvi: sed responderi potest, ea solum subtrahi confessariis, qui prætextu facultatum à Sede Apostolica concessarum absoluebant, quos etiam ibidem excommunicat. Verum quamvis in jure non inveniatur expressè aliquod votum absolute reservari, nisi ultra marinum causa subsidii, (de quo *cap. Quod super his 8. & cap. Ex multa de voto*) tamen stylus Curie Romanæ etiam alia reservat, cui parendum est, nisi alicubi alia sit consuetudo legitime præscripta, inquit Cardinalis de Lugo *lib. 2. cap. 40. dub. 18.*

Possunt igitur Episcopi dispensare in iis omnibus, quæ summo Pontifici non reservantur; quia, seposita reservatione summi Pontificis, habent auctoritatem ordinariam, possuntque in sua Diocesi, in iis, quæ ad jurisdictionem spectant, quidquid potest summus Pontifex in tota Ecclesia: sunt enim Principes sacrorum in sua Ecclesia; ac proinde habent potestatem necessariam ad ejus rectam administrationem. Ideo rectè dispensare possunt: *Primo*, in voto religionis non approbatæ, & in voto paupertatis, & obedientiæ perpetuæ, quæ in tali religione non approbata fierent, ubi videlicet occurreret necessitas dispensationem exigens: quia tale votum emissum, non est verè votum religionis; Religio enim non approbata à summo Pontifice, non est religio. *Item* dispensare possunt in voto castitatis non perpetuæ, putà 10. 15. 20. annorum, non autem 100. quia votum emissum castitatis servandæ per centum annos censetur esse perpetuum. *Similiter* in voto suscipiendi sacros Ordines; quia non est votum castitatis, etli hoc votum susceptioni Ordinum sit annexum, *Item* in voto de non petendo debitum; quia non sunt vota castitatis integræ, sed tantum partialis, &c.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus Prælatus inferiores facultatem habent dispensandi in lege præscripta à Prælato superiore. *Primus* casus est, quando materia est levis, ita ut transgressio legis tantum veniale peccatum reputetur sicut enim veniale pecca-

tum nulli est reservatum, sed quilibet Sacerdos ab eo potest absolvere; sic etiam ab obligatione legis potest inferior Prælatus ratione levitatis materiæ dispensare. *Secundus* est, quando frequens occurrit dispensationis motivum; putà in Festis celebrandis, jejunio & similibus; non videtur enim congruum toties ad Principem Prælatum, aut Superiorem recurrere, quoties occurrit hæc frequens dispensandi ratio; esset enim valde molestum Principi frequentior hic ad eum recursus in iis rebus, quæ ad ordinarium regimen spectant: ideoque justè præsumitur superior concedere Prælatis inferioribus in illis casibus dispensandi auctoritatem. *Tertius* est, quando gravis occurrit dispensandi necessitas, nec facilis est ad eum recursus, vel periculum esset in mora, aut grave detrimentum: sic Episcopus cum eo, qui habens votum simplex castitatis, contraxit matrimonium, & consummavit, dispensare potest ut petat, & reddat debitum propter periculum incontinentiæ. *Similiter* dispensare potest cum conjugibus, qui communi consensu voverunt continentiam, ne postea idem periculum utriusque, vel saltem alteri eorum ingruat. *Quartò*, potest dispensare inferior Prælatus in his, quæ ita propria sunt unius communitatis, ut nullo modo convenient aliis; ea enim, quæ sunt propria unius communitatis, sunt magis nota, & perspecta immediato Governatori, quàm supremo Principi, aut Prælato; ac proinde melius ipse quàm superior de iis judicare poterit: *Demum* potest Prælatus inferior dispensare, cum dubium est utrum casus dispensatione egeat, vel non; tunc enim præsumptio est pro libertate, quæ possidet; unde fit ut casus, nisi certus sit, reservatus communiter non censeatur.

Petes, *An superior possit dispensare erga seipsum.*

**R**espondeo I. Non esse dubium quin Prælatus possit erga seipsum in votis, & legibus dispensare indirectè; dando videlicet alicui è subditis potestatem, qua in ipsius voto dispenset, sic etenim Sacerdoti subdito potest dare potestatem, qua ipsum absolvat à peccatis etiam à casibus reservatis: ita etiam qua liberet ipsum ab obligatione voti; alioquin superior esset deterioris conditionis, quàm subditus.

*Respondeo 2.* Probabile esse Prælatum quemlibet in iisdem votis secum posse dispensare directè, in quibus dispensare potest cum sibi subditis, quod utique probat De Lugo *loco laudato dub. 17. Primò*, quia sicut potest dispensare cum suis subditis in Legibus etiam superiorum, quando id ei permittitur, ut in lege jejunii, esus carniæ, audiendi sacri, recitandi officii: ita & in iisdem potest dispensare secum, quando causa justa subest: Ergo sicut potest dispensare in votis subditorum, potest etiam in votis suis; non enim hic plus jurisdictionis requiritur in seipsum, quàm ibi. *Secundò*, potest se eximere, quando causa subest, ab obligatione, quam jure naturæ contrahit occasione legis propriæ; cur non etiam ab obligatione, quam adfert votum proprium? *Tertio*, Papa potest sibi ipsi conferre indulgentias, absolvens se à debito penæ etiam injunctæ, ut docet Henriquez *de Indulgentiis cap. 32.* Ergo etiam potest se absolvere à debito voti. *Quartò*, quia si quid obstar, quominus posset Prælatus in voto suo dispensare, id esset defectu jurisdictionis in seipsum: nemo enim potest in seipsum jurisdictionem exercere; unde nemo potest seipsum à peccatis absolvere: atqui hic defectus non obstat. *Primò*, quia non magis requiritur hæc jurisdictione in dispensatione votorum, quàm in dispensatione legum, collatione indulgentiarum, & obligatione per suas leges: atqui defectus jurisdictionis in seipsum non impedit, quominus quis hæc possit in seipsum, ut patet ex dictis: *Secundò*, quia quod jurisdictione postulet distinctionem personarum, est, vel quia est coactiva quæ exercenda est in invitam, ut est potestas inferendi censuram: vel quia est contentiosa, inter partes jus distribuens, non enim videtur æquum, ut quis in sua causa sibi jus dicat contra jus adversarii se opponentis; sic enim esset sibi, & judex, & reus: vel quia pertinet ad absolutionem sacramentali, quæ jure divino postulat distinctionem judicis, & rei: atqui jurisdictione illa, quæ requiritur ad dispensationem voti, nihil horum est, ut per se patet: Ergo non est cur requirat distinctionem personæ.

#### CONCLUSIO SECUNDA.

**H**umane Leges abrogari possunt per Principes, & Legislatores, qui eas statuerunt, vel eas præscribendi auctoritatem habent: Abrogari tamen non debent, nisi exinde ma-

*ior aliqua speranda sit utilitas.* Hæc Conclusio tres continet partes: quarum

*Probatur prima,* Leges Humanæ spectari possunt, vel ex parte sui principii, vel ex parte finis: hoc est, vel ex parte rationis humanæ, à qua dictantur, vel per respectum ad actus humanos, quos dirigunt: sed ex utraque parte revera mutabiles sunt; subindeque humanæ leges abrogari possunt, & mutari.

*Prima minoris pars est evidens:* Cum enim humana ratio finita sit, & limitata, & ab imperfecto ad perfectum procedere soleat, quò fit, ut Legislator prævidere non possit ea omnia, quæ ad Reipublicæ utilitatem magis conducere possunt quovis tempore: contingit interdum, quòd posteri animadvertant aliqua Reipublicæ recte administrationi adversari, quæ ad bonum ipsius regimini Majores excitaverant: proindeque ex parte rationis humanæ, quæ est constitutiva legum, certum est eas esse mutabiles.

*Corstat etiam secunda ejusdem minoris pars:* Sæpe enim aliqua lex uno tempore expedit, quæ alio, variatis hominum moribus, non expedire judicatur: sic Deus aliis legibus, & præceptis homines ante ac post Christi incarnationem rexit: sic pariter tum Ecclesiasticæ, tum Politicæ constitutiones, & sanctiones immutantur datis occasionibus, & prout diversa rerum, ac temporum necessitas exigit pro stabilienda fidelium, ac subditorum quiete, & recta agendi ratione.

*Probatur secunda pars:* quisquis enim legem condidit, vel condendi potestatem habet, habet etiam auctoritatem eam revocandi; cum enim lex essentialiter à Legislatoris, & Principis voluntate, ac imperio pendeat, consequens est quòd ad mutationem ejusdem voluntatis etiam lex mutari debeat.

Hinc quivis Princeps, & Superior non solum à se, vel suis prædecessoribus, sed etiam ab inferioribus sibi subditis Prælati conditas leges abrogare potest; quia Superior plenam habet potestatem supra inferiorem; & consequenter supra omnes leges ab eo sancitas.

*Nec potest* tamen Prælati inferior leges Superiorum revocare, aut abrogare absque eorum speciali concessione: quia voluntas, & jus inferioris non potest prævalere contra jus, & voluntatem Superioris. Hinc in Clementina *de electione* cap. *ne Romani*, decernit Clemens V. quòd cum lex

Superioris per inferiorem tolli non possit; leges à summis Pontificibus statutas circa summi Pontificis electionem per cœtum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ ipsa sede vacante modificari, corrigi, vel immutari, aut quidquam detrahi, sive addi, vel dispensari quomodocumque non posse.

*Patet etiam tertia pars;* nempe quòd leges non debeant abrogari, aut revocari, nisi major inde sequatur communitatis utilitas: nam, ut inquit Ulpianus in Digesto veteri lib. i. titulo 4. de Constitutionibus Principum lege 2. *In rebus à nobis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo jure, quòd diu æquum visum est.* Cum enim leges statuuntur in bonum communitatis, tamdiu perseverare debet earum vigor, quamdiu major ipsius communitatis utilitas non apparet. Hinc peccare videretur in bonum publicum, qui leges ad illud stabiliendum, & firmandum conducentes revocaret, nisi majus inde emolumentum sequendum præjudicaret.

*Nilominus* Abrogatio facta sine justa causa valida est, nec subditi tenentur parere legi revocatæ; etiam si nulla interveniat communitatis utilitas, quia subditi eatenus dumtaxat obligantur ad legem servandam, quatenus, & quamdiu Legislatoris voluntas, & imperium moraliter continuatur, quia ab ejusmodi voluntate, & imperio tota lex vim, & virtutem suam obtinet, non continuatur autem ejusmodi legis vigor, quando suam voluntatem, suumque imperium expressè revocat.

Tribus autem modis lex abrogari potest. *Primò*, per simplicem revocationem Principis: *Secundò*, per constitutionem novæ legis priori repugnantis; nam si lex posterior non potest stare cum priori, illam destruit; quia posterior voluntas Principis tollit priorem, juxta leg. *sed, & posteriores*, ff. *de legibus*. Tunc tamen abrogatio restringenda est quantum fieri potest: quippe communiter odiosa est, & de se nociva Reipublicæ, nisi postulet necessitas. Quare leges quoad fieri potest, sunt inter se conciliandæ, & concordia abrogationi præferenda. *Tertiò* denique, lex abrogari potest per contrariam consuetudinem; cum enim consuetudo vim legis habeat, ut dictum est; consequens est, quòd sicut lex abrogatur per legem contrariam, ita censetur abrogari per consuetudinem ipsi oppositam.

Quæres, An, & qualiter Humanæ Leges sint interpretandæ.

**R**espondeo primò, Triplicem distingui posse Humanæ legis interpretationem; nimirum *authenticam*, *usualem*, & *doctrinalem*; Legum enim Humanarum interpretatio fit, vel autoritate ipsius, qui legem condidit; quique suam mentem, & voluntatem circa legis observantiam in dubiis aperit: Hæc autem dicitur *authentica*; quia ab eodem fonte, nempe Principis voluntate, ex qua lex ipsa, dimanat; sicque hæc interpretatio vim legis obtinet, ut colligitur ex lege ultima *Codice de Legibus*. Vel fit usu quodam, & consuetudine, qua leges hoc aut illo modo observantur ab hac, aut illa communitate, quo fit, ut ipsa consuetudo dicatur optima legum interpres, hæcque interpretatio *usualis* appellatur. Vel denique legis interpretatio fit per doctrinam, & instructionem virorum peritorum, & hæc explicatio *Doctrinalis* dicitur: quæ utique differt à prioribus in eo quòd vim legis non obtineat, cum non procedat à potestate jurisdictionis, sed à iudicio peritorum. Hinc per se non inducit obligationem, sed solum eam detegit, & aperit; maximè quando omnes Doctores unanimi calculo in eumdem legis sensum conspirant, & consentiunt.

Hæc autem legis interpretatio doctrinalis, ut rectè fiat, sequentes regulæ maximè servandæ sunt. *Primò*, quidem diligenter attendenda est proprietas verborum, quibus lex ipsa concepta est: Cum enim leges debeant esse claræ, ac verbis propriè significantibus expressæ, qui eas doctrinaliter interpretantur, maximè debent verborum sensum attendere. *Secundò*, consideranda est etiam ipsa causa legis, seu motivum, propter quod Legislator legem hanc sanxit; motivum enim illud est ratio, qua veluti fulcro lex nititur; unde cum potestas Legislatoris in præscribendis legibus debeat esse rationi accommodata, rectè colligitur Legislatoris intentio in præscribenda lege ex illius motivo, & causa. *Tertiò* denique, Legislatoris mens, & intentio detegi potest ex verbis antecedentibus, & consequentibus, necnon ex fine, & circumstantiis, aut à finibus ipsius legis; si nempe aliæ leges iisdem verbis conceptæ hoc aut illo sensu accipiantur.

*Interpretatio authentica*, & usualis oritur ex defectu Legislatoris, qui cum non potuerit prævidere omnes casus in quibus lex utilis, vel nociva futura est, cumque constet in eo casu eum non habere intentionem obligandi; idè necessum est subditis, habita ratione boni communis, in eo casu legem explicari, vel ab ipso Legislatore, vel à consuetudine: Posterior verò interpretatio, scilicet *Doctrinalis*, oritur ex defectu subditorum, quibus est interpretanda hoc modo mens, & voluntas Legislatoris iis, qui illam non capiunt.

*Rursus* interpretatio *Doctrinalis* dividitur in *generalem*, & *specialem*. Generalis est, qua explicatur in genere, quid lex vetet, aut imperet: quod fit trifariam. *Primò*, si sensus legis eruatur stando in terminis ejus. *Secundò*, si vis legis extendatur ad similes, vel connexos casus. *Tertiò*, si restringatur ad certas quasdam materias, cum aliàs ad plures extenderetur. *Specialis* est, qua explicatur quid hic, & nunc lex vetet, aut imperet; quod persæpe est difficillimum. *Primò* cum videntur simul duæ leges contrariæ obligare: *Secundò*, cum majus oriri bonum videretur ex legis inobservantia, quàm ex ejus observatione: *Tertiò*, cum videretur in aliquo particulari negotio causa legis deficere, vel cum dubitatur aut de potestate, aut de voluntate Legislatoris, aut denique de validitate dispensationis datæ.

Hæc autem doctrinalis legis interpretatio solito vocatur *Epikcia*, quæ ab Aristotele 5. *ethic. cap. 10.* definitur *emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale*, id est, a qua & rationalis interpretatio, quæ declaratur legem non obligare in aliquo particulari casu, licet verba legis particularia sint, & ad omnes casus protendi videantur. Sic v.g. lex generalis est, *depositum reddendum est Domino suo illud repetenti*: Aequa tamen, & rationalis interpretatio est depositum illud non esse reddendum in eo casu, quo noceret repetenti, aut alteri innoxio: sic non esset reddendus ensis furioso, qui eum repeteret ad seipsum, vel alterum occidendum.

Licet autem uti *Epikcia* variis in casibus. *Primò*, quando est evidens nimis durum esse legem observare; lex enim humana possibile debet esse secundum naturam, & patriæ consuetudinem, id est, facilis observationis, ut aliàs diximus: Ergo si in aliquo casu legis observatio nimis dura videatur, tunc



tunc opus est Epikeja, quæ est legis emendatio propter defectum. Sic Machabæi lib. 1. cap. 2. cum viderent, quod plurimi Judæi à suis hostibus trucidati fuissent die Sabbati, eo quod illo die sacro non judicassent adversus hostes esse repugnandum, legem de servando Sabbato interpretati sunt, dicentes; *Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversus eum: & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in oculis.*

Secundò, quando probabiliter judicatur legem non comprehendere aliquem casum, licet uti Epikeja; secus verò dum probabiliter existimatur legem comprehendere casum illum: Nam, inquit, Doctor Subtilis in 3. dist. 25. quæst. 1. nu. 8. in moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat quod sic licet; tutius est non procedere sic nec sic, sed expectare quousque veritas pateat aliunde: Si enim ita esset, quod unus Doctor diceret aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, tunc simplex foret perplexus: ideo bene videndum est in moralibus antequam aliquid asseratur, quia videlicet cum habens duas opiniones contrarias perplexus sit, periculosè se determinaret ad unam, nisi re diligenter inspecta probabilior eligeret. Quibus Doctor significat, quod in moralibus sufficit quidem interdum ad prudenter ope-

randum, judicium probabile, quando videlicet non occurrit aliud probabilius: Dum autem fit concursus duarum opinionum probabilium, nos teneri sequi eam, quam judicamus probabiliorè; alioqui peccamus contra regulas prudentiæ, quæ dicitur huic potius adhaerendum esse, quæ nulli prorsus errandi, aut peccandi periculo nos exponit, quàm illi, quæ nos probabiliter saltem peccandi, & errandi periculo reddit obnoxios: Unde S. Chrisostomus hom. 4. in Matth. *Si vestimentum empturus, unum giras negotiatorem, & alterum: & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circumire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincerè veritas Christi vendatur, & ubi corrupta, veriorè eligere plusquam vestimentum?*

Tertiò denique Epikeja utendum est, quando incerti sumus, volueritne Legislator hunc casum comprehendere, eo quod verba legis non satis id significant, & licitum est uti Epikeja sine recursum ad Superiorem, quamvis per tempus recurrere liceat. Ratio est, quia quando agitur tantum de verborum significatione non tenemur ea interpretari secundum mentem Legislatoris, quando ipse eam non declaravit, neque ad illum recurrere, sed possumus jure nostro utendo, ea interpretari juxta communem sensum, & secundum principia illius doctrinæ, quæ veram, & germanam verborum significationem, modumque illa legitime interpretandi tradit.

*Finit Tomus Sextus Tractatus de Legibus.*

# I N D E X

Rerum Notabilium, & Sententiarum, quæ in hoc Sexto Volumine continentur.

*Prior numerus significat paginam, posterior verò columnam.*

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO

## A

### *Actus.*

**A**ctus humanus triplex est. 140. 1  
Actus interni prohibentur, non quatenus  
purè interni sunt, sed quatenus connexionem  
habent cum eis. 143. 1

### *Æternum.*

Æternum quomodo sit intelligendum, & duplex  
ejus acceptio. 104. 1

## B

### *Bellum.*

Bellum potest utrinque esse justum. 55. 1

### *Bonitas.*

Bonitas duplex spectari potest in actibus intrin-  
secè bonis, totuplex malitia. 29. 1

### *Bonum.*

Aliud est bonum summum diligere, & dilige-  
re aliquid ut bonum per se amabile. 42. 2  
Bona publica non impediunt quominus quisque  
propria sibi faciat. 49. 2  
Bona Ægyptiorum justè abstulerunt Israelitæ. 51. 2

## C

### *Capitulum.*

Capitula Cathedralium Ecclesiarum non possunt  
ferre leges, quæ obligent in tota Diœcesi, se-  
de vacante. 135. 2

### *Christus.*

Christus Dominus sol justitiæ omnes homines  
sub quavis lege sua luce illustravit. 123. 1

### *Circumcisio.*

Circumcisio cur facta fuerit per ablationem ex-  
tremitatis membri virilis. 94. 2  
Circumcisio cur fieret cultro lapideo. 95. 2  
Circumcisio cur fieri deberet ante octavum diem.  
ibidem.  
Circumcisionis præceptum quare datum fuerit  
Abrahæ, & non ante. ibid

### *Clericus.*

Clericus non tenetur Legibus Civilibus, quæ ejus  
statum dedecent, sed iis, quæ non dedecent.  
138. 2

### *Communitas.*

Communitas duplex distingui potest. 7. 2  
Communitas ex instituto duplex est, Ecclesiasti-  
ca, & Politica. 8. 1  
Communitas politica iterum duplex, perfecta sci-  
licet, & imperfecta. ibid.

### *Conscientia.*

Conscientia est actus intellectus practicè judican-  
tis aliquid in singulari faciendum, vel fugien-  
dum, laude, vel pœna dignum. 40. 1

### *Consuetudo.*

Consuetudo vim legis habens duplex est. 157. 2  
Consuetudo vim legis habens non potest indici  
nisi à Communitate, vel majore ipsius parte.  
ibidem.  
Consuetudo, & Præscriptio invicem conveniunt.  
154. 2  
Consuetudo differt ab usu, more, foro, & sty-  
lo. 155. 1  
Consuetudo duobus modis potest intelligi vim  
legis habere. ibid.  
Consuetudinis definitio. ibid. 2

### *Cultus.*

Ad Cultum Dei tria sunt necessaria. 94. 2

## D

### *Decretum.*

Decretum Gratiani non obligat nisi ex parte qua  
continet Statuta Conciliorum, & Pontificum  
olim promulgata. 151. 2  
Decretum in tres partes dividitur. 21. 2  
Decretales ex quo, & à quo collectæ, & ordi-  
natæ sint. 22. 1

### *Deus.*

Deus qualiter sit colendus. 120. 1  
Deum diligere non est de strictissimo jure natu-  
ræ, in quantum est præceptum affirmativum,  
sed in quantum est negativum. 57. 1  
Deus potest dispensare in aliquibus, quæ sunt  
juris naturalis. 51. 2  
Deus potest dispensare in præceptis Decalogi.  
53. 1

*Diffa-*

# ET SENTENTIARUM.

*Differentia.*  
 Differentia inter Regem, & Tyrannum. 4. 2  
 Differentia inter legem naturalem, & conscientiam. 58. 2

*Dilectio.*  
 Dilectio duplex est, naturalis una, & altera supernaturalis. 40. 2  
 Dilectio proximi non sequitur necessario ex dilectione Dei, licet ex Dei dilectione sequatur proximi dilectio. 57. 2

*Dispensatio.*  
 Dispensatio duplex est. 50. 2

*Dispensare.*  
 Nulla potestas dispensare potest in iis, quæ sunt de jure naturæ. 59. 2

## E

*Ecclesia.*  
 Ecclesia quomodo absolvat, aut retineat peccata purè interna. 142. 2

*Elemosina.*  
 Qui restituit, aut dat elemosinam in ebrietate, aut præpedito usu rationis, non implet præceptum; non tamen tenetur restitutioni. 37. 2

*Episcopus.*  
 Episcopi possunt in sua Diocesi leges obligantes ferre. 135. 1

*Evangelium.*  
 Totum Evangelium aliquando comprehenditur nomine legis Evangelicæ. 20. 1  
 Quomodo intelligendum sit quod quæ sunt in Evangelio sunt de lege. 33. 1

## I

*Jus.*  
 Jus genericè acceptum est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam. 43. 2  
 Jus interdum ab æquo, & bono in multis distinguitur. 44. 1  
 Jus sumptum genericè est duplex. ibid. 3  
 Jus naturale quid sit. ibid.  
 Jus gentium quid sit. 45. 2  
 Jus positivum divinum quid sit. ibid.  
 Jus pro justo speciali acceptum est objectum formale justitiæ particularis. 43. 1  
 Jus duplex, vetus, & novum. 45. 2  
 Jus positivum humanum quid sit. ibid.  
 Jus dividitur in jus simpliciter, & in jus secundum quid. 46. 1  
 Jus secundum quid dividitur in paternum, æconomicum, & herile. ibid.  
 Jus ex parte termini dividitur in jus ad rem, & in jus in re. ibid.  
 Jus in re quid sit. ibid.

Juris nomen secundum rem ipsam dupliciter sumitur. 43. 1  
 Juris varia descriptio. 46. 2  
 Juris Canonici divisio. 21. 2  
 Juris ethymologia quænam sit. 43. 1  
 Aliquid potest esse de jure naturæ duobus modis. 48. 1

*Justitia.*  
 In Justitia distingui potest objectum quod, & objectum cui. 43. 2

*Justi.*  
 Pauci fuerunt justi in lege Mosaica. 85. 2  
 Quotquot erant ad Legem Evangelicam spectabant. ibid.

## L

*Lex.*  
 Lex naturæ, artis, & morum quid sit. 3. 1  
 Lex diversimodè dicitur secundum nominis etymon. 3. 2  
 Lex duobus modis usurpatur, vel pro actu, vel pro habitu. 4. 2  
 Lex formaliter est actus voluntatis. 6. 1  
 Lex præsupponit actum intellectus. 7. 1  
 Lex ad aliquem, vel ad aliquos debet necessario ferri, ac dirigi. ibid. 2  
 Lex dicitur communis, quòd præscribatur omnibus, & singulis membris communitatis; non autem eidem abstractivè consideratæ. 9. 2  
 Lex fertur ad communitatem non collativè, sed distributivè. 10. 1  
 Lex, & præceptum inter se distinguuntur si non physicè saltem moraliter. ibid. 2  
 Lex ut obliget necessum est ut interveniat aliquid publicum quod insinuet motivum legis. 11. 2

Lex quas condiciones debeat habere, ut perfectè obliget, & legitime feratur. 12. 2  
 Lex quæ in solius Legislatoris bonum privatum ederetur, non foret justa. 13. 1  
 Lex potest esse justa, & justè ferri tripliciter. 15. 2  
 Lex potest intelligi rectè ferri tribus modis, quoad formam. ibid. 2  
 Lex ut obliget, ut rectè feratur tres Justitiæ virtutis species desiderantur. 16. 1  
 Lex nulla potest ferri de impossibili simpliciter, vel moraliter. 17. 2  
 Lex potest dici perpetua triplici respectu. 18. 2  
 Lex omnis debet esse præceptiva, & obligativa. ibidem.  
 Lex dicitur Consilium improprie. 20. 1  
 Lex duplex est; æterna, & temporalis. ibid. 2  
 Lex positiva duplex est; divina, & humana. 21. 2  
 Lex divina duplex est. ibid.  
 Lex humana duplex. ibid.  
 Lex temporalis alia naturalis, & alia positiva. ibid.

# INDEX RERUM,

## *De Lege Naturali.*

Lex naturalis inest cuilibet homini.	25. 1
Lex naturalis synderesis, & conscientia quamvis pro uno, & eodem interdum usurpentur, inter se tamen differunt.	26. 2
Lex naturalis est aliquod donum divinum à Deo effectivè procedens.	27. 1
Lex naturalis non est ipsa rationalis natura, ib.	2
Lex naturalis in pueris, & amentibus est in actu primo, non verò in actu secundo.	30. 2
Lex naturalis non est formaliter iudicium, & dictamen ostensivum, & judicativum.	ibid.
Lex naturalis aliquo sensu dici debet lex Divina.	31. 2
Lex naturalis una est quadruplici unitate, 1. unitate luminis: 2. unitate principii: 3. unitate finis: 4. unitate præcepti.	32. 1
Lex naturalis est una, & eadem omnibus hominibus.	ibid.
Lex naturalis unum habet principium ex quo cætera derivantur.	ibid.
Lex naturalis quomodo circa omnes actus virtutum in communi consideratos versatur.	35. 2
Lex naturalis quas requirat condiciones ut fiat actus virtutis.	37. 1
Lex naturalis in conscientia obligat ad servanda sua præcepta.	40. 2
Lex naturalis interdum obligat sub mortali.	41. 1
Lex naturalis potest mutari per subtractionem sex modis.	48. 1
Lex naturalis quomodo possit mutari.	ibid. 2
Lex potest mutari per subtractionem materie, quæ subest ejus definitioni: nequit autem mutari per irritationem.	ibid.
Lex naturalis mutari potest per additionem, vel subtractionem.	50. 2
Lex naturalis non potest abrogari quoad ea, quæ sunt jure strictissimo, potest tamen quantum ad alia.	56. 1
Lex naturalis, quæ fundatur in divina ratione, potest considerari tribus modis.	63. 1

## *De Lege Æterna.*

Lex æterna in eo distinguitur à cæteris legibus, quòd non sit alicujus legis participatio, sed ipsamet aliarum origo.	63. 2
Lex æterna datur, qua scilicet Deus ab æterno, quæ sunt aut facienda, aut cavenda ordinat.	ibid. 2
Lex potest considerari quatenus derivatur à legendo, aut ligando.	64. 2
Lex quatenus obligat est duplex, activa, & passiva.	ibid.
Lex æterna non potest cognosci comprehensivè, nisi à solo Deo.	66. 1
Lex æterna respectivè ad Legislatorem est immutabilis.	67. 1
Lex æterna nunquam præcipit secundùm ratio-	

nes contrarias, sed secundùm unam solummodo, & immutabilem.	ibid. 2
Lex Dei æterna est omninò immutabilis, & absoluta.	ibid.
Lex temporalis ea solum punire potest, quæ contrariantur suo fini.	68. 1
Lex æterna spectata secundùm se unica est: si verò consideretur penes connotata est multiplex.	70. 2
Lex æterna cuinam competat immediatè.	71. 1
Lex æterna potest esse dupliciter mensura, seu regula actuum liberorum Dei.	72. 1

## *De Lege Mosaica, & Evangelica.*

Lex divina positiva duplex est, Mosaica scilicet & Evangelica.	75. 1
Lex Mosaica quare vetus appelletur.	ibid.
Lex nulla pluribus præceptis distincta, fuit hominibus à Deo posita ante Moysem.	76. 1
Lex Divina distribuitur in historiam, præcepta, & prophetias.	ibid.
Lex Vetus fuit à Deo condita.	78. 1
Lex Mosaica in Novo Testamento laudatur, & probatur.	ibid. 2
Lex Vetus dicitur non bona.	79. 1
Lex vetus dicitur culpam habere, quia non purgabat commissa, nec gratiam conferebat ad vitanda peccata.	80. 1
Lex subintravit ut abundaret delictum, non per causam, sed per occasionem.	ibid.
Lex talionis non reprobata est à Christo tamquam mala, sed melior, & perfectior fuit in ejus locum subrogata.	ibid. 2
Lex vetus non fuit perfecta simpliciter, sed tantùm secundùm quid.	81. 1
Lex Moysei data est per Angelos.	ibid. 2
Lex Vetus, Lex Domini, Lex Moysei appellatur, Lex Moysei promulgatoris, Lex Domini institutoris, & authoris.	83. 1
Lex Mosaica respectivè tantùm erat imperfecta.	84. 2
Lex vetus quomodo ab Abrahamo, & Moyse dicitur originem duxisse.	100. 2
Lex vetus solis Judæis data est.	101. 1
Lex vetus spectabat ad Christianos.	ibid. 2
Lex Mosaica obligare desit.	102. 1
Lex potest cessare per temporum mutationem, & successionem.	103. 1
Lex vetus à Christo Domino fuit abrogata.	ibid.
Lex vetus erat imperfecta ad alteram ordinata, & perfectiore adventente debuit mutari, & desit quoad omnia præcepta.	104. 1
Lex Mosaica languescere cœpit post natum Christum, extingui verò post Christum mortuum.	ibid. 2
Lex non fuit penitus extincta ante diem Pentecostes.	105. 2
Lex Evangelica licet ab initio condita sit, tamen nonnisi in medio temporum fuit per Christum instituta, & promulgata.	106. 1
Lex Evangelica cur non incœperit ante Christum, triplex est ratio.	ibid. 2

Lex

# E T S E N T E N T I A R U M .

- Lex Evangelica non solùm directiva, sed & præceptiva fuit. ibid.
- Lex Mosaica tantùm præcipiebat, non autem juvabat per auxilia, & gratiam. 115. 2
- Lex nova quomodo, & qua ratione dicatur vitam æternam promittere. 116. 1
- Lex nova continet gratiam, & charitatem, item præcepta, & regulas rectè operandi. 117. 2
- Lex Evangelica quomodo dicatur scripta. ibid.
- Lex Mosaica, & Evangelica non contrariè opponuntur, sed tantùm dispartitè. 122. 1
- Lex Evangelica continet revelationem veritatum fidei. 123. 2
- Lex vetus non habuit vim sanctificandi. 122. 2
- Lex Evangelica non fuit servata sicut Mosaica. 124. 1
- De Lege Humana.*
- Lex humana solos actus bonos, & indifferentes præcipere potest. 141. 1
- Lex humana quomodo præcipere possit actus internos. ibid. 2
- Lex abrogari potest tripliciter. 163. 2
- Lex vigorem habet dupliciter. 164. 1
- Lex dubia, & obscura interpretari potest dupliciter. 157. 1
- Lex humana mutari potest tripliciter. 163. 2
- Lex ut obliget requiritur ejus aliqualis promulgatio. 148. 2
- Lex considerari potest dupliciter ad propositum. ibid. 2
- Lex naturalis ideò sufficienter est promulgata, quia mentibus nostris est insita. 149. 2
- Lex sumpta pro regula apud solum Legislatorem non requirit promulgationem. 150. 1
- Lex ut fiat nota notitia communi non privata, promulgationem requirit. ibid.
- Lex humana debet acceptari ut obliget. 153. 1
- Lex ubi consuetudine longa invaluit, non est in potestate populi ejus vim infringere. 154. 1
- Lex triplici modo potest deficere. 155. 2
- Legis humanæ triplex est interpretatio. 168. 1
- Legis interpretatio doctrinalis vocatur *Epikheia*. ibid. 2
- Legis nominis varia, & multiplex appellatio. 3. 1
- Legis necessitas, & existentia probatur. ibid. 2
- Legis ratio potissima non est in sermone scripto, vel audito reponenda, sed in rebus ipsis imperatis, aut prohibitis. 4. 1
- Legis ratio formalis, in quo reponenda sit. 5. 1
- Legis descriptio in genere sumptæ explicatur per particulas. ibid.
- Legis injustitia spectari potest vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ. 16. 1
- Legis ratio primaria consequenter tantùm præcepti, & ligandi vim importat. 19. 2
- Legis causa efficiens Legislator, & formalis ipsa justitiæ norma, materialis intellectus directivè, & voluntas subjectivè, & finalis bonum commune. 24. 1
- Legis officium est duplex, scilicet dirigere, & obligare, ibid. 2
- Legis temporalis definitio. 20. 2
- Legis præcipuus effectus est subditorum bonitas, & ordinatio. 24. 2
- Legis inscriptio duplex est. 118. 1
- Legis proprietates tres sunt; scilicet, autoritas, veritas, & bonitas. ibid. 2
- Legis æternæ definitio. 20. 2
- Legis naturalis immutabilitas eleganter expressa. 47. 2
- Legis æternæ notitia. 62. 2
- Legis æternæ duplex causalitas. 27. 1
- Legis cujuslibet triplex est status. ibid. 2
- Legis æternæ actus qualiter legi Dei congruant. 71. 1
- Legis naturæ duplex est subjectio. 74. 1
- Legis declaratio, & promulgatio quare differri debuerit usque ad tempora Moyfis. 77. 1
- Legis Evangelicæ cum Mosaica varia collatio. 122. 1
- Legis Evangelicæ supra Mosaicam variæ præcellentia. 84. 2
- Legis utilitas triplex fuit. 87. 2
- Legis Mosaicæ promulgatio fuit figura legis Evangelicæ. 106. 1
- Legis Evangelicæ tituli, & elogia. 112. 2
- Legis obligatio quantum ad Principes duplex est. 136. 2
- Legis naturalis, & divinæ acceptatio non est necessaria ut obliget. 149. 1
- Legis vis remittitur vel per consuetudinem, vel abrogationem, & dispensationem; vel privilegium, vel interpretationem. 154. 2
- Legis abrogatio per quid à dispensatione, irritatione, derogatione, & correctione differat. 164. 1
- Leges præscribuntur omnibus creaturis à Deo. 1
- Leges à Theologis tractantur diverso fine ab eo, quem Philosophi, & juris positivi, & Casarei Doctores intendunt. 2
- Leges de tributis, & vœtigalibus statuere possunt Principes. 8. 2
- Leges de tributis pendendis ordinantur ad publicam felicitatem, & securitatem. 12. 1
- Leges, & præcepta naturæ non modo spectari possunt respectivè ad ipsam naturam, verùm etiam respectu ejusdem ut elevatur ad statum supernaturalem. 35. 1
- Leges omnes justæ à lege æterna derivantur. 68. 1
- Leges humanæ ab æterna lege derivantur mediante naturali à qua procedunt. 70. 1
- Leges præceptivæ, aut prohibitivæ non obligant nisi rationis compotes. 136. 1
- Leges humanæ non omnes obligant sub mortali. 143. 2
- Leges humanæ an obligent cum vitæ dispendio. ibid. 2
- Leges humanæ obligare possunt in foro conscientia. ibid.
- Leges humanæ interdum obligant sub mortali. 145. 2
- Leges humanæ non semper obligant cum vitæ dispendio, & periculo gravis damni. 146. 1
- Leges

# INDEX RERUM,

Leges humanas obligare sub mortali quatuor regulis cognosci potest. ibid.  
 Leges humanæ quandonam obligent cum vitæ dispendio. 146. 2  
 Leges Civiles debent promulgari iis in provinciis pro quibus fuerunt constitutæ. 150. 2  
 Leges Ecclesiasticæ non habent vim per totum orbem nisi in singulis provinciis fuerint promulgatæ. 151. 2  
 Legi essentiale est ut sit iusta ex parte objecti, Legislatoris, & formæ. 17. 1  
 Legi essentiale est ut pro tota communitate præscribatur. 8. 2  
 Legi essentiale est ut sit stabilis, & permanens, & aliquo modo perpetua. 17. 2  
 Legi naturali non tenemur omnia facere ex dilectione Dei. 41. 2  
 Legi æternæ non subijcitur divina voluntas. 72. 1  
 Legi æternæ omnia entia rationalia subijciuntur. 73. 1  
 Legem dedit Christus præcipientem, & conferentem auxilia, quibus impleri possit; & ideo dicitur gratia per Christum data. 115. 2  
 Per legem personalem, & privatam quid intelligendum sit. 9. 2  
 Ad legis essentiam spectat, ut propter bonum commune præscribatur. 10. 2  
 Homo dirigitur per legem totidem modis quot modis lex potest sanctri. 23. 2  
 Aliud est esse de lege naturali, & aliud est esse de præcepto legis naturalis. 36. 1  
 Cultus qui Deo impenditur die Sabbati, non est de lege naturali. 38. 2  
 A lege æterna non pendent actus divini intellectus, & voluntatis ad intra spectati. 71. 2  
 Esse sub aliqua lege potest sumi duobus modis. 74. 2  
 Totum tempus ante Moysen vocatur tempus legis Naturæ. 76. 2  
 Ante legem Mosaicam triplicis generis præcepta fuerunt Deo præscripta. ibid.  
 Tria erant in lege veteri, 1. Moralia, 2. Judicialia, 3. Figuralia, & ceremonialia. 88. 1  
 Circa legis novæ institutionem Hæresiarum errores. 113. 2  
 Per legem libertatis intelligenda est exceptio à lege Mosaica. 115. 2  
 Duo sunt in nova lege distinguenda. 116. 2  
 Discrimen inter legem Veterem, & Novam. 117. 1  
 Qui legem condidit potest in ea dispensare. 164. 2  
 Ad solas leges positivas necessaria est promulgatio. 149. 2  
 Qui legem ferre potest, is & Privilegium condere potest. 164. 2

*Legalia.*

Legalia post Christi mortem nec bona, nec mala fuerunt. 109. 2

*Legislator.*

Legislator potest subditum privare gratia potesta-

te secundaria ratione decreti, ac legis conditæ per auctoritatem à Deo derivatam. 144. 2  
 Legislator non debet seipsum nec subditum à legibus dispensare sine gravi, & iusta causa. 138. 1  
 Legislatores duplicem habent respectum, superioritatis scilicet, & inferioritatis. ibid.  
 Legislatores non tenentur iis legibus, quæ ad omnes non pertinent. 136. 2  
 Legislatores tenentur suis legibus quoad vim directivam. ibid.

## *Libertas.*

Libertas Evangelica in quo consistat. 116. 1

## *Lumen.*

Lumen naturale quidquid indicat ex se necessarium est, aut naturæ rationali contrarium. 34. 2

# M

## *Maledictum.*

Maledictum duplex est, culpæ, & pœnæ. 80. 1

## *Malum.*

Malum quamvis sit turpe, & illicitum, potest tamen aliquando iustis de causis tolerari à superioribus. 17. 2  
 Mala possunt tolerari ob graves fines, non verò præcipi. 141. 2

## *Miles.*

Miles tenetur cum vitæ dispendio, & periculo suam stationem non deserere, & hostes aggredi ad præceptum Ducis sui. 146. 2

## *Minister.*

In Ministrorum institutione triplex est genus cæremoniarum. 97. 1

# N

## *Natura.*

Natura rationalis spectari potest duobus modis. 27. 1  
 Ex hypotesi quòd natura rationalis existat, necessario dirigi debet ad suum finem naturalem per legem. 28. 2

# O

## *Obligatio.*

Obligatio ad aliquid faciendum est triplex. 40. 2

## *Orcisio.*

Principes non possunt facere sua auctoritate ut omisso illicita fiat licita. 54. 1

## *Ordinatio.*

Ordinationi divinæ subsunt omnia, etiam reprobi. 74. 1

*Pere-*

# ET SENTENTIARUM.

## P

### *Peregrini.*

Peregrini iis tenentur legibus, quæ ad bonum commune conferunt, non autem iis, quæ non conferunt. 139. 1  
 Peregrini, & advenæ tenentur ad observantiam legum iis in locis quibus degunt. ibid. 2

### *Perfectum.*

Aliquid dici potest perfectum duobus modis. 84. 1

### *Perpetuitas.*

Perpetuitas duplex distingui solet à Philosophis. 16. 2  
 Perpetuitas negativa sufficit ad rationem legis. ibid.  
 Perpetuitatis modus duplex distingui solet, positivus scilicet, & negativus. ibid.

### *Pontifex.*

Pontifex quatuor habebat sibi præcipua vestium genera. 97. 2  
 Summus Pontifex non potest dispensare proprie in ullo voto, aut juramento. 60. 2  
 Summus Pontifex potest leges toti Ecclesiæ præscribere independentè à Cardinalium Concilio. 134. 2  
 Summus Pontifex non potest quamlibet hominis dispensationem sumere. 61. 2  
 Summus Pontifex potest dispensare in legibus tum à se, tum à suis superioribus sancitis. 164. 2  
 Summi Pontificis dignitas, & autoritas explicatur. 134. 1

### *Potestas.*

Potestas Principum convertendi subditorum bona in propria, non est legitima, sed tyrannica. 14. 2  
 Potestas Principum sæcularium dicitur temporalis ratione obligationis. 145. 1

### *Præceptum.*

Præceptum de Deo amando est juris naturalis. 104. 1  
 Præceptum quodlibet duo involvit præcepta, unum quidem affirmativum, alterum verò negativum. 51. 2  
 Præceptum quam dispensationem possit habere. 53. 2  
 Præcepta legis naturalis sunt duplicis generis. 32. 1  
 Præcepta legis naturalis spectari possunt, vel quoad certitudinem, vel quoad evidentiam. ibid.  
 Præcepta particularia legis naturalis, quæ ex generalibus inferuntur, quænam sint. 33. 1  
 Præcepta nativæ legis sunt triplicis generis. 34. 1  
 Præcepta particularia mediante aliquo Legislatoris iudicio non censentur esse de lege naturæ. 36. 2

Præcepta legis naturæ affirmativa non præcipiunt independentè ab ullo legis præcepto. 55. 2  
 Præcepta legis naturæ habent connexionem cum natura ex ordinatione Dei, non verò profluunt ab ipsa. ibid. 2  
 Præcepta duo primæ tabulæ negativè sumpta, sunt de jure naturæ. 56. 2  
 Præcepta secundæ tabulæ non sunt de jure naturæ observanda. 58. 1  
 Præcepta secundæ tabulæ sunt de jure naturali, non quidem strictissimo. 39. 2  
 Præcepta quælibet Decalogi, tertio excepto, pertinent ad legem naturæ. 38. 2  
 Præcepta Decalogi omnia non sunt æqualiter de jure naturæ. 39. 2  
 Præcepta Decalogi dividuntur, & distribuuntur. 89. 2  
 Præcepta primæ tabulæ tria tantum sunt. 90. 1  
 Præcepta secundæ tabulæ septem sunt. ibid.  
 Præcepta Decalogi sunt duplicis generis. 50. 2  
 Præcepta veteris legis ad tres classes revocantur. 79. 1  
 Præcepta Evangelicæ legis sunt quoque triplicis generis. 116. 2  
 Præcepta moralia, judicialia, & cæremonialia quid sint. 89. 1  
 Præcepta cæremonialia quid sint, & eorum divisiones. 91. 2  
 Præcepta judicialia quid sint. 99. 2  
 Præcepta judicialia cur Deus non instituerit, 121. 2  
 Tria involvuntur in tertio præcepto. 38. 2  
 Utrum Deus possit dispensare in præceptis Decalogi. 50. 2

### *Praelatus.*

Praelatus inferior non potest dispensare in lege superioris. 165. 1

### *Premiatio.*

Premiatio nequit habere rationem actus legis sicut punitio, tres ob causas. 23. 1

### *Privilegium.*

Privilegium si non obligat primariò, obligat saltem consequenter. 20. 1  
 Privilegium quomodo à lege, dispositione, & gratia differat. 158. 1  
 Privilegia Regularibus mendicantibus concessa sunt remuneratoria. 163. 2  
 Privilegia quandonam censeantur revocata. ib. 1  
 Privilegia quot modis vigeant. 161. 1  
 Privilegii descriptiones. 159. 1  
 Privilegii variæ divisiones. 160. 1  
 Privilegiorum concedendorum varii sunt modi. 161. 1.  
 Privilegiorum cessationis causæ. ibid. 2  
 Privilegiorum communicationem habent inter se Mendicantes cum aliis Ordinibus. 163. 1  
 Privilegiis nostro Ordini concessis non derogavit Concilium Tridentinum, nisi iis quæ formaliter, & expressè adversantur illius decretis. ibid. 2

# INDEX RERUM, & SENTENTIARUM.

*Purificatio.*  
 Purificatio cur instituta fuerit. 96. 1  
 Purificationum ratio litteralis, & figuralis. ib. 2

## R

*Reges.*  
 Reges sunt Domini subditorum Dominatione Ci-  
 vili, & Politica, non dispotica, & herili.  
 15. 1

*Regimen.*  
 Regiminis Judaici descriptio. 100. 1

*Reprehensibilis.*  
 Reprehensibilis verè fuit S. Petrus à S. Paulo.  
 111. 1

*Reprehendere.*  
 Inferior Superiorem reprehendere potest libertate  
 cessionis, non autem Authoritatis. 112. 2

*Residentia.*  
 Residentia Pastorum non est de jure naturali,  
 sed divino, ut significare videtur Concilium  
 Tridentinum. 59. 2

## S

*Sacramentum.*  
 Sacramenta cur sint instituta. 118. 2  
 Sacramenta cur instituta sint in verbis, & ele-  
 mentis. ibid.  
 Sacramentorum variae sunt figurae, ibid.  
 Sacramentorum varii fines. ibid.

Sacramentorum in septem divisio, & ejusdem ra-  
 tio. ibid.  
 Sacramentorum alia particularia, & alia commu-  
 nia. 94. 2

*Sacerdos.*  
 Sacerdotes antiqui utebantur vestibus quadrupli-  
 cis generis. 97. 2

*Sacrificium.*  
 Sacrificium Turturis, & Columbæ cur Deus præ  
 cæteris avibus elegerit. 94. 1  
 Sacrificium expiationis cur institutum fuerit. 96. 2  
 Sacrificii expiationis, & ejus rituum profertur ra-  
 tio. 97. 1  
 Sacrificiorum veteris Legis triplex est genus. 92. 2  
 Sacrificiorum offerendorum variae proferuntur ra-  
 tiones, & explicantur. 93. 2

*Salus.*  
 Aliquid conducere potest ad salutem duobus  
 modis. 84. 1

*Sancti.*  
 Sancti omnes veteris Legis, & Testamenti ad  
 novum pertinebant. 123. 1

*Sanctificatio.*  
 Sanctificatio duplex est: carnalis scilicet, & spi-  
 ritualis. 122. 2

*Superior.*  
 Superiores omnes habentes jurisdictionem Epi-  
 scopalem, v. g. Abbates possunt sibi subditis  
 Leges condere. 135. 2

*Symbolum.*  
 Symboli articuli sunt duodecim. 119. 2



*Finis Rerum Notabilium.*





